

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CLXXX. Christus Pro Sui Glorificatione Et Ecclesiae Conservatione
Ardenter Orat, Johann. 17. vers. I.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

in Christo quærendæ particeps reddimur: *Hæc locutus sum vobis, inquit, ut in me pacem habeatis.* 6. Maximi beneficii loco habendum esse, ac maximas hoc nomine Christo agendas esse gratias, quod pacem nobis compararit. Quis enim non diligit pacis autorem, quis eidem non agat gratias? 7. In adversis non esse animum abjiciendum, sed confidendum. Bernhardus, Epist. 256. ad Eugen. *Legi apud quendam sapientem: Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa verum difficultate. Ego autem dico, fideli homini magis & inter flagella fidendum.* 8. Christum quidem mundum propter nos vicisse, interim tamen cum mundo nobis esse pugnandum, & in mundo adversa sustinenda. Leo sermon. 7. de jejunio decimi mensis: *Quamvis Dominus protegat bellatores, & milites suos ille, qui potens est in pralio, cohorte-*

tur, & dicat: Nolite timere, quia ego vici mundum, sciendum tamen est, hoc incitamento formidinem esse sublatam, non pugnam & retuso aculeo timoris causam manere certaminis. 9. Mundum ita à Christo esse victum, ut nulla mundi adversa credentibus in ipsum nocere possint. Victum mundum reliquit nobis vincendum. Turpe profecto foret, si pateremur nos vinci à mundo per Christum victo, alligari à mundo per Christum alligato &c. 10. Christi victoriam à mundo & mundi principe reportatam esse unicam nostram fiduciam, firmissimam Ecclesiæ petram, regni Satanici ruinam & vitæ æternæ januam.

Suscipe, Christe, meos gemitus, lachrymas, precesque Perfer ad æternum tu mea vota Patrem.

CAPUT CLXXX.

CHRISTUS PRO SUI GLORIFICATIONE ET
ECCLESIAE CONSERVATIONE ARDENTER

ORAT, Johann. 17, vers. 1.

RATIO ORDINIS.

Valedictoriam Christi concionem post novissimam cœnam ad discipulos habitam immediatè sequitur oratio ipsius *προαγωγὴ* ad Patrem cœlestem directa, ut constat non solum ex textus indivulsa connexionione, sed etiam ex Evangelistæ Johannis transitione, quæ habetur in cap. 17. vers. 1. *Hæc locutus est Jesus, & oculis in cælum sublatis dixit,* hoc est, postquam valedictorium sermonem in præcedentibus quatuor capitibus descriptum absolvisset, statim ad preces sese convertit, in quibus Patrem suum cœlestem compellavit. Rupertus in cap. 17. Johan. statuit, hanc orationem Christi eandem esse cum ea, quam in horto ad montem oliveti fusam reliqui Evangelistæ describunt, Matthæus cap. 26. v. 39. Marcus cap. 14, 36. Lucas cap. 22. v. 39. Existimat enim, Johannem, qui una cum Petro & Jacobo Christo in monte oliveti oranti, & in *ἀγωνία* decertanti præsto fuit, hanc orationem ex ore Christi excepisse, eandemque prolixius descripsisse, cum reliqui brevem duntaxat illius summam recenseant. Probari posset hæc sententia ex eo, quod Joh. 14, 31. Christus dixisse memoretur: *Surgite, eamus hinc,* post quæ verba cum discipulis ex cœnaculo in montem oliveti exiisse, & residuam concionis partem in via absolvisse videtur. quodque eadem harum precum, & earum, quas reliqui Evangelistæ describunt, videatur esse materia. Ut enim hoc loco se à Patre glorificari, ita ibi calicem à se transire, hoc est, à passione & morte sese liberari petit. Sed rectius dicitur, hanc orationem non esse eandem cum ea, quam in horto habuit. Nam 1. Johannes disertè testatur cap. 18. v. 1. *hæc dicitis,* hoc est, tum valedictorio sermone, tum precibus hisce finitis Christum demum trans-

torrentem Cedron in hortum cum discipulis exiisse. Ergo tota concio valedictoria una cum hac oratione *προαγωγὴ* in cœnaculo fuit recitata, antequam Christus in hortum ad montem oliveti exiret. Jam verò preces, quas reliqui Evangelistæ describunt, post exitum in montem oliveti in ipso horto prope villam Gethsemani sito, habitæ fuerunt, Matth. 26, 30. & 36. Marc. 14, 26. & 32. Luc. 22, 39. Rupertus quidem respondet: *Verba Johannis eo sensu accipienda esse, quod Jesus non ex cœnaculo, sed ex horto circa villam Gethsemani sito egressus, ac trans torrentem Cedron regressus urbi denuò appropinquare voluerit, ut adversariis ad se capiendum venientibus occurreret.* Sed textus series manifestè ostendit, Johannem loqui de egressu è cœnaculo, in quo Christus & sermonem ad discipulos, & orationem ad Patrem cœlestem habuerat. Verba enim illa, *ταῦτα εἶπὼν*, in principio cap. 18, 1. posita, respondent verbis *ταῦτα ἐλάλησα καὶ εἶπε*, in princ. cap. 17, 1. positis, ac relativum *ταῦτα* remittit nos ad sermonem valedictorium, ut constat ex v. 33. cap. 14. *ταῦτα λέλαθκα ὑμῖν*, *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.* Nec potest contrarium colligi ex verbis Joh. 14, 31. *Surgite, eamus hinc,* quæ quo accipienda sint sensu, superius fuit expositum. 2. Materia precum utrobique non est eadem. Christus hoc loco orat primum pro se, deinde pro Apostolis, ac tandem pro omnibus per Verbum Apostolorum credituris, hoc est, pro tota Ecclesia. Sed in precibus à reliquis Evangelistis annotatis tantum pro se orat. Hoc loco petit se à Patre glorificari, in horto petit calicem à se transire. Quod autem hæc duo non sint eadem, sed distincta, patet ex collatione loci paralleli, Johan. 12. v. 27. Ibi enim Christus petit, *se servare ex hora passionis imminente,* hoc est, deprecatur instan-

tem

tem passionem, ut, si fieri possit, ab ea præservetur; interim tamen statim sese submittit divinæ voluntati, quando subjicit: *Sed propterea veni in hanc horam, perinde, ut postea in ejusdem loci vicinia petit: Pater, si possibile est, transfer à me calicem istum. Non tamen mea, sed tua voluntas fiat.* Hic verò in cœnaculo adhuc constitutus, petit, se glorificari, hoc est, in hora passionis & mortis sustentari, & ex ea in gloriam evehi. Nec ullo modo verisimile est, Johannem prætermittere voluisse summam illius orationis, quam reliqui tres Evangelistæ exposuerunt: *Pater, si possibile est, transfer à me calicem iste*, si unam & eandem cum ipsis orationem à se describi significare voluisset.

3. Gestus utrobique in oratione adhibiti non sunt uniusmodi. Hoc loco Christus precatur *sublati in calum oculis*, sed in horto *prostratus in faciem* preces suas recitat.

4. De precibus, quas hoc loco Christus fundit, dicit v. 13. *Hec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in scriptis*, ubi causam exponit, propter quam non tacitis gemitibus, sed voce sonora oret, videlicet, ut consolationem in omnibus adversis ac tentationibus discipuli ex his precibus petant. Quia verò hic finis generalis est, ideo ex eo colligitur, omnes omnino discipulis recitationi harum precum interfuisse. Sed in horto oraturus, tres duntaxat ex discipulorum numero, videlicet Petrum, Jacobum & Johannem in suum ascivit consortium, quinimò ne quidem hi tres discipuli *ἀκούοντες* illam orationem videntur exactè percepisse, tum quia Christus *λαλέων*, videlicet ad lapidis jactum, ab iis se junctus fuit, cum preces illas funderet, Matth. 26, 39. Luc. 22, 41. tum quia præ tristitia formis eos occupaverat.

5. Johannes, qui, teste Eusebio lib. 3. Hist. Eccl. c. 21. post reliquos Evangelistas scripsit, eorumque scripta suo suffragio comprobavit, preces in horto olivei à Christo fufas, à reliquis Evangelistis sufficienter descriptas, orationem verò in cœnaculo habitam ab ipsis prætermittam esse vidit, ideo in Ecclesiæ commodum instinctu & impulsu Spiritus S. eam annotare voluit. Rupertus sententiæ quodammodo affine est, quod Casaubonus exerc. 16. annal. c. 62. suspicatur, Christum in loco à discipulis semoto hasce preces recitasse: *Observant veteres, inquit, Christum, quoties majore concione Patrem orare voluit, solum à discipulis recedere, & omnia verba, Matt. 14, 23. Luc. 6, 12. Cogitent igitur magni Theologi, an eum morem tenuerit, cum admirabilem illam orationem concepit. Nam quod à Johanne descripta est, non probat, omnibus audientibus eam esse habitam, potuit enim Spiritus S. verus Evangeliorum autor Johanni eam dicere. Sed ex serie textus manifestum est, in eodem loco, in quo valedictorius sermo fuit habitus, videlicet in cœnaculo, ac proinde etiam præsentibus & audientibus discipulis preces hasce à Christo fuisse recitatas, unde ipsemet de illis dicit: *Hec loquor in mundo*, hoc est, audientibus ipsis has preces tibi offero, ut gaudium meum sit in ipsis impletum, ut sciant, quod sim intercessor ipsorum, ac ipsimet audiant, quod non solum pro me, sed etiam pro ipsis orem, ut hoc vergat in ipsorum solatium & gaudium. Augustinus, tractat. 104. in Joh. *Eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti Magistri non solum apud ipsos sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis apud Patrem oratio discipulorum est edificatio. Et si illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profectò & nostra, qui fueramus conscripti a leſturi. Potest autem hæc series, quod Christus valedictoria concioni preces has subjungere,**

voluerit, de multis nos utiliter monere. 1. Christus est unicus & summus N. T. Sacerdos, & æternus Pontifex, Pl. 110, 4. Heb. 5, 6. cap. 7, 17. &c. Ergo voluit typum summi Sacerdotis V. T. implere. Jam verò tria numerantur summi Sacerdotis in V. T. officia, videlicet, *docere*, Mal. 2, 7. *orare*, Lev. 5, 6. ad quod etiam pertinet benedicere, Num. 6, 23. & *sacrificare*, Hebr. 5, 1. Quare cum Christus docendi munere in quartum usque annum fideliter functus fuisset, ac paulò post in ara crucis *seipsum victimam Deo in odorem suavitatis oblaturus esset*, Eph. 5, 2. preces ardentissimas Patri suo cœlesti prius fundere voluit, ut omnes Sacerdotalis officii partes perfectissimè impleret. Ideo etiam sacrificio preces præmisit, ut ostenderet, se esse simul Sacerdotem & sacrificium, Pontificem & victimam. Heb. 5, 7. *Christus in diebus carnis sue preces & supplicationes ad eum, qui possit ipsum saluum facere ex morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, & exauditus pro sua reverentia.* V. 10. *Appellatus est à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedec.* Ambrosius, Theodoretus, & Oecumenius referunt hunc locum ad orationem Christi in horto propter verba: *qui possit illum saluum facere à morte*: alii ad orationem in cruce, quia non in horto, sed in cruce *cum clamore valido* oravit, Matth. 27, 46. Sed potest sine ulla absurditate etiam ad hanc orationem in cœnaculo habitam referri, quam itidem *cum clamore*, hoc est, sonora voce audientibus discipulis Deo obtulit, ac per eandem sese unicum N. T. Pontificem demonstravit. Præcedit enim v. 5. Christus *ἐξ εαυτὸν δόξα-σε*, ubi remittitur ad verbum *δοξάζω*, quo Christus aliquoties in his precibus utitur, ac sequitur v. 9. *consummatus factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis*, ubi ad preces pro credentibus factas remittitur: jam verò Christus hoc loco directè orat pro credentibus, in horto & cruce magis orat pro seipso.

2. Parens moriturus non solū instruit liberos, quomodo post ipsius mortē sese gerere debeant, tradit illis vivendi præcepta, exhortatur ad concordiam, erigit solatio &c. sed etiam precibus eorum salutē Deo commendat. Sic Christus morti vicin⁹ valedictoriae suæ concioni, quæ, ut superius monuimus, est & consolatoria, & informatoria, & promissoria & exhortatoria, preces jam subjungit, quibus Apostolorū salutem Patri suo cœlesti seriò commendat, sicque reipsa testatur, quod sit *Pater eternitatis*, Ef. 9, 6. ac verè paterno amore Apostolos & omnes credentes complectatur.

3. Ut Christus est unicus N. T. ἀρχιερεύς, ita quoque est unicus noster *Mediator*, qui cum in personæ unitate sit verus Deus & homo verus, propter suam cum Deo & hominibus *ὁμοϊότητά*, Mediatoris officio salutariter fungi potest. Quemadmodū ergo hætenus in docendi munere Dei nomine cum hominibus egerat voluntatem Dei humano generi patefaciendo, & mandata ejus proponendo: ita in posterum in orandi & sacrificandi munere nomine hominum cum Deo agere voluit, ut hac ratione genus humanum Deo reconciliaret. De Mose typico V. T. Mediatore dicitur, quod Dei nomine ad populum, & nomine populi ad Deum fuerit locutus, Exod. 19, v. 19. cap. 20, 19. ita quoque verus N. T. Mediator Dei nomine in suis concionibus ad homines, & vicissim in suis precibus hominum nomine ad Deum loqui voluit. Cyrillus lib. 11. in Joh. cap. 15. *Ut Mediator & Pontifex bonā pro nobis petit.*

4. Christus priore legationis à Patre sibi demandatā partem absolverat, doctrinam Evangelii ex sinu æterni

ni Patris prolatam Apostolis, & in persona Apostolorum toti Ecclesiæ tradiderat. *Ego, inquit, glorificavi te super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem, v. 4.* Ergo in hoc familiari cum Patre cœlesti colloquio resignat, quasi legationem in manus Patris cœlestis, ac commemorat, quid & quantum in hac legatione sibi à Patre commissa effecerit, quo successu in terris docuerit, quid veluti responsi loco ab Apostolis nomine totius generis humani retulerit. *Manifestavi, inquit, nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo &c. Sermonem tuum servaverunt, vers. 6.* Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcunq; dedisti mihi, abs te sint, v. 7. *Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, &c. v. 8.* Et quia non amplius in propria persona docendi officio visibiliter in terris præfens functurus erat, sed partes hæc Apostolis tradiderat, Matth. 10, 7. ac porro traditurus erat, Matth. 28, 19. Marc. 15, 15. ideo ministerium ipsorum ardentissimis precibus Deo commendat: *Ego, inquit, rogo pro eis, v. 9. quia sicut tu me misisti in mundum, ita ego misi eos in mundum, v. 18.* 5. Christus inter alias causas etiam eo sine oravit, ut & exemplum & formam orandi nobis exhiberet. Basilii Seleucensis in orat. pag. 278. *δὲ αὐτῆς προσεύχεται, ἵνα παθησὶς ἀγῶνι ἐσθλῶν παρὰ πάντων.* Lyranus in hunc locum: *Non tantum oravit Christus ad aliquid impetrandum, sed etiam ad dandum nobis orandi exemplum.* Voluit ergo post doctrinam & instructionem Apostolorum ad preces se convertere, ut ostenderet, tum quod per preces Deo loqui debeamus, quando per doctrinam nobis est locutus, tum quod doctrina non sit salutaris absque precibus, tum quod puritas Verbi, & constantia fidei serias requiret preces. Qui enim Verbum audiunt, non autem serio precantur, fiunt securi, & insidiis Satanicis sunt expositi, per quas semen Verbi ex cordibus ipsorum cito rapi potest. Christus igitur hoc exemplo suo admonet non solum Ecclesiæ ministros, ut conciones ad populum habitas sigillo precum in cordibus auditorum obfignent: sed etiam ipsos auditores, ut salutarem Verbi fructum, & boni operis complementum seriis gemitibus à Deo precentur. Albertus in hunc locum: *Quia omne, quod docet sermo divinus, impetrandum est per orationis devotionem; ideo ut exemplum det nobis, recurrit ad orationem, ut ea, quæ docet, impetrentur.* Lyranus in hunc locum: *Postquam confortavit discipulos per doctrinæ beneficium, consequenter eos consolatur per orationis suffragium, ut nos idem facere doceat.* 6. Christus nullum sine opere salutari tempus prætermittit. A doctrina & informatione sese mox convertit ad orationem regulam vivendi suo in hoc exemplo nobis præscribens. Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 14. *Cum quasi viaticum ad salutem, veritatem dogmatis Apostolis suis Christus tradiderit, & fortiores ad tentationes reddiderit, continuo ab hac colloquutione in orandi habitum se convertit. Nec ullum tempus inter sermonem ad discipulos, & Deum Patrem, intervenire passus est, præcipue vivendi disciplinæ regulam se nobis in hoc etiam constituens.* Opus enim est non ignorare, si quis pie ac sanctè vivere velit, aut ad fratres utiliter loqui oportere, aut in orandi opere sermonis usum adhibere. Pulcrè Nilus in sentent. tom. 1. Orthodox. p. 172. *Optimum est, in labores & orationes animam partiri, sic enim non multos in nobis introitus diabolus invenit.* 7. Docuerat Christus, se esse vitem, Apostolos verò palmites, Johan. 15, v. 1. nunc ergo factò ipso

ostendit, se esse veram vitem, spiritualis vitæ succum, & fructificandi virtutem Apostolis & omnibus credentibus suppeditantem, dum per preces à Patre cœlesti impetrat, ut in ipso maneant, & à Satana insidiis, ac mundi odiis & illecebris custoditi, copiosum fructum afferant. 8. Commendaverat prius discipulis precationem tum præceptum promissò, Joh. 14, 13. & 14. cap. 15, 7. cap. 16, 23. & 24. jam commendat ipsis eandem suo exemplo. 9. Exhortatus fuerat discipulos ad mutuum ac fraternam dilectionem, Johan. 13, 34. cap. 15, v. 12. & 17. jam suo exemplo, ut summus caritatis Magister, & perfectissimum ejus exemplar, ostendit, dilectionis præceptum etiam hoc complecti, ut pro salute proximi vota faciamus, 1. Tim. 2, 1. Jac. 5, v. 16. *Pro se orare, necessitas jubet; pro aliis orare, caritas hortatur: pro se orare, nature est; pro aliis orare, gratiæ, ait Chrysostomus in Mattheum.* Ostendit insuper, caritatem & concordiam ad sui conservationem precum adminiculo indigere. 10. Prædixerat discipulis persecutiones & adversitates in mundo sustinendas, Joh. 15, 20. cap. 16, 20. atque exhortaturus fuerat, ut in hisce afflictionibus confiderent, v. 33. Ostendit igitur suo exemplo, dum prius ad collem thuris, quàm ad montem myrræ abiit, id est, a instantem passionem precibus sese munit & præparat, Cant. 4, 6. quo in adversis confugere debeant, videlicet, quod non debeant animum profus despondere, sed magnâ fiduciâ per preces ad Deum recurrere, ab ipso auxilium & liberationem expectare, sicut ipse imminente passione ad preces se convertit. *Pater, inquit, venit hora. Chrysost. hom. 79. in Joh. & ex eo Theophyl. in h. l. Cum dixisset discipulis, afflictionem habebitis &c. iterum eos erigit per preces, erudiens nos, in tentationibus reliquis omnibus ad Deum confugere debere.* In periculis & adversis cujuscunque generis nullum tutius refugium, nullum certius habemus remedium, quàm pias ac serias preces. Quanto igitur major tribulatio & agonia periculosior, tanto ferventior debet esse oratio, ipsius Christi exemplo, Luc. 22, 44. Sicut ex colloquio cum amico cor recreatur: sic mala ipsa quodammodo mitigantur, quando curas afflicti animi per preces in sinum Dei quasi effundimus. 11. Justin. Martyr in Quæstionib. & Resp. ad Orthodox. q. 23. p. 316. rectè monet, Christum post Judæ ex cœnaculo discessum preces hæc recitasse, Joh. 13, 30. ut significaret, preces has non comprehendisse Judam, quem etiâ difertis verbis ab earum fructu excludit, Joh. 17, 12. *Primum perditio est facta, inquit, deinde pro discipulis oratio, postea Salvatoris passio.* 12. Sicut Joh. 7, 37. in ultimo festivitatis die magno Christus clamat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat:* sic in ultimo Judæorum paschate hoc loco cum clamore preces & supplicationes Deo offerens, Heb. 5, 7. præparavit nobis fontem gratiæ & salutis, quo sitim animæ nostræ restinguere possumus. De his omnibus historia series & temporis circumstantia nos admonet. Antequam verò ad explicationem hujus admirabilis orationis accedamus, expendenda prius erit ejusdem dignitas, propter quam ea nobis debeat esse commendatissima. Ea verò elucet 1. ex causa efficiente, hoc est, à persona precantis. Illa non est nudus ac merus homo, sed Θεωσώπρωτος, Christus Jesus Salvator & Mediator noster unicus, sicut disertè dicit Johannes: *Hæc locutus est Jesus, & sublatis in cælum*

cœlum oculis dixit. Is precari hoc loco voluit, tum ut ostenderet, se esse verum hominem, ac ratione humanæ naturæ Patre minorem, Joh. 14, 28. tum ut demonstraret, se esse nostrum Pontificem ac Mediatorem, eo fine à Patre cœlesti in hunc mundum missum, ut beneficia cœlestia per lapsum amissâ humano generi iterum acquireret, ac credentibus distribueret. Joh. 11, 41. cum ante Lazari resurrectionem dixisset: *Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me*, statim subiecit v. 42. *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstant, dixi, ut credant, quia tu me misisti*; tum ut exemplo suo preces nobis commendatas redderet. Neque enim pro se indignisset oratione, (nisi sponte se ipsum exinanivisset,) sed suo demonstrare voluit exemplo, quanto opere nos eâ indigeamus, & à quo in adversis auxilium & salutem expectare debeamus; tum ut re ipsâ ostenderet, per & propter ipsum, adeoque propter ipsum sanctissimum meritum & efficacem intercessionem omnia ad nos beneficia spiritualia descendere; tum deniq; ut januam nobis aperiret, ac viam pararet, ut ipsi quoq; ad Patris thronum accedere, & in ipsius nomine preces nostras cœlesti Patri offerre audeamus. Cum enim ad Patrem nemo veniat nisi per ipsum, Joh. 14, v. 6. ideo etiam precibus nostris non patet ad Patrem aditus, nisi per ipsius tanquam Mediatoris meritum & intercessionem ille nobis pareat. Hac de re ita differit Damasc. lib. 3. orth. fid. cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, aut decentium à Deo petitio. Quomodo igitur Dominus in suscitatione Lazari & passionis tempore orabat? Non enim ascensione ad Deum. sancta ejus mens indigebat semel secundum hypostasin Deo Verbo unita, neq; petitione à Deo, nam unus est Christus. Verum nostrum in se exprimebat personam & typum; quod nostrum est, in se ipso formabat, & nobis factus exemplum, & docens nos à Deo quaerere, ad ipsum attendere, & per sanctam ejus mentem nobis sternens viam ad Deum ascensum. Quemadmodum enim passiones sustinuit nobis victoriam adversus ipsas brabeum comparans, sic & oravit, nobis viam sternens ascensionem in Deum, & pro nobis omnem justitiam implens, nobiscq; per seipsum reconcilians Patrem, & ut principium & causam sui ipsius honorans & insinuans, quod non sit Deo contrarius. Ex quo jam facile apparet, an Christus tantum ut homo, an verò ut Deus & homo precetur. Veteres sæpe repetunt: *Christus orat ut homo, non ut Deus; ut Deus adoratur cum Patre, ut homo orat Patrem.* Sed hæc sunt rectè explicanda, ne vel à vi & efficacia harum precum divinam naturam, vel ab objecto religiosæ adorationis humanam naturam τῷ λόγῳ personaliter unitam, & ad dextram Dei post has preces exaltatam excludamus. Diximus paulò ante, Christum hic rogare ut nostrum Mediatorem ac Sacerdotem. Jam verò officium Mediatoris & summi Sacerdotis competit Christo secundum utramque naturam. Ergò à vi & efficacia harum precum non potest nec debet excludi divina ipsius natura, de qua in his ipsis precibus aliquoties luculentum fert testimonium, ut quando dicit v. 2. *Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam eternam.* vers. 5. *Glorifica me gloriam, quam habui, prius quam mundus esset, apud te.* vers. 10. *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Proinde sic habendum: Quæ in hac oratione sunt humilia, & subjectionem erga Patrem includunt, ea tantum secundum*

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tert.

humanam naturam Christo competunt, sed vis & efficacia harum precum, quæ eas reddit reconciliatorias, mediatorias, intercessorias & impetratorias, à divina natura humanæ personaliter unita descendit, & in orationis ἀποτέλεσμα quasi influit. Quemadmodum enim pati & mori est proprietas humanæ naturæ; sed pati pro peccatis mundi, mori pro vita hominum, est ἀποτέλεσμα ad officium Christi Sacerdotale pertinens, ad quod utraque natura concurrat: ita humiliter precari & supplicare est humanæ naturæ; quæ sola est ἐνδεής sive indigens, proprium; sed tantâ precari efficaciam, ut preces illæ omnibus credentibus impetrent gratiam in præsentem, & gloriam in futuro seculo, est ἀποτέλεσμα ad officium Christi Sacerdotale pertinens, ad quod utraq; natura concurrat. Epiphani. hæresi 69. ad objectionem Arianorum, quod Filius, quia Patrem orat, non sit verus Deus, sic respondet: *Etiamsi vita erat, & posset dare vitam, non vult tamen turbare justitiam, sed venit, ut ad unum principium, ad unam Deitatem, ad unam veritatem, ad unam concordiam, ad glorificationem unam congregaret hominum salutem ac mentem, & coram discipulis Patrem rogat. Quis enim Filius à Patre non petit? quis verò Pater Filio non dat? quis autem filius alienus existit à Patris natura? &c. Da igitur ipsis vitam habere in seipsis. Qui vita est, vitam à Patre accipere vult, & dare discipulis qui vita est, ut ne distrabat unitatem.* Cyrillus libr. 11. in Joh. cap. 17. *Complicata sunt humana divinis, & composita quodammodo ex utrisq; est oratio.* Bernhardus, serm. 76. in Cant. *Liberè petitur, quod in potestate petentis est accipere. Ergo dispensatoria Filii petitio est non necessaria, quippe donantis cum Patre, quicquid à Patre acceperit. Atque hæc dignitas personæ preces Christi non solum maximè nobis commendat, sed etiam à communi sorte omnium aliarum precum, sive à Patriarchis, sive à Prophetis, sive ab Apostolis eæ fuerint recitatae, easdem eximit. Quando enim sancti Dei homines orârunt, tunc oratio illa fuit ψιλὸν ἀνθρώπων, hic verò orat Christus Jesus Θεὸν ἰσοῦσιν. Sanctorum preces suam quoque habuerunt efficaciam, sed non ex virtute propriâ, verum ex his Christi precibus, & perfectissimo ejus merito unice descendente, unde illæ non fuerunt meritoriae, hæc verò ad meritum Christi pro nobis præstitum meritò referuntur. 2. à materia, sive re, quæ petitur. Ea verò est longè gravissima & angustissima. Neque enim petit particulam aliquam panis quotidiani, sed se à Patre glorificari gloriâ illâ, quam habuit ante mundum conditum, hoc est, æternâ, divinâ & infinitâ gloriâ; Apostolos & omnes per Verbum ipsorum credituros in bono conservari, unitate fidei & Spiritus conjungi, in veritate sanctificari, ac tandem cœlesti gloriâ ornari. Hæc sunt summa & maxima beneficia, quæ vel in hac, vel futura vita ab homine possunt desiderari. 3. à forma. In historia Evangelica sæpius commemoratur, quod Christus oraverit, Matth. 14, 23. Luc. 6, 12. &c. sed nusquam exprimitur, quâ verborum formâ oraverit, nisi quod brevis quarundam orationum summa recensetur, Matth. 26, 40. cap. 27, 46. Joh. 11, 41. hic verò omnia orationis verba formalia divino zelo plenissima describuntur. Scimus quidem ex Dei Verbo, quod *Advocatum* habeamus apud Patrem, qui pro nobis interpellat, Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 2. quâ verò ratione in diebus carnis suæ pro nobis in-*

VVVVV

terces-

tercesserit, & quid à Deo nobis precatus fuerit, in hac oratione prolixè describitur. Divus Apostolus 1. Tim. 2, 1. quatuor sive species sive modos precationis enumerat, videl. *δέησις*, quâ pro malorum averse deprecatione; *προσευχή*, quâ bonû aliquod nobis necessarium à Deo flagitamus; *εὐχαριστία*, quâ aliorum salutem Deo commendamus; & *εὐχαριστία*, quâ pro beneficiis acceptis gratias agimus. Quia ergo Christus perfectum orandi exemplar nobis tradere voluit, ideo in hac oratione omnia ista complectitur. *δέησις* est, quando precatur, ut cœlestis Pater servet Apostolos à malo, v. 15. *προσευχή* est, quando se petit glorificari, v. 1. & Apostolos in nomine Patris servari, v. 11. *εὐχαριστία* est, quando dicit: *Ego pro eis rogabo*, v. 9. *Non pro eis tantùm rogo, sed & pro illis, qui credituri sunt per Verbum ipsorum*, v. 20. *εὐχαριστία* est, quando iustitiam & misericordiã Patris commendat, v. 25. *Pater iuste, mundus te non cognovit, hi autem cognoverunt*. Pertinet & hoc ad formam hujus orationis commendandam, quod Christus, qui est ipsa *Patris sapientia*, 1. Cor. 1, 24. exactissimum precandi ordinem observat. Primùm enim pro se precatur, ac sui glorificationem expetit, quia ipse est *lapis angularis & fundamentum Ecclesiæ*, Eph. 2, 20. ex ipsius merito omnia beneficia spiritualia & cœlestia unicè descendunt. Deinde orat pro Apostolis, qui constituti erant totius orbis Doctores, per quos in Verbo Evangelii beneficia passionis & mortis Christi parta erant hominibus offerenda, unde ratione prædicationis & doctrinæ de Christo etiam ipsi dicuntur *fundamenta*, Apoc. 2, 14. ac reliqui credentes dicuntur *super adificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, existente summo angulari lapide Christo*, Eph. 2, v. 20. Tandem orat pro omnibus verè credentibus, adeoq; pro tota Ecclesia, quia reliqui per Verbum Apostolorum erant credituri, Joh. 17, 20. Respicit ergo primò ad *meritum*, quod suâ passione & morte amissam salutem humano generi velit reparare. Secundò ad *medium*, quod per Verbum Apostolorum beneficia suâ passione & morte parta velit distribuere. Tertiò ad salutarem *fructum*, quod credentes per sermonem Apostolorum beneficiorum suorum debeant fieri participes. Fructus præsupponit mediũ, per quod producit; medium præsupponit meritum, per quod beneficia distribuenda acquiruntur: ideo Christus in hac admirabili oratione primò mentionem facit *meriti*, ut Deus gratam habere velit hostiam, quam in ara crucis pro totius mundi peccatis mox erat oblaturus, & cœlestia beneficia humano generi acquiriturus. Secundò *mediũ*, ut Apostolorum ministerium reddat salutare & efficax. Tertiò *fructus*, ut credentes per Verbum Apostolorum in fidei veritate & caritatis unitate conservet, ac tandè in gloriam cœlestem ultimum *fidei finem*, 1. Pet. 1, 9. ipsos transferat. Christus est Ecclesiæ *caput*, Apostoli & reliqui credentes sunt Ecclesiæ tanquam mystici corporis Christi *membra*; ideo in precibus suis primò mentionem facit capitis, deinde descendit ad membra: & quidem primò agit de membris jamdum credentibus & capiti adhærentibus, deinde verò de membris per Verbum credentium credituris, Sacerdotes V. T. primò pro se ipsis, ac deinde pro toto populo sacrificia offerebant, Lev. 16, 11. Hebr. 5, 3. Christus N. T. Sacerdos, cum fuerit & sit omnis peccati expers, ideo non opus habuit, sacrificium propitiationis pro se offerre,

in eo enim Sacerdotibus V. T. opponitur, Heb. 7, 27. interim ut antitypum typo responderet, in hoc spiritali precum thymiamate primò seipsum, secundò fidelem populum Deo commendat. Orat primò omnium pro sui glorificatione. Secundò pro Apostolis, per quos in toto orbe erat glorificandus. Tertiò pro omnibus credentibus, in quibus glorificandus erat. 4. Ab effectu sive fructu & efficacia. Fructus hujus precationis est longè uberrimus, ut verè dictum sit à Philippo Melanchtone, *nec digniorem, nec sanctiorem, nec fructuosorem, nec magis patheticam vocem in celo ac terrâ unquam fuisse auditam, quàm hanc ipsius Filii Dei precationem*. Est enim primò *doctrinæ cœlestis summarium*. Christus hoc precationis quasi sigillo conciones suas ad Apostolos & alios auditores habitas, in cordibus eorum obsignare & confirmare voluit: ideo ut in valedictorio sermone, ita quoq; in hac eidem immediatè subjuncta oratione summam ac præcipua capita doctrinæ cœlestis breviter complecti voluit, unde Lutherus in commentario hujus loci scribit: *Præcipuum illud totius doctrinæ Christianæ caput, quod in solo Christo habemus omnia ad salutem necessaria, non in nobis vel alio homine, nusquam tam succinctè ac nervosè verbisq; tam emphaticis & ponderosis expostum novi*. Et ut aliquo duntaxat modo sublimitatem doctrinarum, quæ in hac oratione nobis traduntur, intelligamus, expendere oportet: Primò quod Christus abyssum cordis sui in ea nobis aperiat, quomodo erga Patrem suum cœlestem, erga Apostolos & omnes verè credentes sit affectus, quàm ardentissimo amoris incendio ipsius cor erga genus humanum flagret, cujus flammæ in hac oratione quasi prorumpunt. Christo jam constitutum erat, pro expiandis humani generis peccatis passionem & mortem adire. *Venit hora*, inquit. Ideò in hac oratione ostendit, quo animo & affectu passionem adierit, videlicet tum ex sancta erga Patrem obedientia, *consummavi*, inquit, *opus, quod dedisti mihi, ut facerem*; tum ex immenso erga genus humanum amore, ex quo provenit, quod tam sollicitè pro Apostolis & tota Ecclesia orat. Mors Christi est reale & summum documentum amoris illius inexplicabilis, quo genus humanum complectitur, *nusquam enim illuxit clarior quod nos dilexit Dominus, quàm in ipsius passione & vulneribus*, interim ex nudo externo passionis & mortis intuitu non potuisset hoc cognosci, nisi Christus in hac oratione testatus fuisset, quo animo & affectu mortem adire voluerit. Cyprianus, lib. de Orat. Domini: *Magna Domini benignitas pariter & pietas, ut non contentus, quod sanguine suo nos redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret*. Secundò, quod Christus de sua persona, officio & beneficiis, eorundemque applicatione in hac oratione luculenter nos instruat, quod scilicet in persona unitate sit verus Deus ac homo verus, Mediator, Redemptor & Salvator humani generis, qui seipsum pro nobis sanctificet, ac victimam Deo offerat, quod ipsemet sacrificii sui fructum nobis applicet, quod beneficia sua in Verbo Evangelii nobis offerat, ac per fidem eorum nos participes reddat. Tertiò, quod Christus non solum sui, sed etiam *paterni cordis abyssum* in his precibus nobis aperiat, quomodo is erga dilectum suum Filium, & omnes in ipsum credentes sit affectus. *Deum nemo novit unquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*, Joh. 1, v. 18. Cùm ergo Christus ex sinu æterni Patris

Patris

Patris illa protulerit, quæ de Patre suo cœlesti in hac oratione affirmat, quod videl. eodem amore credentes in Filium, quo ipsum et Filium complectatur: ideo dubitare non possumus, Patrem eo modo verè erga nos in ipsum credentes esse affectum. Joh. 8, 30. inquit Christus: *Ego, quæ Patri cœlesti placita sunt, facio semper.* Ergo dubitare non possumus, quin Christus etiam in hac oratione fecerit, quod Deo placet. Quare, cum tam seriò & ardentè pro Ecclesia Christus oret, eidemq; bona spiritualia & cœlestia à Patre precetur, ex eo colligitur, Patrem ad ea danda esse promptum ac benevolum. Ut Patris & Filii est una essentia, ita quoq; una voluntas, unum cor, una donatio. Quartò, quòd Christus docere nos voluerit, quem non solum precum, sed etiam totius vite & omnium actionum nostrarum scopum, nobis proponere debeamus, videlicet Dei gloriam & Ecclesiæ salutem; quæve bona in precibus nostris potissimum petere debeamus, videlicet conservationem Ecclesiæ, puritatem doctrinæ, concordiam docentium ac discipulorum, sanctificationem in veritate, & glorificationem in vita æterna. Secundò, hæc precatio Christi est *vivificæ consolationis promtuarium.* Confirmat enim nos de nostra cum Deo reconciliatione, de precum nostrarum exauditione, de spiritualium beneficiorum collatione, de conservatione in bono ac perseverantia, de sustentatione in omnibus periculis & adversis, de finali ex eis liberatione, de æterna cum Deo in cœlis cohabitatione &c. Hæc enim omnia in Christo, & propter Christum nobis contingere, testantur hæc preces, in quibus Christus ipse Ecclesiæ, & omnibus verè credentibus, illa bona à Deo precatur, inde jam confirmatur fides nostra, quòd preces nostræ non futuræ sint frustraneæ atque irritæ, quando verbis ex ore Christi desumptis isthæc beneficia precabimur, & in Christi nomine, id est, ex fide merito & intercessionis Christi innitente orabimus. Pater cœlestis Christum semper exaudit, Joh. 11, 42. *Postula à me, inquit, & dabo tibi Gentes in hereditatem tuam, Ps. 2, 8.* vi hujus oraculi exauditus est Christus, quando cum lachrymis & clamore precatur supplicationibus Deo obtulit, Hebr. 5, v. 7. Jam verò Christus hic orat, ut Pater cœlestis credentes eodem amore complectatur, quo se dilectum suum Filium complectitur, ut credentes sint, ubi ipse est in cœlesti gloria & felicitate, quo beneficio non potest aliquid majus cogitari, nedum desiderari. Ergo hæc preces Christi à Patre cœlesti sunt exaudita, ac proinde de his beneficiis à Deo in nos conferendis nulla superesse debet dubitatio. Commentator Damasc. lib. 3, cap. 24. monet, quòd *Christus in omni oratione procedente ex voluntate humana ut subjecta & conformi divine voluntati illius per summam obedientiam concordante semper exauditus sit; in oratione verò procedente ex voluntate humana dimissa sue nature & permissa agere & pati propria ad declarandam suam conditionem non sit exauditus, cum non omnerit hujusmodi oratione, ut exaudiretur, sed ut exemplum nobis daret, in tribulatione ad Deum confugiendi, & nostram voluntatem divino arbitrio subjiciendi.* Ps. 22, 1. Matth. 26, 39. Joh. 12, 27. Jam verò Christus hoc loco precatur oratione procedente ex voluntate humana exactissimè conformi divine voluntati, unde dicit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi Ego sum, & illi mecum sint: cum contra* Matth. 26, 39. diceret: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ergo dubitare non possumus, has Christi preces pro

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tert.

Ecclesia & omnibus verè credentibus factas, esse à Patre cœlesti auditas. At, quæ major potest esse consolatio in omnibus tentationibus, afflictionibus & persecutionibus, quàm quod sciamus, Christum pro nobis precatum esse sollicitè, & à Patre exauditum esse benevolè? Stapulensis in hunc locum: *Cujus Christiani cor non liquecit, dum manifestè cognoscit, Filium Dei æternum pro se rogasse Patrem, ut unum sit cum ipsis, quem semper à Patre audiri scit, & pro se, & pro omnibus, pro quibus rogavit, aquè exauditum esse ac pro Apostolis?* Hunc salutarem precationis suæ fructum Christus ipse nobis monstrat, quando dicit v. 13. *Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis, id est, ut intelligant, quàm ardentè ipsos diligam, quàm sollicitus sim de ipsorum salute, quanta bona ipsis impetraverim, & ex eo verum solatium & solidum cordis gaudium percipiant.* Tertio, hæc precatio est *Ministerii & Ecclesiæ fundamentum.* Chrysostomus in Ps. 38. *Nisi hæc impleta esset oratio, ne Apostolorum quidem chorus esset servatus, & gavisurus esset diabolus verus inimicus, & qui cum eo erant.* Christus non solum pro Apostolis, sed etiam consequenter pro omnibus fidelibus Ecclesiæ doctoribus, Apostolorum in munere docendi successoribus orat, ut Pater cœlestis illos sanctificet in veritate, regat illos sancto suo Spiritu, & conservet in doctrinæ puritate, ac fidei & caritatis unitate. Ergo hæc oratio est fundamentum ministerii, & adhuc hodie efficax, ut ministerium Evangelii in mundo conservetur, ut doctrinæ puritas, & docentium unitas in Ecclesia adhuc locum habeat. Nec solum pro doctoribus, sed etiam auditoribus, non solum Apostolorum, sed omnium Ecclesiæ doctorum oravit, rogo pro eis, qui per Verbum Apostolorum in me credituri sunt, inquit v. 20. Ergo hæc oratio non solum ministerii, sed etiam totius Ecclesiæ est fundamentum. Quòd adhuc aliqua in mundo colligitur Ecclesia, quòd adhuc aliqui Deum ex Verbo rectè agnoscunt, invocant, colunt, in fide conservantur, & crescunt, ac ad salutem perducuntur, illud efficaciam harum Christi precum unice est tribuendum. Si absq; illis esset, *portæ inferorum adversus Ecclesiã jam dudum prevaluissent,* Matt. 16, 18. Quoties ergò vel Ministerium vel Ecclesia de sui conservatione periclitari videtur, cogitemur, Christum in his precibus suis eam Deo commendasse, & preces hasc à Patre cœlesti esse certissimè exauditas. Quartò est *precum nostrarum fulcrum.* In precibus nostris non possumus, nec debemus, nostrâ dignitate ac nostris meritis niti, sed in Christi satisfactione & intercessione omnis fiducia collocanda. Ergo hæc oratio Christi est firmissimum nostrarum precum fulcrum, quippe per quam certi reddimur, si vota nostra Christi precibus jungamus, & verbis ex hac oratione petitis precemur, etiam nostras preces à Deo exauditum iri, cum ex Christi Mediatoris precibus pondus & efficacia in nostras preces descendat. Quintò est *efficacissimum ad precandum opus.* Quòd si enim Christus, æternus Dei Filius, ejusdem cum Patre potentia & majestatis, imminente passione & morte tam seriò & ardentè precatus est, cum tamen salutarem passionis & mortis suæ eventum in luce omniscientiæ exactissimè videret, quantò magis nobis necessariæ erunt preces in tanta carnis infirmitate, in tanta Satanæ ac mundi rabie, in tanta periculorum & adversorum copia? Sciamus ergo, nos hoc Christi

VVVVVV 2

Christi

Christi exemplo moneri, quod preces ex fide profectæ debeant esse unicum nostrum refugium in odiis mundi, in persecutionibus tyrannorum, in insidiis hæreticorum, in omnis generis tentationibus, in doloribus mortis & inferni &c. Si ex eodem cum Christo precati fuerimus spiritu, eundem periculorum nobis imminentiū, ac malorum humeris nostris incumbentiū experiemur eventum. 5. *A temporis adjuncto.* Christus has preces ad Patrem cœlestem fudit paulò ante passionem & mortem, postquam Evcharistiam, sanctissimum illud Testamentum suum, instituerat, & suavissimo sermone discipulis valedixerat. Jam verò tempore agoni mortis proximo nihil temerè, nihil simulatè, nihil præposterè solet geri, sed in pectore morituri parentis omnia flagrant atq; ardent amore erga liberos. Rupertus monet, orationem hanc congruere titulo Psal. 102. *Oratio pauperis cum anxietate, & preces suas coram Domino effunderet.* Cum enim Christus has preces recitaret, jamdum sanctissima ipsius anima cœperat luctari cum doloribus mortis & inferorum. Ergò in his precibus agit rem maximè seriam, ac verba adhibet ponderosa ex flagrantissimo affectu, & ferventissimo Spiritu profectæ. Quo amoris affectu pro Apostolis & omnibus credentibus, imò pro toto genere humano mortem jamjam aditurus erat, eodem pro Apostolis & omnibus credentibus hic precatur. Neq; tamen cogitare debemus, Christum vel tunc primum orare, ac pro Ecclesia intercedere cœpisse, vel tunc orare desisse, quando has preces in cœnaculo Hierosolymitano sonorâ voce protulit. Sed hæc externâ & audibili voce prolata precatio fuit evidens testimonium, quòd Filius Dei sit æternus Ecclesiæ suæ Sacerdos, qui statim ab initio generis humani in peccatum & mortem prolapsi factus fuit apud Patrem deprecator, quinimò in æterno sacratissimæ Trinitatis consilio constitutus fuit Mediator & Intercessor, ac spontè in se recepit hoc officium, quod in plenitudine temporis velit lapsus genus humanum per passionem & mortem suam Deo reconciliare, & pro peccatis mundi perfectam satisfactionem præstare, ut sic oratio in aditu passionis recitata accipi debeat tanquam perpetuus gemitus, & perpetua intercessio Filii Dei pro Ecclesia. Quemadmodum enim Agnus ab origine mundi occisus dicitur, Apoc. 13, 8. ratione decreti promissionum, typorum & efficaciar: ita quoq; Filius Dei jam inde ab origine mundi, imò ab æterno pro credentibus in ipso ad vitam æternam electis deprecatus rectè dicitur, quatenus intuitu satisfactionis & intercessionis in plenitudine temporis secuturæ decretum de salute credentium est factum. Et quia omnia coram Deo sunt præsentia, ideò hæ preces Filii Dei in assumpta natura humana factæ Deo ab æterno fuere præsentis, & ad salutem electorū efficaces. Multò minùs cogitari debet, quod hæ preces tantummodo tunc temporis pondus apud Patrem cœlestem habuerint, quando fuerunt

audientibus Apostolis in cœnaculo recitatæ: sed ad finem usq; mundi suum obtinent effectum, imò in omnem æternitatem earum efficacia sese extendit. Quemadmodum enim verbum potentia in primæ creatione prolatum, *germinet terra herbam virentem*, Gen. 1, 11. adhuc hodie efficax est, & ad firmum usque mundi efficax erit: sic efficacia precationis à Christo semel prolata adhuc hodie viget, & in perpetuum vigebit, quia rogavit pro omnibus ad finem usq; mundi credituris, & totum Ecclesiæ corpus cum omnibus veris & vivis ejus membris in manus Patris cœlestis commendavit. Statim post hanc precationem Christus adit suam passionem, quæ nihil aliud est quàm realis quædam deprecatio, & efficacissima satisfactio pro peccatis hominum. Rupertus in hunc locum: *Hæc, Pontifex summus, propitiator ipse & propitiatorum, Sacerdos & sacrificium, pro nobis oravit, & vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati, non enim cessantibus verbis validus cordis ejus clamor conquievit, cum potius verbis illis tantum significaverit, quæ causâ vel intentione sustineret proinus vincula, probra, alapas, flagella, spineam coronam, clavos atq; lanceam, sellis & acetipoculum per omnia tacens, & non aperiens os suum.* Post passionem, mortem ac resurrectionem suam ascendit in cœlum, *ut appareret vultui Dei pro nobis*, Heb. 9, v. 24. ac collocatus ad Dei dextram, adhuc hodie pro nobis intercedit, Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 2. ac quia *manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, unde & salutare in perpetuum potest, accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens, ad interpellandum pro eis*, Hebr. 7, 24. & 25. Hæc omnia dignitatem atq; utilitatem hujus orationis quodammodo illustrant, propter quam verè dicitur, familiare ac devotissimum Christi cum Patre suo cœlesti colloquium, extrema quasi vox ejus sanctissima Christi anima spiritu fervidissimo prolata, lucidissimum speculum, in quo Patris cœlestis & Christi Filii ipsius amor erga nos conspicitur, clavis penetralia cœlestis curiæ referans, clypeus fortissimus, quo contra diabolus, infernum, mortem & omnia mundi adversa munimur, tranquillus portus, in quo à naufragio salutis tuti, & in columnas servari possumus, murus Ecclesiæ igneus contra persecutorum furores, gratissimum Deo sacrificium & odoramentum, quo fuit humano generi reconciliatus, thesaurus arcanae & cœlestis sapientiæ, quem Christus dilectissimus Patris Filius, cui cor Patris optimè notum, ex sinu ejus protulit, preciosissimum Ecclesiæ *κεμήλιον* & efficacissimum in omnibus animæ morbis remedium &c. Et quia superius diximus, Christum in his precibus orare 1. pro seipso. 2. pro Apostolorum Collegio. 3. pro toto fidelis populo, ideò in tres pericopas divinam hanc & admirabilem orationem distribuemus. Qui dichotomiâ delectantur, possunt sic progredi: Christus orat 1. pro se capite. 2. pro membris suis, & quidem 1. superioribus videlicet Apostolis. 2. inferioribus, per verbum eorum credituris.

Pericope prima.

V. I. Ταῦτα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐπῆρε τὸς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τὸν ἄραρον, καὶ εἶπε· Πάτερ, ἐγλήλυθεν ἡ ὥρα, δόξασον σε τὸν υἱόν, ἵνα καὶ ὁ υἱός σε δοξάσῃ σε.
2. Καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκός, ἵνα πᾶν ὃ ἔδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον.

V. I. Hæc locutus est Jesus, & sublevis oculis suis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te.
2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quosquod dedisti ei, det eis vitam æternam.

3. Ἄντι

3. Ἡ αὐτὴ δὲ ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἣν ἰνα γινώσκωσιν σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλες Ἰησοῦν Χριστόν.
4. Ἐγὼ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς· τὸ ἔργον ἐτέλειώσω ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω.
5. Καὶ νῦν δόξασον με, σὺ Πάτερ, παρὰ σεαυτῷ τῆ δόξης, ἣ ἔσχον πρὸ ἑ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί.
3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.
4. Ego te glorificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem:
5. Et nunc glorifica me, tu Pater, apud te ipsum gloriam, quam habui prius, quam hic mundus esset, apud te.

Exegesis hujus Pericopes.

A Pocal. 8. v. 3. vidit Johannes Angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum, ac data sunt illi incensa multa, ut daret orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de precibus Sanctorum à manu Angeli coram Deo. Per hunc Angelum quidam ministros Ecclesiæ, quidam verò Angelos sanctos intelligunt, Lyranus, Papam Damasum, Brightmannus, Constantium Magnum, Aretas & Andreas Cæsariensis, quemvis Papam per hunc Angelum denotari existimant. Sed descriptio illius Angeli manifestè ostendit, per eum neminem alium quam Christum Jesum, qui non solum in V. T. Gen. 16, 7. cap. 48, 16. Exod. 14, 19. Es. 63, 9. Osee 12, 3. &c. sed etiam in Apocalypsi cap. 7. v. 2. cap. 10, 1. Angelus appellatur, intelligendum esse. Patet hoc 1. ex distinctione. Angelus hic ab Angelis creatis, quorum in versu præcedenti fit mentio, expressè distinguitur. *Alius Angelus venit, inquit Johannes.* 2. Ex prædicatorum conditione. Talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis. Jam verò prædicata, quæ de hoc Angelo dicuntur, ita comparata sunt, ut non possint de alio quàm de Christo dici. Tria de hoc Angelo prædicantur. Primum quod venerit ac steterit ante altare, habens thuribulum aureum. Per hoc altare quidam intelligunt altare holocausti, quidam altare sufficitus. Juxta priorem expositionem per stationem illam Christi super altare significatur, Christum esse simul Sacerdotem & victimam, qui seipsum obrulerit super altare crucis Deo in odore suavitatis, Eph. 5, v. 2. sed posterior expositio magis congruit textui, dicitur enim stetit cum thuribulo tanquam suffimentum oblaturus, jam verò thymiamata non in altari holocausti, sed in altari thymiamatis incendebantur, ac altare hoc dicitur, aureum, cum tamen altare holocausti fuerit æneum. Significatur igitur altera Sacerdotalis officii pars, videlicet intercessio, quod non solum in ara crucis sacrificaverit, sed etiam stetit ante altare, habens thuribulum aureum, id est, quod sit noster intercessor, ac sedens ad dextram Dei in throno majestatis, interpellat pro nobis. Secundò, quod data sint ei incensa multa, ut daret orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum, ita ut fumus incensorum de precibus Sanctorum à manu hujus Angeli coram Deo ascenderit. Per hoc describitur Sacerdotalis illius intercessionis efficacia & fructus, quod videlicet per hanc suam intercessionem nostris precibus addat pondus, ut sint Deo gratæ, & ad impetrandum efficaces, quod preces totius Ecclesiæ, & omnium Sanctorum in specie perferat ad Patrem cœlestem &c. Tertio, quod accepto thuribulo impleverit illud de igne altaris, ac miserit in terram, unde facta fuerint tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus. Per hoc digitus intenditur ad visibilem effusionem Spiritus sancti, factam in

die Pentecostes. Postquam enim Apostoli ignem, id est, Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum è cœlo demissum acceperunt, statim cœperunt loqui variis linguis, quod significant voces, tonare prædicatione, fulgurare miraculis, ac orbem universum doctrinæ Evangelicæ propagatione concutere. Inde Blasius de Viega in commentario hujus loci, p. 340. rectè scribit: *Hunc Angelum esse Christum Dominum, pleriq; Interpretes consenserunt. Neq; enim alteri aptè accommodari possunt, quæ hoc loco ponuntur. Cujus enim alterius est universa Ecclesiæ incensa, hoc est, orationes in thuribulo aureo tantâ majestatis specie offerre? cujus est præterquam Christi de igne, quo thuribulum aureum erat impletum, partem in terras misisse, easq; divini amoris igne, & ignitis Spiritus sancti donis inflammâsse?* 3. Ex locorum parallelorum collatione. Per hunc Angelum intelligi debere Christum, patet non solum ex omnibus Scripturæ dictis, in quibus ejus intercessio describitur, Rom. 8, 34. Hebr. 9, 24. 1. Joh. 2, v. 2. sed etiam ex illis, in quibus jubemur in Christi nomine orare, Joh. 14, v. 13, 14. cap. 15, v. 16. cap. 16, v. 23. Quid enim aliud est in Christi nomine orare, & Christi merito ac intercessione in precibus niti, ut illa sint Deo gratæ & acceptæ, quam quod fumus spiritualis incensi de manu hujus Angeli coram Deo ascendat? Confer Dn. D. Hoë, Theologum præclarissimum in commentario hujus loci. Quemadmodum verò Christus in cœlum ascensus elevatis manibus discipulis suis benedixit, ut significaret, perpetuum suum munus, ad dextram Dei, fore, hominibus benedicere, Luc. 24, 50 ita quoq; hoc loco passionem & mortem aditurus, atq; ex morte resurrecturus, in cœlum ascensus, & ad dextram Dei collocandus, oravit pro Apostolis & tota Ecclesia, ut significaret, perpetuum suum munus, ad dextram Dei, fore, pro nobis intercedere, unde etiam utrobique eodem gestu utitur, divinaram scilicet ac sanctissimarum manuum suarum elevatione. Mirabilem hanc Christi orationem immediatè ante passionem habitam Evangelista descripturus, præmittit quoddam proœmiolum, cui mox secundo loco ipsam Dominicam orationem subjungit.

In proœmio continetur i. quædam exanthesis, seriei historię inserviens, ac tempus & locum admirandæ hujus orationis describens. *Hæc locutus Jesus.* Quid per pronomen *Quis* intelligendum veniat, patet ex versu ultimo capitis proxime præcedentis, in quo Christus Apostolis dicit, *ταῦτα λέλαθηκα ὑμῖν.* Cum ergo ibi pronomen *ταῦτα* ad totum sermonem valedictorium præcedentem respectum habeat, ut superius ostendimus, ex eo manifestum est, etiam hoc loco per pronomen *ταῦτα* sermonem valedictorii intelligendum esse. Quia igitur valedictorius sermo in cœnaculo Hierosolymitano fuit habitus, ex eo intelligitur, etiam hanc orationem *προαγωνίαν* in cœ-

in cœnaculo fuisse à Christo recitatum, ac valedictorio sermone immediatè subiectam. Id ipsum ostendit particula copulativa &, quæ hoc loco est *καὶ*, seu temporis circumscriptiva. *Hæc locutus est Jesus, & dixit*, id est, cum hæc locutus esset, tunc dixit. Gen. 18, 10. Ex. 7, 8. Matth. 9, 7. &c. De quo verò hæc historia series nos monere possit, in ratione ordinis latè fuit expositum. Hoc loco illud duntaxat explicandum, quod huic sententiæ, quæ in cœnaculo Hierosolymitano Christum precatum fuisse asserit, repugnare videatur, quod statim additur, *Christum sublatis in cœlum oculis orasse*. Ex eo enim inferendum videtur, quod Christus non in concluso cœnaculo, sed sub diò oraverit, ex quo robur aliquod accederet Rupertì opinioni, quod hæ Christi preces sint eadem cum illis, quas in horto ad Patrem cœlestem postea fudit. At potuit Christus sublatis in cœlum oculis orare, etiam si in cœnaculo oraverit. Daniel Propheta apertis fenestris in cœnaculo orans, Dan. 6, 10. *sublatis in cœlum oculis orare potuit*. Posteriorem valedictoriæ concionis partem Christus absolverat non amplius mensæ assidens, sed stans, postquam ex mensa surrexerat, ut colligitur ex Joh. 14, 31. Quare cum in precibus non amplius ipsi negotium fuerit cum solis Apostolis, sed etiam ac vel maximè cum Patre cœlesti, quem in precibus his compellabat, ideò facie à discipulis aversà oculos in cœlum per apertas cœnaculi fenestras sustulit. 2. *Gestuum*, quibus Christus in oratione usus est, descriptio. Illi verò sunt duorum generum: 1. *Oculorum in cœlum sublatio*. Non solum aliis sanctis usitatum fuit in precibus oculos ad cœlum levare, 2. Paral. 20, 12. Pl. 121, 1. Pl. 123, 1. sed etiam ipsi Christo, Matth. 14, 19. Marc. 7, 52. Joh. 11, 41. quo gestu etiam hoc loco usus est ad testificandam *interiorem cordis sui devotionem*. Ex oculis elucet interior mentis affectus ac dispositio, quare cum oratio sit *ἀναλαβὴ πρὸς εἰς τὸν Θεόν*, ideò elevatis in cœlum oculis orare voluit, ut Apostoli intelligerent, rem maximè seriam ipsum in hac oratione agere, ac jam affectu in cœlo magis quam in terra versari. Chrysostomus homil. 79. in Joh. *Per ista erudimur, attentionem τὸ ἐξῆρες in orationibus esse adhibendam, ut stantes suspiciamus non oculis carnis tantum sed mentis*. At, inquis, Christus mentem suam nunquam habuit à Deo aversam, sed jugiter in eum intentam, sicut Pl. 16, 8. dicit: *Posui Dominum in conspectu meo semper*. Quomodo ergò tempore orationis habuit ascensionem mentis in Deum, eamque oculorum elevatione testatus est, cum non semper oraverit, & tamen ejus mens semper ad Deum fuerit elevata? Respondet Commentator Damasceni lib. 3. c. 24. *Esse, quod mentem sanctissimam Christus assidue habuerit intentam in Deum per meditationem, quia in Lege ejus meditabatur die ac nocte, & jugem contemplationem nullo quidem actu corporeo intermissam, quia oculi ejus semper ad Dominum: non tamen incessanter habuit mentem in Deum elevatam per confessionem divine laudis, venerationemq; & cultum Dei, cum sapiens aliis sanctis operibus ejus mens fuerit occupata. Adorationis autem rationem exigitur huiusmodi elevatio mentis in Deum, per laudationem Dei, adorationem ejus & honorationem*. 2. *Divinam suam missionem*. Ideò in cœlum oculos attollit, ut se à Patre cœlesti in terras missum è cœlo venisse, & illuc iterum jam properare significet. Hanc causam insinuat Johannes cap. 13, v. 1. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut*

transiret ex hoc mundo ad Patrem. v. 3. *Sciens à Deo exiit, & ad mundum venit*. Quando nos in precibus oculos ad cœlum attollimus, admonemur isthac faciei & oculorum elevatione nostræ conditionis, quod cum reliqua animalia prona terram spectent, Deus ideò homini os sublime dederit, cœlumque intueri iusserit, ut sciret, se ad cœlum & non ad terram creatum, ac in cœlo sibi domicilium æternum esse paratum. Sed quando Christus hic in cœlum oculos elevat, non solum ratione *termini ad quem* hoc accipiendum, quod per ascensionem in cœlum se profecturum significet, sed etiam ratione *termini à quo*, quod in sua incarnatione è cœlo descendit, & homo factus sit, id quod præ omnibus hominibus peculiare habet atque proprium, Joh. 3, v. 31. *Qui de cœlo venit, super omnes est*. Simon de Cassia l. 12. c. 16. *Levat oculos in regionem unde venient, ad quam erat in corpore de proximo regressurus*. 3. *Intentionis sue ad Deum directionem*. Dixerat Christus paulò ante, *se esse in Patre, & Patrem in se*, Joh. 14, v. 10. & 20. *esse non se solum, sed Patrem esse secum*, Joh. 16, v. 32. ergo quando oculos in cœlum elevat, non significat, Patrem per locorum *διαστήματα* à se remotum esse, & in cœlo quasi inclusum habitare, sed mentem & intentionem suam supra omnes res terrenas, & extra omnes creaturas elevatam ad Patrem cœlestem esse directam. Qui, quamvis præsentia majestatis ac potentia ubique præsens sit, tamen præsentia gloriæ Angelis & beatis in cœlo sese conspicendum præbeat, ac cujus majestas in creatione cœlestis opificii potissimum eluceat. Mens enim in Deum habitantem in cœlis fixè intenta cum oculis cordis simul oculos corporis eò evehit, Pl. 123, v. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*. Inde Calvinus ipse in hunc locum sic commentatur: *Cœlum respexit, non quod illic inclusus sit Deus, qui terram quoque implet: sed quia illic præcipue apparet ejus majestas, deinde quia cœlorum conspectus nos admonet, supra omnes creaturas longè eminere Dei Numen*. 4. *Pie precationis naturam & conditionem*. Vera & pia precatio non debet proficisci ex corde terrenis affixo, sed ad Deum, cœli terræque creatorè elevato. Hæc notitia homini etiam per naturam est insita, unde ipsimet Gentiles naturà quasi duce oraturi oculos & manus in cœlum elevant. 5. *Fiduciam cordis sui exultationem*. Oculos in cœlum attollit, ut ostendat, se certissimam habere eorū, quæ petit, impetrandorum fiduciam, ut colligitur ex Joh. 11, 4. *Elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me*. Se ipsum per elevationem oculorum excitando nos excitare cupit, ut ex fervore Spiritus orantes preces nostras Deo gratas esse, & ab ipso exauditas iri firmà cordis fiducià statuamus. Et quia oculorum elevatio est signum lætitiæ & exultationis, sicut contra faciei & oculorum in terram demissio tristitiæ: ideò hoc gestu admonere nos voluit, erecto & lato vultu cum magna impetrandi fiducia gloriam Deo per preces esse dandam. De publicationo, Luc. 18, 12. dicitur, *quod non fuerit ausus oculos suos in cœlum levare, quod erat indicium trepidationis: sed Christus certò confidens, se & preces suas Deo placere, oculos suos in cœlum elevat*. Albertus in hunc locum: *Aliud est in oratione Salvatoris, aliud in oratione peccatoris. Peccator indignitatis sue conscius, non presumit, quod ad locum sanctitatis conspectum statim dirigere audeat, atque ideò humiliter vilitatem suam re-*

cognoscendo oculos deprimat. Non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cæli præ multitudinem iniquitatum mearum, inquit Manasses in sua oratione. In oratione autem Salvatoris dignatio est, quod pro suis orat, & ille ad locum dignitatis respiciendo suos dirigit, quos etiam presidio orationis extollit. Ubi tamen notandum, Christum in horto orantem itidem non solum genua flexisse, Luc. 22. v. 41. sed etiam in faciem procidisse, Matth. 26, 39. Marc. 14, 35. non ob peccatorum propriorum sensum, sicut Manasses & publicanus, sed ob pondus alienorum peccatorum sibi impositum, & ad seriam humiliationem propter nos, & nostram salutem in se susceptam testificandam. Colligitur ergo ex hoc loco, quid de gestibus in precatione adhibendis sit statuendum. Quamvis non sit simpliciter necessarium, ut in oratione externos quosdam gestus adhibeamus, cum oratio (quippe quæ est mentis ad Deum elevatio, & colloquium cordis cum Deo) etiam sine externis gestibus, ac inter dum solis cordis gemitibus peragi possit: interim tamen exemplum Christi, qui hoc loco oraturus oculos in cælum attollit, in horto genua flectit, & in faciem procidit, Heb. 5, 7. cum lachrymis supplicationes Deo obtulisse dicitur; ac Matth. 27, 46. manibus in cruce expansis orat: ac aliorum sanctorum exempla, qui manus suas in precibus elevarunt, Ex. 17, 11. 2. Paral. 6, 13. Psal. 63, 5. Psal. 141, 2. Thren. 3, 41. 1. Tim. 2, 8. &c. flexis genibus, & in terram proidentes orarunt. Matth. 2, 11. Marc. 1, v. 40. Luc. 5, 12. Act. 9, 40. &c. manifestè testantur, in feris & ardentibus precibus cum interiore cordis devotione etiam exteriores oculorum, manuum & totius corporis gestus ut plurimum esse conjunctos. Chrysostomus, in homilia de Verbis Christi: Veri adoratores in Spiritu adorabunt: Cum manus expandis, pectus aperis, faciem in calum erigis, & oculos aperis, quid aliud facis, quam ut totum hominem Deo ostendas? Externi illi gestus interioris devotionis non solum sunt signa & indicia, sed etiam *ὁμολογήματα* & effecta. Sic oculorum elevatio testatur, mentem nostram ad Deum esse elevatam, genuflexio testatur, nos cordis genua coram Deo flectere, Eph. 3, v. 14. prolapsus in terram, animi dejectionem manifestat, quod agnoscamus, nos esse pulverem ac cinerem, Gen. 18, 27. quæ de re præclare disserit Augustinus, lib. de cura pro mortuis, cap. 5. *Orantes* (inquit) *de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat bis indicis, ut humanus ei pandatur animus, sed bis magis seipsum excitat homo ad orandum, gemendumq; humiliter atq; ferventius. Et nescio, quomodo cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent, ista præcessit, quia facta sunt, crescit. Atque ut in specie de oculorum in cælum elevatione dicamus, illa præter usus superius enumeratos excitat nos, ut sublimem & augustam cæli fabricam considerantes in opificis notitiam penetremus, & in cælum suspicientes ad promissam felicitatem cælestem anxie suspiremus, quæ de re Dionysius in hunc locum sic commentatur: *Debemus in orando oculum mentis ad Deum dirigere cum magna intentione, atq; ut hoc perfectius faciamus, debemus oculos corporales ad calum**

Harm. Tom. III. vel Gerh. Contin. pars tert.

materiale levare, quatenus inspicendo magnificentum Dei opus & habitaculum ejus, excitemur ad speculationem divine creatricis, atq; in cælo habitantis majestatis, cælestium quoque gaudiorum memoriam. Interim sedulo cavendum, ne in externis duntaxat gestibus subsistamus, iisque singulare quoddam meritum tribuamus, quod est hypocritarum, sed simul cum manibus etiam corda nostra ad Deum elevemus, Thren. 3, v. 41, ac cum genibus corporis etiam genua cordis flectamus, Eph. 3, v. 14. neve unum vel alterum eorum simpliciter necessarium statuamus, nam Christus etiam stans oravit, Joh. 11, 41. ac Marc. 11, 25. dixit, cum stabitis ad orandum, dimittite: nec minus Deo placet, si ex vera animi demissione propter conscientiam peccatorum inter orandum oculi in terram conjiciuntur, quam si ad cælum eleventur.

2. *Sonora precum enunciatio.* *Sublatis in cælum oculis dixit.* Chrysostom. hom. 82. in Joh. verbum *εἶπε* exponens per *ἐλάλησε*, ex eo colligit, totum hoc caput 17. Joh. continere non *εὐχὴν*, precationem, sed *λαλῶν*, informativam concionem. *Quid dicis* (inquit) *Patrem oraverat. Quare non dicis, post orationem in hortum ipsum venisse? quia non oratio, sed sermo fuerat ad discipulos.* tractat. 79. præced. Evangelista *ἔτι τὸ πρῶτον* non vocat *εὐχὴν*, sed magis *διὰ λέξιν πρὸς τὸν πατέρα*: Chrysostomum hac in parte sequitur Cajetanus. At Christus ipse satis perspicue testatur, non solum oculis in cælum elevatis, sed etiam expressis verbis, se ad Patrem cælestem preces fundere. *Rogo pro eis, v. 9. non pro eis tantum rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per sermonem ipsorum, v. 20. nec potest contrarium colligi ex verbo εἶπε.* Quamvis enim non repugnemus, quod minus illud per *ἐλάλησε* exponatur, cum ex v. 13. hæc expositio probari possit, tamē ex eo inferri nequit, Christum hic non precari, sed concionari. Neque enim opplita sunt *εὐχὴ* & *λαλία*, sed sibi invicem subordinantur. Ubi *εὐχὴ*, ibi potest esse *λαλία*, & ubi *λαλία*, ibi potest esse *εὐχὴ*. Luc. 1, 64. & 67. verbum *λαλεῖν* & *εἶπεν* de Cantico Zachariæ evangelistico usurpatur. Joh. 11, 41. de Christo dicitur: *Elevatis sursum oculis εἶπε, Pater, gratias tibi ago.* Confer Matth. 11, 24. Eph. 5, 19. Nequaquam igitur ex verbo *εἶπε* vel *ἐλάλησε* colligi potest, non fuisse hanc proprie dictam precationem, cum omnia veræ precationis requisita in genere considerata ei conveniant ut Commentator Damasceni loco proxime citato ostendit. Illud verò rectius ex verbo *εἶπε* colligitur, quod hæc fuerit aperta, & non silens oratio, voce audibili & clarâ prolata, ita ut Apostoli ad unum omnes omnia percipere potuerint. Monuimus superius de hac Christi precatione. haud absurdè accipi posse dictum, Heb. 5, 7. quod Christus cum precibus & clamore valido supplicationem Patri cælesti obtulerit, quod non est de incondito clamore, sed sonorâ voce accipiendum. De Mose, qui in miraculosa Israëlitarum ex Aegypto eductione typū Christi gessit, Ex. 14, 15. dicitur, quod urgentibus à tergo hostibus solo mentis affectu & interioribus cordis gemitibus ad Dominum clamaverit: sed Christus hoc loco voce audibili & clarâ preces suas recitare voluit, 1. *Ob discipulorum suorum consolationem.* Hanc causam tradit ipse Christus, v. 13. *Hæc loquor in mundo, ut gaudium meum habeant implerum in semetipsis*, id est, ut ex his precibus meis verum solatium & solidum cordis gaudium in omnibus periculis & adversis capere possint. Et quia non solum pro Apostolis, sed etiam pro omni-

VVVVV 4

mni-

mnibus per sermonem ipsorum credituris oravit, v. 20. ideo etiam propter nos hanc orationem clarâ voce audientibus discipulis protulit, eandemq; per Johannem in literas redigi curavit, ut in omnibus tentationibus & persecutionibus consolationem ex ea capere possimus. 2. *Ob eorundem informationem.* Monuimus superius, hanc Christi orationem esse totius doctrinæ cœlestis epitomen ac summarium, atque ipsa ἐξηγησις manifestum faciet, multa in hac precatione dici non tam ad Patrem cœlestem exorandum, quàm ad discipulos informandum. Ergo etiam eo fine præsentibus & audientibus Apostolis sonorâ voce Christus orare voluit, ut de summis illis fidei mysteriis ipsos informaret. August. tract. 104. in Joh. *Potent Dominus noster orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset, nostrum se esse Doctorem.* Glossa ordinar. in hunc locum: *In orando est etiam Doctor, & notam facit orationem, quæ & presentium & futurorum est edificatio.* 3. *Ad testificandam interiorum devotionem.* Ideo non solum mentis affectu, sed etiam verbis precari voluit, ut hanc verè seriam & ardentem orationem esse intelligeremus, ex abundantia enim cordis os loquitur, Matt. 12, 33. ac de magnitudine rerum, quæ petuntur, admoneremur. 4. *Ad insinuandam animæ suæ angustiam ac perturbationem,* Johan. 12, 28. petiturus, ut Pater cœlestis glorificet nomen suum, præmittit: *Nunc anima mea turbata est; ita quoq; hoc loco precaturus pro sui glorificatione, sonorâ voce orat, ut animæ suæ angustiam ostendat, unde etiam paulò post in horto dicit, Matt. 26. v. 38. Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Quamvis enim animæ angustia ac doloris gravitas interdum linguam ita constringat, ut nullam possit vocem eedere, Job. 2, 13. Ps. 22, 16. Ps. 39, 3. tamen mentis generosæ, ac magni animi ea indoles atq; is impetus est, ut in rebus arduis sese continere nequeat, quin in mediis angustis aliquando in vocem erumpat, unde in Psal. 39, 4. additur: *Concaluit cor meum, & in meditatione mea exardescet ignis.* vers. 5. *Locutus sum lingua meâ.* 5. *Ad conformandam nostram orationem, ut hoc exemplo doceamur, non tantum interiore cordis affectu, ac tacitis gemitibus, sine intermissione orandum esse, Luc. 18, 1. 1. Theff. 5, 16.* sed etiam certum constitui oportere tempus, in quo sonorâ voce preces nostras devotè recitemus. Augustinus Epist. 121. ad Probam cap. 9. *Quod ait Apostolus, sine intermissione orate: quid est aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla nisi eterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus & oremus semper: sed ideo ab aliis curis atq; negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, & intendere, ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur.* Ejusmodi vocalis oratio cum interiore devotione conjuncta, & ex vera fide profecta magnum omninò præstat commodum. Nam primò hac ratione mentes nostræ intra metas continentur, ne evagentur. Facili negotio contingere potest, ut in precibus mens nostra evagetur, ibi verò externus verborum ex ore Christi defumtorum sonus eam quodammodo intra se revocat, & in attentione conservat. Amisso, vel intermisso Verbo perit devotio, sed per Verbi meditationem ac recitationem Spiritus no-

ster excitatur. Secundò, publicum hoc modo edimus testimonium, quod non pudeat nos orationis, quæ est species confessionis, Dan. 6, 10. Tertiò, exemplo nostro proximum ad divini nominis invocationem, quæ est summus Dei cultus, invitamus. Nequaquam igitur cogitandum, quod Christus absolute & simpliciter prohibere voluerit, quò minus voce sonorâ audientibus aliis oremus, quando præcepit, ut oraturi nostrum cubiculum intremus, ac clauso ostio in abscondito Patrem cœlestem oremus, Matth. 6, 6. Nam in cap. 5. præcedente v. 16. dicit: *Lucaat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Jam verò ad classem bonorum operum etiam oratio referenda, ac publicanus in templo orans à Deo fuit exauditus, Luc. 18, 13. Scopus Christi est, ab hypocritis Pharisæica nos dehortari, ut sit sensus, tantum abesse debet, ut in publicis plateis, more Pharisæorum hypocritarum, ad aucupandam apud homines sanctitatis gloriam, orare velis, ut cubiculum tuum potius intrare, eoq; clauso orationem tuam Deo offerre debeas. Præterea Christus hic loquitur de precibus privatis, non autem de illis, quæ sunt in publicis Ecclesiæ conventibus. Ambros. lib. 6. de Sacram. c. 3. per cubiculum intelligit cordis secretum. *Potes, inquit, ubiq; orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubiq; cubiculum tuum. Esti inter Gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen tuum ubiq; secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum secretumq; tuum conservas.* Eodem modo exponit Augustinus, Conc. 3. in Pl. 33. *Cum intras in cor tuum, intras in cubiculum tuum.*

Sequitur ipsa precatio Filii Dei tribus constans membris, in quorum primo pro sui glorificatione; in altero pro Apostolorum custoditione; in tertio pro totius Ecclesiæ conservatione orat. De primo membro in hac agemus pericope. Partes ejus sunt quatuor: 1. *Exordium.* *Pater, venit hora.* Sicut in exordiis auditorem benevolam & attentum reddere solemus, ita quoq; ἀγαθολογίας & ἀθροισμαβίας loquendo Christus in hac admirabili oratione nomine Patris æternum suum progenitorem paterni & benevoli affectus quasi admonere, per adventum verò horæ ipsum quasi attentum reddere voluit, quamvis interim verissimū sit, Patrem cœlestem erga dilectum suum Filium semper gerere benevolam affectum, & ad preces illius ac omnium piorum nunquam non esse attentum. Nomen Patris de Deo usurpatum in Scripturis accipitur, vel ἐπιθετικῶς, essentialiter, quatenus est tribus Deitatis personis commune, vel προσωποποιητικῶς, personaliter, quatenus primæ Deitatis personæ peculiariter tribuitur. Hoc loco ὑποστατικῶς accipitur, ut apparet ex toto contextu, cum primis ex v. 5. ubi Christus dicit, se apud Patrem habuisse gloriam prius quam mundus esset, quod congruit cum verbis Evangelistæ, Jo. 1, 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Itemq; ex v. 21. ubi dicit, se esse in Patre, & Patrem in se. v. 22. se esse unum cum Patre, quorum utrumq; de Patris & Filii ὁμοουσιου accipiendū esse, inferius demonstrabitur. Nascitur ex his tale argumentum: Ubi Filius dicitur apud Patrem ab æterno fuisse, esse in Patre, esse unū cum Patre, ibi nomen Patris accipitur ὑποστατικῶς, ut constat. Jam verò in his precibus Christus dicit, se habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus esset, ac proinde se apud Patrem ab æterno fuisse, se esse in Patre, & unum cum Patre. Ergo in his precibus

bus nomen Patris *in nos* accipitur. Neq; tamen cogitandum, nomine Patris *in nos* licet accepto, ab objecto hujus precatiois Filii & Spiritus S. Deitatem excludi, siquidem Filii & Spiritus S. unam numero divinam essentiam cum Patre commune habent, ac proinde nominato in precibus Patre reliquæ duæ Trinitatis personæ Filius & Spiritus S. nequaquam excluduntur vel separantur, sed potius includuntur, id quod definitio Patris luculentè ostendit. Pater enim est prima Deitatis persona, quæ ab æterno genuit Filium, & à qua ab æterno procedit Spiritus S. Ergo ut Pater, Filius & Spiritus S. sunt inseparabiles ratione essentia, ita quoq; inseparabiles sunt in cultu adorationis. Cyrill. lib. 10. Theauri cap. 9. *Quicquid à Patre ut homo petit, à seipso quoq; ac Spiritu sancto petit*: ac probè notandum, quòd quemadmodum hoc loco Christus à Patre glorificari petit, ita Joh. 16, 14. de Spiritu S. dicat, quòd se sit glorificaturus. Ergò à glorificationis opere non est exclusus Spiritus S. ac proinde etiam ab objecto precatiois non est excludendus. Atq; hoc verè mirabile est, & omnem humanum excedit intellectum, quòd divina Filii natura est una numero cum Deitate Patris, quem Filius hic in precibus suis compellat, quòdque eadem divina Filii natura personaliter unita est humanæ naturæ; juxta quam Filius hic in precibus suis coram Patre sese humiliat. Filius Dei essentialiter est unum cum Patre, quem orat; & personaliter est unum cum Filio hominis, qui orat, id quòd preces hasce verè mirabiles ac singulares reddit. Notandum verò, quòd non dicat, *Pater noster*, prout nos orare docuit, Matth. 6, 9. Luc. 11, 2. sed simpliciter dicit, *Pater*, ac postea emphaticè addit, *glorifica tuum Filium*. Quamvis enim Pater cœlestis etiam noster Pater sit, tamen aliter ille, qui hic loquitur, aliter nos filii sumus. Ille naturalis, nos adoptivi. Hilarius lib. 3. de Trinit. *Non solum nomine contestatus est, se esse Filium, sed & proprietate, quâ dicitur suum. Multi enim nos Filii Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & verus & proprius est Filius origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.* Augustinus, tractat. 21. in Joh. *Non sicut ille Christi Pater, ita & noster Pater. Nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos & se. Ille enim Filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre, Patriq; coæternus: nos autem facti per Filium, adoptivi per unicum.* Proinde nunquam auditum est de ore Domini nostri Jesu Christi, cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo, Patre suo, *Pater noster*, sed aut *Pater meus dixit, aut Pater vester. Pater noster non dixit, usq; adeo ut quodam loco (Joh. 20, 17.) poneret hæc duo: Vado ad Deum meum, inquit, & Deum vestrum. Quare non dixit Deum nostrum? Et Patrem meum dixit, & Patrem vestrum; non dixit nostrum. Sic jungit, ut distinguat, sic distinguit, ut non se jungat. Unum nos vult esse in se, unum autem Patrem & se.* Quando ergo preces suas suavissimo Patris nomine Christus orditur, tunc *in veram suam Deitatem* demonstrat. Eum, quem in precibus suis compellat, vocat Patrem, quia secundum divinam suam naturam ex ipsius essentia ab æterno est genitus, ac proinde est essentialiter ejus Filius. Et quia in plenitudine temporis humanam naturam in personæ suæ unitatem assumpsit, ideò secundum assumptam humanitatem personaliter est Dei Filius per gratiam non adoptionis, sed personalis unionis. Matth. 11, 24. Christus Patri suo cœlesti

hisce gratias agit verbis: *Confiteor tibi, Domine, cœli & terre &c.* ut, se verum hominem, ostendat, sed hoc loco dicit: *Pater, glorifica Filium tuum*, ut se verum & æternum Dei Filium, ac proinde verum Deum, demonstret. Cyrillus, lib. 1. thesauri c. 6. *Majus est Deo, esse Patrem, quam esse Dominum. Nam Dominus respectu creaturarum dicitur, ac Pater respectu Filii. Majus est autem Deo, Filium genuisse, quam omnes creaturas fecisse, respectu quarum Dominus est*: Sic ergo Christus hac compellatione præ omnibus creaturis Patrem propriâ & peculiari ratione sibi vindicat, tum propter æternam ex ipso generationem, tum propter personalem humanæ naturæ cum divina unionem. 2. *Benevolentiam Patris* sibi comparat. Pater cœlestis *semper diligit Filium*, Joh. 3, v. 35. ut non fuerit opus benevolentiam Patris de novo sibi conciliare, interim tamen suavissimo Patris nomine, Christus hujus amoris & benevolentia ipsum quasi commonere voluit, suavissimum enim est Patris nomen, tum oranti, propter affectus significationem, tum ei, qui adoratur, propter honoris & observantia exhibitionem ac subjectionis declarationem. 3. *Fiduciam* suam declarat. Aderat in proximo passionis hora, in qua Pater cœlestis potius severum judicem & vindicem, quam benignum Patrem erga Filium sese ostendit, propter peccata totius humani generis ipsi imposita, Ef. 5, 3, 4. & 10. Zach. 1, 3, 7. sed Christus nihilominus eum vocans Patrem tum suam erga Patrem obedientiam ac reverentiam, Mal. 1, v. 6. Phil. 2, 9. tum firmam cordis sui fiduciam hac appellatione declarat, quasi dicat: *Novi equidem, venisse horam, in qua in me tanquam constitutam ab æterno victimam tota moles iræ tuæ divinæ derivabitur, & omnes fluctus furoris tui instar torrentis effundentur: sed propterea non recusabo obedientiam, nec abjiciam cordis mei fiduciam; certissimus enim sum, quòd nihilominus cor tuum paterno & ardentissimo amoris affectu, imò incendio erga me flagret, nec dubito, quin Pater meus sis, ac maneas, meq; ferventissimis amoris flammis unice diligas, etiamsi me, filium tuum, percutias, cædas, flagelles, morti objicias, & in pulverem ponas. Ac sicut Christus voce Patris testatur, se de Patris amore & benevolentia etiam in media passione esse certum; ita quoq; eadem declarat, se Patrem etiam percutientem & flagellantem sincero & non simulato amore complecti, se non propterea eum odisse, quòd patiat, ipsum tam indignis modis tractari & affligi, sed voluntati & decreto reverenter se subicere, ac typum Isaac, voluntati Patris promtè obsequentis, ac morti sese spontè subjicientis, implere, Gen. 22, 9. quin & certam se fovere fiduciam, quòd preces suas velit exaudire, in proximè instante passionis hora se sustentare, consolari, juvare ac liberare.* 4. *Exauditionis argumentum* suppeditat, *Pater, inquit, glorifica Filium tuum*. Ut in Patris, ita quoq; Filii nomine, magna est emphasis. Tu Pater es, ego Filius, inter me & te, utpote inter Patrem & Filium mutuus viget amor, & quidem ardentissimus. Ergo æquum est, ut pro paterno tuo amore preces meæ exaudias, me sustentens, liberes ac glorifices. In humanis Patres nihil denegant precantibus liberis, Matt. 7, 9. Luc. 11, 11. Quare cum peculiari & propriâ ratione sis Pater meus, ex quo omnis paternitas in cælo & terra nominatur, Eph. 3, 15. ideò æquum est, ut preces filiales non repellas. 5. *De vero tempore* modo nos informat. Ostendit enim,

enim, ad veram & Deo gratam orationem requiri, 1. ut non vagemur mentibus nostris, nec fluctuemus cogitationibus ac dubitationibus, ignorantes, qui ille sit, quem invocamus, sicut Ethnicus ille apud Poëtam inquit: *Invoco Te, ô Numen, quodcumq; eandem es*: sed quod oporteat in precibus nostris compellere verum Deum, qui in Verbo suo sese sic patefecit, quod sit *Pater Domini nostri Jesu Christi* &c. 2. ut preces nostras dirigamus non ad ficticia numina, nec ad Angelos, nec ad demortuos sanctos, sed ad Patrem nostrum cœlestem. 3. Ut in vera fiducia oremus, ac sciamus, nos invocare Deum, qui in *Christo, dilecto suo Filio, nos dilexit, ante facta mundi fundamenta*, Eph. 1, 6. qui in filios suos nos adoptavit, ac Spiritum *ipsius* nobis donavit, qui paternum erga nos gerit animum, ac cœlestem hæreditatem nobis promisit, quem proinde juxta ipsius Christi non solum exemplum, sed etiam mandatum, ut Patrem nostrum invocare possumus. De hac paterna Dei voluntate etiam inde certi esse, ac fiduciam exauditionis concipere possumus, quod non licet dubitare, Christum bona illa, quæ à Patre cœlesti nobis petiit, impetrasse, cum tanquam unicus & unigenitus Patris cœlestis Filius ardentissimo amore ab ipso diligitur, neq; quidquam ab eo ipsi denegari possit, Johan. 11, 42. De his omnibus Christus nos admonet, quando preces suas à suavissimo Patris nomine exorditur. Insuper etiam suo nos docet exemplo, quod in adversis Deo in vera patientia nos subjicere, ac filialem obedientiam ipsi præstare debeamus, quodque in ipsa etiam morte certò statuere debeamus, Deum paternum erga nos gerere animum, ut ut carnis noster sensus repugnet.

Patris nomini subjungit Christus. *Venit hora*. In Græco est *ἡ ὥρα*, illa hora, scilicet in æterno Trinitatis consilio decreta ac constituta. Athanas. Serm. 4. contra Arianos, p. 283. de novissima mundi hora videtur accipere. *Certè* (inquit) *in Evangelio, ubi de se humano more loquitur, Pater, inquit, venit hora, glorifica Filium tuum, clarè præ se tulit de ultima hora universitatis, ejusq; sine se loqui. Sanè usitatum est in Scriptura, totum illud tempus, quod inter primum & secundum Christi adventum intercedit, vocari novissimam horam*, 1. Joh. 2, 18. sed eò Christus hoc loco minimè respicit. Hilarius, lib. 3. de Trinit. de hora glorificationis intelligit: *Non diem, inquit, non tempus, sed horam venisse dicit. In hora diei portio est. Et qua hæc erit hora? nempe illa, de qua in tempore passionis discipulos confirmans locutus est. Ecce venit hora, ut Filius hominis glorificetur*, Joh. 12, 23. Præbet hæc sententia salutarem doctrinam, quod Christus in instante tempore passionis dicens, *venisse horam glorificationis*, moneat nos, quod passio & crux non ipsi solum fuerit, sed etiam nobis futura sit gloriæ initium, Luc. 24, 46. Act. 14, v. 22. Hanc expositionem non simpliciter repudiamus, interim addimus, primariò ac principaliter Christum loqui de proximè imminente *hora passionis & mortis*, consequenter & secundariò de *hora glorificationis*, horam passionis & mortis statim infecta, quarum utraq; divinitus fuit præordinata. Hæc expositio probatur tum ex hac ipsa prece, quia in v. 11. additur: *jam non sum in mundo*. v. 13. *nunc ad te venio*, id est, in propinquo est, ut per passionem & mortem ex hoc mundo abeam, mundanam conversationem deponam, & in gloriam meam cœlestem intrem: tum ex aliorum locorum collatione,

Matth. 26, 45. cum proditor jamjam adventaret, ut Magistrum in manus hostium traderet, dicit Christus: *Ecce appropinquavit hora*. Marc. 14, 35. orat Christus, *ut transeat ab ipso hora*, videlicet hora passionis & crucis. v. 41. inquit: *Venit hora*. Luc. 22, 53. dicit Christus ad hostes, qui ad se captivandum venerant: *Hæc est hora vestra*. Joh. 7, 30. dicit Evangelista: *Quærebant eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus*. cap. 8, 20. *Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus*. cap. 12, 27. orat Christus: *Pater, salva me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam*. cap. 13, 1. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut ex hoc mundo ad Patrem transiret*. cap. 16, 32. *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisq; in propria*, in cuius loci expositione rationem attulimus, quare Christus in præterito non ibi solum, sed etiam hic dicat, *venisse horam*, quæ in propinquo aderat. Quando ergò Christus dicit, *venisse horam*, 1. iterum demonstrat, veram suam Deitatem. Nondum aderat Judas proditor, vel cohors militaris, interim Christus in luce divinæ suæ omniscientiæ videt, in propinquo adesse passionis horam. Simon de Cassia, lib. 12. c. 16. *Pronunciat ut agonis sui agonis præcognitor, quia venit hora certaminis*. 2. Docet, tempus passionis & mortis suæ in æternæ Trinitatis consilio esse decretum, quod non potuerint hæctenus hostes sanguinolentis suis consiliis antevertere. Augustinus, tractat. 104. in Johan. *Ostendit omne tempus, & quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est, quoniam quæ futura erant, per singula tempora in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Nec siderea necessitas Christi connexionem passionem, absit enim, ut sidera mori cogere siderum Conditorum. Non itaq; Christum tempus, ut moreretur, impegit, sed tempus Christus, quo moreretur, eligit, qui etiam tempus, quo de virgine natus est, cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est. Et postea: *Venit hora, quam propter homines, & apud homines, ad me clarificandum simul constituimus. Glosa ordinaria in hunc locum: Venit hora, non urgente fato, sed disponente Deo, qui sine tempore ordinavit omnia, quæ sicut per tempora ordine congruo. Ut autem passionis Christi hora fuit divinitus prædefinita: ita quoq; tempus nostræ passionis & crucis est à Deo ab æterno constitutum, Rom. 8, 29. antequam illud adsit, nullus hostium ne pilum quidem evellere nobis poterit, sicut de Christo dicitur: Joh. 7, v. 30. cap. 8, 20. *Nemo in eum manus misit, quia nondum venerat hora ejus*. 3. Ostendit, se spontè adire passionem. Noverat, adesse horam, & tamen non quarit latebras vel secessus, sed seipsum spontè ad passionem offert. *Venit hora*, inquit. Ergo etiam ego venio, *delector facere voluntatem tuam*, Pf. 40, v. 9. & 10. *paratus sum meipsum hostibus & morti obicere, tibiq; Patri meo cœlesti usq; ad mortem obedire*, Chrys. hom. 79. in Joh. & ex eo Theoph. in hunc loc. *Ostendere volens, quòd non invitatus, sed sua sponte ad passionem accedat, dicit, Pater, venit hora. Ecce enim ut optabile hoc desiderat, & gloriam vocat. Quòd si & nos ex signis minimè dubiis animadvertamus, adesse horam passionis, voluntati divinæ in vera humilitate & patientia exemplo Christi nos subjiciamus, ac quæ mutari non possunt, æquo animo feramus, divini consilii meditatione crucem lenientes. 4. Novum exauditionis argu-***

argumentum affert: *Venis hora*, id est, imminet agone omnium gravissimus, in quo cum diabolo, & tota infernalium hostium phalange, mihi erit decertandum, in quo tota moles peccatorum totius humani generis, ac iræ divina peccatis illis debita in me incumbet, *Eccl. 5. 3. 6.* in quo maledictio Legis, angores verè infernales, tentatio de subtractione divini auxilii & derelictione, ignominia & contemptus, furores ac virulenti sarcasmi hostium, laceratio membrorum & nervorum totius corporis, mors ignominiosa & maledicta mihi erunt sustinenda, in qua mala me comprehendunt, quorum non est numerus, *Psal. 40. vers. 4.* idèo necessaria mihi erit tua præsentia ac tuum auxilium. Adest tempus, quo propter sollicitationem satisfaciendi pro peccatis hominum, & redimendi genus humanum gravissima tempestas in me irruet, idèo ad te per preces confugio, & liberationem à te expecto, *Ps. 69. 3.* *Infixus sum in limo profundi, & non est statio, &c.* *vers. 14.* Ego verò oro, id est, ardentissimè ad te oro. Sic ergò dum meminit *hora*, in qua redigendus sit in maximas angustias, ardentissimè expetit intentas ad deprecationem suam cœlestis Patris aures, *Ps. 69. 15.* Admonet Patrem promissionis, *Joh. 12. 28.* quod uti hæcenus ipsum variis modis glorificaverit, ita etiam porro se eum glorificaturum promiserit, ac petit, ut Pater cœlestis promissionis hujus memor eandem ipso effectu compleat. 6. Glorificationem, quam petit, secundum humanam naturam sibi competere ostendit: *Constans & firma est regula piæ antiquitatis: Quæcumq; in tempore Christi dantur, ea secundum humanam naturam ipsi dantur, cum secundum divinam naturam invariabiliter omnia cum Patre habeat communia, ut nec addi, nec adimi quicquam illi possit.* Quia ergò expressè hoc loco meminit *hora*, eo ipso ostendit, gloriam illam, quam petit, sibi ut homini tribuendam petere. *Ambrosius, lib. 5. de fide cap. 2.* *Utique cum & horam venisse commemoret, & clarificari petit, quomodo nisi secundum carnis assumptionem locutum eum convenit estimari? Nam nec ulla sibi temporum præscripta momenta divinitas habet, nec clarificatione indiget lumen æternum.* 7. Nomine *hora* indicat, passionem & mortem citò transituram. Christus in passione de torrente bibit, *Psal. 110. v. 7.* Torrens abundat aquis, sed quæ citò defluunt, sic Christi passio fuit maxima, simul tamen brevissima, quod ipsum etiam nos in cruce debet ac potest solari, *2. Cor. 4. 17.* 8. Docet, per providentiam & decretum divinum non tolli preces. Meminit certæ divinitus constitutæ *horæ*, ac certus est de salutari passionis eventu, interim pro sui glorificatione ardentè precatur. Ergo per Dei providentiam, decretum & promissiones non abolentur preces & alia pietatis exercitia, cum decretum divinum, quo nos liberare & salvare constituit, non sit absolutum, sed includat ordinem divinitus constitutum, quod Deus ad se clamantes liberare & salvare velit. Ergò quando præstò est calamitatis *hora*, non maceremus nos cogitationibus de arcano & abscondito Dei decreto, quid de nobis ab æterno constituerit, quem exitum nostra crux habitura sit, sed juxta Christi exemplum per ferias preces ad Deum nos convertamus, certò credentes, quod in *hora* crucis & mortis non solum nos conservare, sed eandem etiam in horam lætitiæ & vitæ immutare velit.

2. *Propositio. Glorifica Filium tuum. De gloria*

tionem Filii diximus superius in cap. 147. Harm. in explicatione *Joh. 12. v. 21. & 28.* Itemq; in cap. 172. Harm. in explicatione *Joh. 13. v. 31. & 32.* Hoc loca tria expendenda veniunt: *A quo Christus petit, quid petit, & cui petit.* 1. Petit Christus, se glorificari à Patre suo cœlesti, ut patet ex verbis proximè antecedentibus, *Pater, venis hora. Joh. 12. 28.* dicitur, quod circa montem oliveti ante quadrimum vox è cœlo ad Christum venerit: *Et glorificavi, & rursus glorificabo.* Hæc promissione Patris cœlestis Christus in precibus suis nititur, ac petit instante jam passionis horâ eam ipso facto impleri. Ut autem superius monuimus, nomine Patris *τοῦ οὐρανοῦ* licet accepto, ab objecto petitionis non excludi divinam Filii & Spiritus sancti naturam, quippe quam cum Patre numero eandem obtinent: ita quoq; hoc loco notandum, quod glorificatio, quam Christus petit, sit opus non solum Patris, sed etiam Filii & Spiritus sancti, cum non sit opus ad intra uni duntaxat personæ Deitatis proprium, sed opus ad extra omnibus tribus Deitatis personis commune, (quamvis à reliquis operibus ad extra in eo distinguatur, quòd perinde ut incarnatio sit opus ad extra, quoad effectivum sive productionem, non autem quo ad terminationem, ac proinde sit opus trium personarum efficienter & inchoativè, solius autem Filii formaliter & terminativè, unde à quibusdam vocatur mixtum, cum sit opus ad extra ratione initii, opus ad intra ratione termini.) Ergo non solum Pater glorificat Filium, sed etiam Filius glorificat seipsum. Quemadmodum enim Pater resuscitasse dicitur Filium, *Eph. 1. v. 20.* ac nihilominus Filius propriâ virtute seipsum resuscitavit, & ex mortuis surrexit, *Johann. 10. v. 18.* quemadmodum etiam Pater exaltasse dicitur Filium, *Philip. 2. v. 10.* ac nihilominus Filius seipsum exaltavit, quando ad dextram Dei confedit, *Marc. 16. v. 19.* *Hebr. 1. v. 3.* cap. 8. v. 1. *1. Petr. 3. v. 22.* sic Pater glorificavit Filium, ac nihilominus Filius Dei seipsum glorificavit, quippe qui omnia, quæ Pater facit, *ὁμοίως* facit, *Johann. 5. v. 19.* *Athanasius, Orat. 2. contra Arianos: Admirabile est, quod Filius cum Patre donat, ad idem cum sit Filius à seipso accipit, eò quod corpus ista recipiat.* *Cyrillus, lib. 8. Theauri cap. 1.* *Ut homo per gratiam à Deitate accipit, quæ ut Deus naturaliter habet. Quare à se quoq; ipso ut à Deo ipsemet accipit ut homo. Nam si omnia Pater per Filium facit, necesse est, credere, quod ipse sibi exaltationem dedit, & gratiam Patris Deificato assumpto templo.* *Leo, Epist. 41.* *Quæ Filius Dei in formâ servi à Patre accepit, eadem in formâ Dei etiam ipse donavit.* De Spiritu sancto manifestum extat testimonium, *Joh. 16. v. 14.* *Ille me glorificabit.* Ergo ab opere glorificationis Spiritus sanctus non potest separari. Idèo verò Patri glorificationis opus hoc loco à Christo tribuitur, quia ut Pater est fons Deitatis, & in ipso est *πηγὴ αἰθέρας*, ita est fons nostræ redemptionis ac salutis, & ut Pater *λόγος ἀσώρευτος* per æternam generationem suam essentiam, & omnia essentialia attributa communicavit, ita quoque *λόγος ἐσώρευτος* in respectu ad unionem *λόγους* & carnis, omnia in manus dare dicitur. At, inquis: *si Filius seipsum glorificandi potestatem habet, cur à Patre glorificari petit?* Respondet ipse, *Joh. 5. v. 19.* *Non potest Filius à se quicquam facere.* cap. 8. v. 29. *Ego ex me ipso facio nihil.* Ut ergo alibi suam doctrinam & miracula, ita quoque hoc loco sui glorificationem ad Patrem refert, utpote

utpote quem habet dictorum, factorumq; suorum fontem. Eo ipso quoq; evidentius docet, glorificationem illam humanæ suæ naturæ se à Patre petere. 2. Petit Christus, se glorificari. Variis modis hanc glorificationem exponunt pii veteres. Origenes homil. 6. in Exod. eam refert ad Christi mortem, quippe per quam Christus mortem omnium nostrum destruxit, diabolum vicit, mundi peccatum abolevit, vitam reparavit. Eodem ferè abit Hieronymus, Epist. 150. ad Hedibiam q. 9. Hanc sententiam Augustinus, tractat. 104. in Johan. suppresso nomine refellit, cum mors Christi ab Apostolo ad exinanitionem potiùs & humiliationem, quàm ad exaltationem & glorificationem referatur, Phil. 2. 8. *Clarificatum, inquit, à Patre Filium, nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non peperit, sed pro nobis omnibus eum tradidit. Sed si passione glorificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas quàm claritas commendatur, quæ verba, uti solet, repetit Beda in commentario hujus loci. Atqui ostendimus superius in cap. 172. Harm. passionem & mortem Christi, etiamsi ad statum humiliationis pertineant, certo tamen respectu etiam ad glorificationem Christi referri posse, interim libenter fatemur, hoc loco per glorificationem non tam passionem & mortem Christi, quàm ipsius exaltationem eam insecutam intelligi, ut ostendit series textus: Pater, venit hora passionis & mortis, glorifica Filium tuum, id est, venit hora seminanda humilitatis, fructum non differas claritatis, ut Augustinus rectè interpretatur. Hilarius lib. 3. de Trinit. statuit, peti à Christo claritatem, quàm stupendè miraculis in ipsius morte editis Pater celestis demonstravit, Solis scilicet obscuratione, terræ commotione, petrarum ac veli scissione, sepulchrorum apertione. Cyprianus de dupl. Martyr. hoc peti existimat, ut Pater celeri resurrectione confirmet, hunc esse Filium suum, eum quo ferè congruit Augustini expositio, qui itidem ad resurrectionem Christi hanc gloriam accommodat. Glorificatio Domini nostri, inquit dicto loco, ab ejus resurrectione sumit exordium. Ut Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, resurrectione glorificaretur, prius humiliatus est passione. Non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Huic Augustini expositioni quidam ex recentioribus scriptoribus hoc opponit, quod Christus statim addat: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum, quasi dicat: tua ac mea claritas ad vitam æternam consequendam hominibus est necessaria. Ergo utramq; claritatem per cognitionem hominum explicat, ut clarificari nihil aliud sit, quàm nomen mundo manifestari. Sed hæc ratio tantum probat, per Christi glorificationem intelligi gloriæ Christi manifestationem, non autem probat, per Christi glorificationem solam gloriæ manifestationem, & non simul gloriæ collationem in resurrectione factam intelligi. Ergo contra Augustinum non est efficax & firma. Idem Augustinus contra Serm. Arian. cap. 23. dicit: Filium à Patre glorificari origine, quia quicquid Filius habet, à Patre accipit, quam expositionem probat ex Johan. 16. v. 14. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, ut sic clarificare sit tribuere, clarificari Spiritum sanctum à Filio, sit, ab eo accipere. Sed juxta hanc expositionem, Filius ab æterno fuit à Patre glorificatus, quia per æternam gene-*

rationem suam ab eo accepit essentiam. Jam verò Christus hic loquitur de glorificatione adhuc futura. Adde, quod Johan. 16. v. 14. Christus non dicat, Spiritum sanctum à se Filio, sed se Filium à Spiritu sancto clarificari. Basilius lib. 4. contra Eunom. scribit, non accessionem gloriæ, sed manifestationem dispensationis à Christo hoc loco peti, cum quo ferè congruit, quod Basilius Seleuciensis orat. 38. glorificationem hanc refert ad vocationem Gentium. Sed ostendemus paulò post, hanc expositionem esse insufficientem, ac Christum non solum gloriæ manifestationem, sed etiam collationem petere. De aliis aliorum expositionibus non est quod laboremus, cum ex sequentibus facile judicari possit, quid de illis sit statuendum. Dicimus ergò, tria à Christo hoc loco peti: 1. in proximè imminente passionis & mortis agone sustentationem, & ex eo liberationem. Eam à Christo sub glorificationis nomine peti, manifestum est ex contextu: Pater, (inquit) venit hora, glorifica Filium tuum, id est, instat agone longè maximus & gravissimus, qualem nullus hominum in his terris hæctenus sustinuit. Glorifica ergò Filium tuum, non sinas me succumbere in hoc agone, sed robore virtutis tuæ me sustenta, ac ex angustiis libera. Hora passionis futura erat hora caliginis & tenebrarum, obscuracionis ac blasphemiarum, ignominie & scandalorum, in qua Filius Dei, Sol justitiæ, post insignem doctrinæ & miraculorum splendorem densissimis tenebris erat obscurandus, & ignominiosissimâ morte è medio tollendus. Christus ergò se in ea petit glorificari, hoc est, sustentari, & ex ea liberari. Sic in Psalm. 22. v. 20. cum Christus de suis angustiis & doloribus fuisset conqueustus, subjungit: Tu, Domine, fortitudo mea, ad auxiliium ferendum mihi festina. v. 21. Erue à gladio animam meam. v. 22. Salva me ex ore leonis &c. quod idem est cum eo, quod Christus hoc loco dicit: Pater, venit hora, glorifica Filium tuum. Tribulatio proxima est, nec est qui adjuvet. v. 12. Tu ergo, Domine, ad auxiliium ferendum exsurge. 2. Gloriæ divinæ collationem. Cum Christus has preces Patri cœlesti offerret, erat instantu exinanitionis, ac paulò post futurum erat, ut in assumpta servi forma humiliaret se usq; ad mortem crucis, petit igitur non solum in passione & morte sustentari, & ex ea liberari, sed etiam gloriâ ornari, & quidem duplici. Primò, gloriâ finitâ subjectivè humanæ naturæ in hærente, videlicet gloria immortalitatis & dotibus glorificati corporis in resurrectione, deinde etiam gloriâ infinitâ personaliter humanæ naturæ communicatâ, videlicet universali & plenario omnium rerum dominio in gloriosa ad dextram Dei exaltatione ipsi dato. Utamque hanc gloriam Christum à Patre cœlesti hoc loco petere, apparet primò ex textus serie & connexionem. Statim enim additur, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, &c. Potestas omnis carnis non est finita ac limitata, sed infinita potestas. Ergo cum petat, se glorificari juxta datam sibi omnis carnis potestatem, utiq; etiam infinitam gloriam sibi dari expetit. v. 5. subjungit: Glorifica me, Pater, apud te ipsum. Ergo non tantum petit, apud homines glorificari per gloriæ manifestationem, sed etiam apud Patrem per gloriæ collationem, nam *οὐρανῶν* illa glorificatio in manifestatione consistens tantum apud homines, non autem apud Deum locum habet. Secundo, ex locorum parallelorum collatione. Quæ & qualis gloria hic à

Chri-

Christo petatur, ac qualem gloriam à Patre cœlesti acceperit, exponitur Pf. 8, 6. & seqq. Matth. 28, 19. Eph. 1, 20. Phil. 2, 9. & seqq. quæ & similia dicta manifeste testantur, non tantum gloriam Christi fuisse manifestatam, sed etiam gloriam verè divinam & infinitam ipsi realiter fuisse à Patre collatam. Tertio ex eventus consecutione. Christus post passionis & mortis agonem non tantum apud homines glorificatus, id est, verus Dei Filius ac verus Messias fuit agnitus, sed etiam Deus glorificavit eum in ipso, Joh. 1, 32. & apud seipsum, c. 17, 5. quando scilicet in resurrectione gloriam immortalitatis & alias glorificati corporis dotes, aliorum glorificatorum corporum dotes longè sublimiores ipsi contulit, ac postea in ascensione ad dextram suam in cœlestibus ipsum collocavit, datâ omni in cœlo ac terra potestate, & omnibus sub pedes ejus subjectis. August. contra Felician. cap. 10. *Majestatem divinitatis glorificatam novimus carnem.* Cyrill. lib. 11. in Johan. cap. 15. *Clarificat Filium Pater universo terrarum orbe illi subiecto.* Damasc. lib. 3. orth. fid. c. 15. *Divina natura proprias excellentias communicavit carni.* Quando ergo Christus hoc loco à Patre sese petit glorificari, petit, se non solum peccati, mortis, diaboli & inferni gloriosum victorem ex sepulchro redire, & gloriâ corporis decorari, sed etiam ad ipsam Dei dextram exaltari, ac in illa Dei dextra omnium dominum constitui, hostibus devictis in æternum dominari, omnia pedibus suis habere subjecta &c. 3. *Gloriæ suæ manifestationem.* Non tantum petit gloriam sibi ut hominibus à Patre cœlesti conferri, sed etiam gloriam sibi ut Deo essentialiter, ut homini personaliter competentem ab hominibus agnosci, quod scilicet sit verus æterni Patris Filius ac verus cum ipso Deus, quod sit verus promissus Messias, quod sit unicus humani generis Redemptor & mundi Salvator, quod Pater ipsi dederit omne judicium & omnem in cœlo ac terra potestatem, quod per ipsum solum ad Patrem & vitam æternam aditus pateat &c. petit insuper, ut Pater cœlestis per Evangelii prædicationem in multorum cordibus salutarem sui agnitionem accendat, ne pereat fructus beneficiorum passionis & morte suâ partorum, sed multi ex genere humano convertantur ac salventur. Hanc gloriæ manifestationem per glorificationem, quam Christus petit, hoc loco simul intelligi, patet primò ex textus serie & connexionem. Statim enim additur, *ut & Filius glorificet te.* Quo ergo modo Filius Patrem glorificavit, eo etiam modo à Patre glorificari expetit. Jam verò Filius glorificavit Patrem gloriæ apud homines manifestatione, sicut in v. 4. additur: *Ego te glorificavi super terram. vers. 6. manifestavi nomen tuum hominibus.* Ergo etiam Filius à Patre glorificari expetit per gloriæ manifestationem. Præterea in v. 3. additur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo glorificatio, quam petit, in ea consistit, ut agnoscat verus cum Patre Deus, & mundi Salvator à Patre cœlesti eo fine in mundum missus, ut credentibus in ipsum det vitam æternam. Quæ rationes manifeste ostendunt, quando Christus dicit in vers. 1. *Pater, glorifica Filium tuum,* tunc magis ipsum respicere ad gloriæ manifestationem: sicut contra, quando in v. 5. dicit: *glorifica me, Pater, apud te ipsum, gloriâ, quam habui prius quam mundus esset apud te:* magis respicit ad gloriæ collationem, ita tamè, ut hæc

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tert.

duo nequaquam sibi invicem opponantur, sed subordinentur, cum gloriæ manifestatio in Christo non excludat, sed præsupponat gloriæ collationem, siquidem ad manifestationem gloriæ etiam illud pertinet, ut agnoscat, omnia ipsi ut homini per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram esse in manus tradita. Potest & hoc notari, quod determinatione temporis Christus hanc expolitionem innuit: *Venit hora, Pater, glorifica Filium tuum,* id est, non amplius in propria personæ docendi officio in terris functurus sum, non sum in mundo, sed ad te venio. Ergo per ministerium Evangelii personam & officium meum mundo manifesta &c. Secundo ex aliorum locorum collatione, Joh. 12, 23. cum gentiles Christum videre expeterent, dicit Christus: *Venit hora, ut glorificetur filius hominis,* id est, nihil causæ est, cur gentiles admittere dubitatis: Venit hora, ut Evangelium propediem omnibus gentibus prædicetur, ac Filius hominis non solum à Judæis, sed etiam à gentibus per fidem recipiatur. Joh. 16, 14. dicit Christus: *Spiritus sanctus me glorificabit,* videlicet per Evangelii prædicationem, quæ est proprium Spiritus sancti opus, 2. Cor. 3, 8. Sic cum Apostolus, Phil. 2. v. 9. dixisset: *Pater in summam celsitudinem Christum extulit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen,* statim subjicit, v. 10. *ut in nomine Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum. v. 11. & omnis lingua confiteatur quod Dominus sit Jesus Christus in gloriam Dei Patris,* ubi itidem gloriæ collationem & manifestationem conjungit. Tertio ex eventus consecutione. Pater post has preces Filium glorificavit, id est, gloriam ejus manifestavit in ipsa passione, quando ad unicum Christi verbum hostes in terram prostrati, quando testimonium innocentie aliquoties ipsi datum, quando Sol fuit obscuratus, velum templi scissum, terra commota &c. quando Centurio signis illis permotus dixit: *Verè hic Dei Filius.* Glorificavit ipsum in resurrectione, quando potenter demonstratus est Filius Dei per resurrectionem ex mortuis, Roman. 1. v. 4. glorificavit ipsum in ascensione & colloca-tione ad suam dextram, quando ipsum collocavit in thronum gloriæ, Matth. 25, 31. Hebr. 1, 3. *ac omnia pedibus ejus subiecit,* Eph. 1, 22. glorificavit ipsum in Spiritus sancti effusione, Joh. 7, 39. in qua divinam ipsius majestatem & gloriam evidenter demonstravit, Act. 2, 33. glorificavit eum, & adhuc glorificat in Evangelii prædicatione & Ecclesiæ contra inferorum portas defensione, quia per illam tanquam medium divinitus ordinatum ad salutarem Christi deam & agnitionem homines adducuntur, per hanc divina ipsius potentia ac majestas publicè demonstratur. Quartò ex ipsius verbi consideratione. Gloria non solum significat id, quod est præclarum ac laude & honore in aliquo dignum, sed etiam honorificam existimationem, quæ de aliquo apud alios habetur, ac glorificare non solum significat præclaris donis aliquem ornare, sed etiam notitiam alicujus præclaram habere, & aliis gloriosum ipsum reddere. Quando ergo Christus à Patre glorificari expetit, non solum gloriæ collationem, sed etiam gloriæ manifestationem petit. Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 9. *Doxa Græcè modo gloriam, modò opinionem significat. Quando igitur Filius dicit: δόξα Κύριε, Pater, eâ doxâ, quam habebam antequam mundus esset, hæc aperte dicit: Quoniam, o Pater, homo factus id solum esse*

XXXXX

homi-

hominibus videor, nec cognitus sum coæternus tibi esse, & ζαοὶν πατὴρ tu, id est, talem opinionem atque fidem hominibus de me largiaris, qualem haberent credentes, me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset, ut videlicet me Deum existiment, credantque, esse secundum naturam lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quod autem hic locus sic intelligendus sit, ex sequentibus manifestum est. Nam postquam hanc opinionem, existimationemque de se petit, ut Deus esse manifestaretur, causam intulit, dicens: quoniam & ego nomen tuum hominibus manifestaui. Si ergo petit, quod fecit, fecit autem ipse nomen Patris manifestum hominibus, nihil aliud certe petit, quam ut homo hominibus Deus esse manifestetur, non propter se, sed propter salutem ipsorum. Theoph. in hunc locum: Ostendit, que sit gloria ejus & Patris. Credere, inquit, omne in carnem & beneficia experiri, gloria Dei est. Non enim ad Judeos solos contribuitur, sed in totum orbem extenditur. Dionys. Carthusianus in hunc locum: Tripliciter post hanc orationem Pater Christum glorificavit, per signa in passione, per glorificationem corporis in resurrectione ac in cordibus hominum, quos ad Christum convertit in Evangelii predicatione. 3. Cui verò petit Christus glorificationem? Glorifica, inquit, Filium tuum. Nomen Filii est nomen personæ, ac Christus hic orat ut Mediator, ex quo colligit Piscator in comm. h. l. gloriam hanc, quam Christus à Patre cœlesti petit & impetravit, pertinere partim ad humanam, partim verò ad divinam naturam. Ad humanam naturam (inquit) resurrectio, ascensio, sessio ad dextram Dei, plena autoritas super omnia; ad divinam naturam pertinet illius patet factio, quia per resurrectionem declaratus est Dei Filius, petit igitur, ut Deitas sua pateat orbi, & agnoscat, quis sit. Desumpsit hoc ex Zanchio, qui part. 2. lib. 4. de trib. Elohim. cap. 10. p. 204. sic scribit: Quia Christus hic precatur Patrem suum, quatenus Mediator ac Pontifex est, est autem talis, non quatenus homo est, sed etiam quatenus Filius Dei naturalis, idcirco gloria hæc, quæ petit, se glorificari, pertinet non tantum ad humanitatem, sed etiam ad ipsius Deitatem. Sane si de manifestatione gloriæ agatur, concedimus, glorificationem eo modo acceptam Christo secundum utramque naturam competere, quia gloria Christi, quæ per Evangelii prædicationem mundo fuit manifestata, secundum divinam naturam ipsi competit essentialiter, secundum humanam naturam personaliter. Si verò nomine glorificationis intelligatur gloriæ collatio, tunc non nisi secundum humanam naturam illa Christo competit, quod ipsum agnoscere videtur Piscator, sed in eo à tramite veritatis aberrat, quod gloriam illam definit tantum per collationem donorum finitorum ac plenam autoritatem super omnia, cum includat etiam majestatem verè divinam & infinitam, ac omnem in cœlo & terra potestatem, ut suo loco evidenter demonstratur, & ex vers. 5. satis perspicue colligitur. Divinam illam majestatem & gloriam suæ carni sive assumptæ naturæ humanæ Christus petit, ut ostendit 1. Appellatio. Quod enim hoc loco dicit: Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, illud. Joh. 12. v. 23. sic exponit: Venit hora, ut glorificetur Filius hominis, ubi propterea ab humana natura sese denominat, ut ostendat, glorificationem secundum illam naturam, juxta quam est verus homo & Filius hominis, sibi conferendam. 2. Temporis determinatio. Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ex quo colligi posse, quod

hæc glorificatio Christo ut homini competat, superius ostendimus. 3. Locorum parallelorum collatio. Omnia illa Scripturæ dicta & argumenta, ex quibus demonstratur, Christum secundum humanam naturam dona verè divina & infinita accepisse, ac juxta humanam naturam exaltatum esse, quæ magno numero adducta sunt in Exeget. de persona Christi §. 205. probant, glorificationem hanc Christum sibi ut homini petere, cum glorificatio illa sit Christi exaltatio & donorum in unione personali communicatorum plena usurpatio. Athan. orat. 4. cont. Aria. p. 279. Dicit, glorifica me, qui alios glorificat, ut ostenderet, carnem se habere istarum rerum indigam, ac proinde carne suæ humanitatis glorificationem accipiente ita loquitur, quasi eam accepisset. Basil. l. 4. contra Eunom. Illud, glorifica me, intelligere oportet de incarnatione & non de Deitate. Augustinus tract. 104. in Johann. Hoc factum est in forma servi. In forma verò Dei semper fuit, semper erit claritas, imò non fuit, quasi jam non sit nec erit, quasi nondum sit, sed sine initio, sine fine semper est claritas. tract. 105. in Johann. Glorificatum à Patre Filium secundum formam servi, quam Pater suscitavit à mortuis & ad suam dextram collocavit, res ipsa indicat, & nullus ambigit Christianus. Cyrill. l. 11. in Johann. cap. 15. Qui omnia possidet ut Deus, omnia recipit ut homo. Cui regnare adventitium est, id non est naturale. lib. 10. thesauri c. 2. Non quod gloriæ vel ullæ re filius Dei in quantum Deus est, indiget, idcirco petere aut accipere aliquid à Patre scribitur, sed quia dispensando factus est homo, cum Deus verus etiam sit. Etpostea: Si propter se ipsum verbum Dei glorificari petit, nihil nobis contulit incarnatio Christi, & natura nostra denudata Dei gratia demonstratur. Nam si Verbum glorificari & sanctificari eguit, quomodo nobis hæc largita per ipsum sunt? lib. ejusdem cap. 17. Gloriam suam, quam semper habet ut Deus, ut homo petit. Nec quia gloriæ unquam propriæ expertus fuit, hæc ab eo dicuntur, sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest ut Deo, proprium templum reducere volebat. Theophyl. in hunc locum: Nondum glorificatus erat carnis natura negotio incorruptibilitate fruebatur, neque regiam thronum acceperat, propterea dicit, glorifica me, b. e. humanam meam naturam que nunc in ignominia, quæque crucifigenda &c. Quamvis verò secundum humanam naturam glorificari expetatur, singulari tamen consilio non dicit, glorifica carnem meam, sed glorifica Filium tuum, i. ut ostendat, non nudæ naturæ humanæ juxta essentialia ipsius principia & proprietates consideratæ, sed in Filium Dei assumptæ gloriæ illam dari, quatenus scilicet est τὸ λόγος personaliter unita, & ad dextram Dei exaltata. Athan. orat. 4. cont. Arian. Petitur personæ, quod datur humanæ naturæ, ut ostendatur, propter incarnationis οὐκωνομίαν illa dari. 2. Ut doceat, humanam naturam eâ ratione τὰ ἄσχυρα esse unitam, ut unam cum ipso constituat personam, ac non sint duo filii, alius Dei, alius Mariæ Filius. 3. Ut Filii appellatione Patris cœlestis pectori stimulos quasi admoveat, ac de ardentissimi amoris flammis, quibus se Filium amplectitur, ipsum quasi admonendo, facilius quod petit, impetret, unde etiam non simpliciter dicit, glorifica Filium, sed emphaticè addit, glorifica Filium tuum. 4. Ut bonæ, quæ sibi & electis petit, amissionis periculum in sua persona non amplius subjecta esse, ostendat. Cyrill. lib. c. 2. Quoniam homo facile potest amittere bonam, quæ à

Deo accepit, quod Adam perpeffus fuerat, denudatus dat à sibi gratiâ propter inobedientiam, necesse fuit, ne rursus in eadem incidereamus, ut incommutabilis Dei Filius homo factus, ut homo gratias Dei peteret, ut per ipsum, qui amittere gratias non possit, nature nostræ firmiter servaremur. Omnis enim gratia in Christo abundantissime permanet, & inde ad nos propter similitudinem transfunditur, omnes enim ipsi similes sumus ut homini. 5. Quia non solum petit gloriæ collationem, sed etiam gloriæ manifestationem, quo posteriore respectu glorificatio secundum utramque naturam ipsi competit. 6. Quia quæcunque post factam *ἐσαρκίωσιν* de Christo prædicantur, ea non prædicantur separatim de hac vel illa natura, sed de persona vel secundum alteram vel utramque naturam. Quod autem Albertus dicit, Christum hoc loco petere, ut membra ejus mysticè glorificentur, ut tam claro capiti congruant, idque ex Joh. 13. v. 30. & 31. demonstrare conatur, illud non tam de ipsa illa, quàm Christus hoc loco petit, glorificatione, quàm de ejus consequente & fructu est accipiendum, de quo in seq. demum versiculo Christus tractat. Colligitur autem ex verbis propositionis 1. *mysterium exinanitionis*. Quod Christus, cum in forma Dei esset, seipsum assumptâ servi formâ exinanivit, illud æquè magnum est mysterium ac ipsa unio. Ecquis enim non miretur, eum, qui est ipsa claritas, hoc loco petere se glorificari? eum, qui seipsum glorificare poterat, seqve glorificatum iri certissimè & infallibiliter noverat, petere à Patre glorificari? Sed meminimus, ipsum tunc fuisse in extremo humiliationis & exinanitionis statu. Cyrill. lib. 11. in Johanni. cap. 44. *Quoniam cum esset in forma equalitateque Dei Patris, seipsum exinanivit* &c. Oportuno jam tempore præsentis, quo incarnationis mysterio consummato & humano genere ad vitam & cognitionem Dei vocato, ad pristinam gloriam rediret, ut omnino harum rerum Patrem quoque autorem ostenderet, sic eum alloquitur, tempus jam esse demonstrans, ut ad naturæ suæ dignitatem cum carne ascendat. 2. *Verus fons ac modus glorificationis*. Petit quidem Christus gloriæ suæ manifestationem apud homines fieri propter ipsorum salutem, interim non petit ab hominibus, sed à Patre cœlesti glorificari. Ante quatrimum in regio suo in urbem Hierosolymam ingressu à populo Israelitico fuerat glorificatus: sed quia præclare noverat, gloriam illam esse perquam mutabilem & fluxam, ideo à Deo, & apud Deum veram solidam & constantem glorificationem expetit. Sic & nos ipsius exemplo gloriam, quæ à solo Deo est, quæramus, Joh. 5. v. 44. 3. *Mirabilis ratio exauditionis*. Christus orat, se à Patre glorificari, & exauditus est pro sua reverentia, Heb. 5. v. 7. sed non statim sequitur gloria, verum summa potius passionis & crucis ignominia. Eodem modo nobiscum Deus agit, exaudit nos, vitam & gloriam æternam per preces ab ipso petentes, sed prius nos objicit morti. 4. *Remedium omnis adversitatis ac tribulationis*. Quemadmodum Christus instante passione & cruce oculos suos ad securam glorificationem elevat: sic per præsentis vitæ miserias, ac per densam mortis caliginem infecuturam cœlestis gloriæ lucem oculis fidei respiciamus. Sic Apostolus instante mortis agone dicebat: *Reposita est mihi corona justitiæ*, 2. Tim. 4. vers. 8. 5. *Ordo divine præmiationis*. Christus non nisi peracto certamine glorificationem & coronationem ex-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

petit: sic & nos sciamus, eum, qui certat, non coronatum iri, nisi legitime certaverit & vicerit, 2. Tim. 2. vers. 5. Apocal. 3. vers. 21. 6. *Certa in precibus fiducia impetrationis*. Christus de sui glorificatione certissimus erat, interim tamen orat; Pater cœlestis eum jamdum variis modis glorificaverat, ac promissione de futura glorificatione ipsum confirmaverat, Joh. 12. vers. 28. interim ardentissimè pro sui glorificatione Christus hic orat, non quod ulla ex parte de ea dubitet, sed ut animi sui fiduciam ac pulcherrimam promissionum divinarum & precum harmoniam ostendat. Quamvis enim Deus ab æterno decreverit, bona cœlestia in Christo nobis dare, tamen vult, ut per pias ac serias preces ea ab ipso petamus. 7. *Necessitas veræ ac salutaris Christi agnitionis*. Glorificatio Christi consistit non solum in gloriæ collatione, sed etiam in gloriæ manifestatione, ut agnoscatur verus Deus & verus homo, promissus Messias ac unicus mundi Salvator &c. Ergo qui vel divinam vel humanam Christi naturam negant, qui majestatem carni ipsius communicatam impugnant, qui officium ipsius labefactant, & alium redemptorem quærunt, vel alium ipsi adjungunt, illi Christum non glorificant, sed potius ignominia afficiunt.

3. *Petitionis ratio*. Quamvis in ipsa propositione, eique præmissio exordio duas petitionis rationes Christus involverat, quarum prior extat in verbis, *Pater, glorifica tuum Filium*, id est, quia tuus sum Filius, quem ardentissimè diligis, ideo æquum est, ut me glorifices, amor enim ad benefaciendum amato amantem impellit; posterior in verbis, *venit hora*, id est, quia in proximo jam imminet hora passionis & ignominie, ideo necessarium est, ut tuo auxilio mihi præstois, & ex ignominia ereptum in gloriam transferas, quia tibi obedientiam præsto in passione, ideo æquum est, ut promissionem tuam impleas in mei glorificatione: tamen placuit Christo aliam petitionis rationem, & quidem triplicem perspicuis verbis addere, ut, quod à Patre cœlesti petebat, facilius & citius impetraret. Prima ratio deducta est à *Patris cœlestis gloria* sive glorificatione. *Glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet*. Particula *καὶ*, quam vulgatus Interpretes in versione omisit, non est hoc loco otiosa, sed arctissimam inter Patris & Filii glorificationem connexionem emphaticè exprimit. Patris glorificatio non potest intelligi de reali quadam gloriæ collatione, cum enim Pater divinam gloriam in se invariabiliter & immutabiliter habeat, ideo non potest novæ cujus jam gloriæ accessione in se ipso magis glorificari: sed tantum de manifestatione paternæ gloriæ verba Christi accipi debent, quomodo ea Christus ipse exponit v. 4. *Ego te glorificavi super terram*. v. 6. *manifestavi nomen tuum hominibus*. Hilarius lib. 3. de Trinit. *Non claritas Deo additur, nequo enim decesserat, ut adderetur, sed per Filium clarificatur apud nos imperitos, refugas, sordidos, sive spiritui emortuos, sive lege tenebrosos, & clarificatur per id, quod ab eo Filius potestatem omnis carnis accipit vitam ei æternam daturus*. Per hæc opera Filii clarificatur Pater. Augustin. tract. 105. in Johannem: *In seipsa claritas Patris, nec minui, nec augeri potest, apud homines autem procul dubio minor erat, quando in Judæa tantummodo notus erat &c.* Cæterum quemadmodum Pater voce cœlitus delata dicit Johan. 12. v. 28. *Et glorificavi*

Xxxxxx 2

viscavi & rursus glorificabo: ita vicissim Christus utrumque; asserit, videlicet quod Patrem jamdum glorificaverit, v. 4. & quod porro eum glorificare velit v. 11. Quomodo ante has preces Christus Patrem glorificaverit, exposuimus in cap. 172. Harm. hic explicandum restat, quomodo post preces has ceterius eum glorificaverit. Floravantius lib. 1. de Trinit. pag. 53. Patrem eâ ratione glorificari dicit, quia Filius rebus præclare gestis, & sapientiam & potentiam ad res tam præclare gerendas à Patre se accepisse testatur, ac omnia ad Patrem refert, quo sensu in Proverbiis Salomonis filius sapiens dicitur Patris gloria. Sed hoc rectius de glorificatione in diebus carnis jam peracta, quàm de glorificatione Patris adhuc futura dicitur. Quidam existimant, Patrem ea ratione à Christo fuisse glorificatum, quia in Christi glorificatione veritas Patris fuit manifestata. Non potuisset, inquit, Christus Patrem glorificare, nisi prius à Patre fuisset glorificatus. Ut enim veritas Patris elucesceret, oportuit eum prestare, quod promiserat, promiserat autem glorificationem, Psalm. 2, 8. Psalm. 110, 1. Sed hoc nondum assequitur plenitudinem glorificationis, quâ Christus Patrem suum cœlestem glorificavit. Dicendum igitur, quod Filius post has preces Patrem glorificaverit, tum per operis redemptorii consummationem, tum per Evangelii prædicationem, ac eum porro glorificaturus sit per electorum in cœlestem gloriam receptionem. Nam. 1. Quando Filius Patri obediens fuit factus usque ad mortem crucis, Philip. 2. v. 7. tum hac sanctissimâ Filii obedientiâ Pater fuit glorificatus, quia in passione & morte Filii eluxit Dei iustitiâ, quod non nisi interveniente plenissimâ satisfactione peccatorum, debita hominibus lapsis remiserit; Dei misericordia ac benignitas, quod non pepercerit proprio suo Filio, sed pro nobis omnibus in mortem eum tradiderit, Rom. 5. v. 8. c. 10, 32. Dei veritas, quod juxta Prophetarum vaticinia Filium pro nobis patriac mori voluerit; Dei sapientia, quod mirabili consilio per mortem Filii vitam procuraverit servili generi; Dei potentia, quod redemptionis opus per mortem & sanguinem Filii gloriose perfecit &c. ac veluti primus Adamus suâ inobediencia Deum ignominia affecerat; ita Christus secundum Adam de cœlo suâ obedientiâ Deum iterum glorificavit. Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 17. Christus mortem destruxit, diaboli tyrannidem everte, peccati vires extinxit, ineffabilem caritatem erga nos habuit, peccata nostra dimisit, errantes illuminavit, & ad verum Deum reduxit, quæ universa virtute Christi consummata faciunt, ut ab omnibus Pater glorificetur. Omnes enim qui in terris sunt, sapientiam & virtutem, & misericordiam Dei hoc pacto intellexerunt. 2. Quando Christus ex mortuis resurrexit, tunc iterum Pater cœlestis in Christo & per Christum fuit glorificatus, quia Pater resuscitans Christum à mortuis efficaciam roboris virtutis sue exeruisse dicitur, Eph. 1. v. 19. ut sic divina ipsius potentia ex illa resurrectione clarè elucesceret, unde notanter dicitur, Rom. 6. vers. 4. quod Christus resurrexerit à mortuis per gloriam Patris. 3. Quando Christus in sua ascensione ad dextram Patris collocatus est, iterum in hac sua exaltatione Patrem cœlestem glorificavit, quia ex hac Filii exaltatione denuò Patris potentia & veritas eluxit, unde notanter dicit Apostolus, Philip. 2. versic. 11. quod Deus ideò Christum exaltaverit, ut omnis lingua con-

fiteatur, Christum esse Dominum eis doctum. 4. Quando Christus per Apostolos virtute Spiritus ex alto indutus Evangelium in toto terrarum orbe prædicari curavit, tunc vel maximè gloria Patris cœlestis fuit illustrata. Tunc enim non solum Judæi, sed etiam gentes per Verbum Evangelii ad veram veri Dei cognitionem sunt perducti, tunc ipsius misericordia, bonitas & clementia erga genus humanum publicè in Verbo Evangelii fuit prædicata, tunc in multorum millium cordibus Pater fuit glorificatus accensâ in mentibus ipsorum verâ Dei notitiâ &c. cum gentiles prius per idola externa, Judæi per fiduciam operum idololatriam, exercebant, & Deum ignominia afficerent. Aug. tract. 105. in Joh. Claritas Patris apud homines procul dubio minor erat, quando in Judea tantummodò Deus notus erat, nondum à Solis ortu usque ad occasum laudabant pauci nomen Domini. Hoc autem, quia per Evangelium Christi factum est, ut per Filium Pater innotesceret gentibus, profecto Patrem glorificavit & Filius. Potest & hoc notari, quod in Evangelica de Christo prædicatione revelato, jam incarnationis & redemptionis mysterio Trinitatis mysterium clariùs fuit manifestatum. 5. In omnibus illis, in quibus Pater glorificavit Filium per gloria collationem, etiam Filius glorificavit Patrem per gloria manifestationem, quia gloria illius, quâ Filius fuit glorificatus, auctor & fons est Patris cœlestis, ac quando gloria Filii vel in Verbo Evangelii vel in gloriosis operibus manifestatur, tunc simul etiam Pater glorificatur, quia ut Patris & Filii est una divinitas, ita quoque una gloria & majestas. Cyrillus lib. 11. in Johan. cap. 15. Filius Patrem clarificavit, partim quia jam creditur Filius ex substantia Patris natus, partim quia omnipotentia Filii cognitâ hujus virtutis gloria in Patrem etiam transe. 6. Quando Christus regnum aliquando tradidit Deo & Patri, 1. Cor. 15. v. 24. atque Ecclesiam sibi ipsi & Patri cœlesti exhibebit gloriosam non habentem maculam aut rugam, Eph. 5, 28. tunc iterum Patrem glorificabit, quia Pater cœlestis à triumphante beatorum Ecclesia in omnem æternitatem indefessis laudibus prædicabitur, & promissione Filii Salvatoris gratia ipsi agentur. Ad hanc glorificationem in futuro seculo aliquando securitatem Christum hoc loco simul respicere, patet ex versu proxime sequente: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam, ut sit sensus: Glorifica Filium tuum, id est, in passione & morte ipsum sustenta, gloriose eum libera, ex mortuis resuscita, ad dextram tuam colloca &c. ut & Filius te glorificet, id est, ideò hic agon in æterno consilio fuit definitus, ut hac mea obedientiâ perfectissimè satisfiat tuæ justitiæ, ac genus humanum redimatur, & Ecclesia ex eo colligatur, à qua in hac & in futura vita celebreris. Docemur igitur, hac petitionis ratione à causa finali sive consequente petita, 1. Christi & Patris gloriam esse arctissime connexam, mutuo reciprocam, imò prorsus unam & eandem, cum Patrem nemo glorificare possit, nisi quis Filium glorificet, Joh. 5. v. 23. ac sine Filii notitia nemo ad salutarem Patris agnitionem possit aspirare, Matthæi 11. vers. 26. Johan. 1. vers. 18. 1. Johan. 2. versic. 23. Neve ulla dissimilitudo, vel essentia vel gloria in Patre & Filio statuatur, ideò notandum, quod Filius eâ se à Patre glorificari expectat gloriâ, quæ se Patrem glori-

glorificaturum promittit. Hilarius lib. 3. de Trinit. pag. 27. *Expositio clarificationis dande vicissimq; redendae nec Patri quicquam admittit, nec infirmat Filium, sed eandem divinitatis ostendit in utroque virtutem, cum clarificari se Filius à Patre oret, & clarificationem Patrem non dedignetur à Filio, sed hac in Patre & Filio virtutis unitatem per vicissitudinem danda & referenda clarificationis ostendunt.* Bernard. serm. 76. in Cant. col. 723. *Non solum Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem, ne quis dicat, Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cum & ipse clarificet Patrem.* 2. *Gloriam Deo debitam, ipsique gratam in solo Filio & per solum Filium ipsi posse tribui. Solum Filium est in sinu Patris, & perfectissimè cognitum habet cor Patris celestis, idè etiam solus novit, quomodo Pater glorificari velit. Quisquis igitur Patrem verè glorificare expetit, in Filio, & per Filium eum glorificet, id est, in Christum credat.* 3. *Genuinam ac propriam filiorum Dei naturam esse Patrem celestem glorificare, Mal. 1. v. 6. Matth. 5. v. 16. Christus hoc loco petit, se à Patre glorificari non ex ambitione, quia non querit gloriam suam, Joh. 8. v. 50. sed ut Patrem glorificet. Eodem modo omnes verè pii & adoptivi filii sunt affecti, quia habent sensum Christi, 1. Cor. 2. v. 16. & idem est in illis affectus, qui fuit in Christo, Phil. 2. v. 5. Quemadmodum ergo Filius à Patre, quem jamdum glorificaverat, gloriam petit, ut ipsum magis glorificet: ita & nos per Filium & in Filio Deum glorificantes & laudem veritatis, misericordiae & iustitiae ipsi tribuentes, non solum gloriam ab ipso petere debemus, ut in aeternum ipsius gloriae laudi simus, sed etiam in hoc seculo opera à Deo nobis demandata, ita perficere, ut alii ad glorificandum Deum nostro exemplo inflammentur. Ut unicum ac summum fuit Christi desiderium Patrem glorificare, Johann. 4. vers. 34. ita eorum, qui Christi Spiritu reguntur, summum studium est, gloriam Dei pro ratione suae vocationis promovere, & omnia ad gloriam Dei facere, 1. Cor. 10. v. 31. 4. Ad hanc Dei gloriam etiam preces nostrae debent esse directae, & quicquid à Deo petimus, cum hac conditione sive tacita sive expressa petere debemus, si illius impetratio faciat ad Dei gloriam, quicquid etiam in precibus desideramus, ad gloriam Dei velut τέλος σκοπούμεσθαι unice debet esse directum. Cyrillus lib. 11. in Johann. 14. *Quemadmodum bene agere non ad nostram, sed ad Dei gloriam debemus, sic cum orandi tempus adest, gloria Dei primo petenda est. Hoc enim pacto orare nos docuit. Sanctificetur nomen tuum.* 5. Sicut Christus Patrem & Pater vicissim Christum glorificavit, ita nos Deum glorificamus, & Deus nos glorificat, 1. Sam. 2. v. 30. sed diversimodè: Nos glorificamus Deum *ετιμῶς*, quando ipsius gloriam & magnificentiam praedicamus, ac nihil nobis vel nostris viribus, sed omnem gloriam ipsi tribuimus. Deus nos glorificat *ενεργητικῶς & ενεργητικῶς*, quando in hac & futura vita beneficii coelestibus nos cumulat, ac veram iustitiam & gloriam, quae est vita aeterna, nobis donat, Roman. 8. v. 29. Nos glorificamus & glorificare Deum debemus, tum in vita, juxta voluntatem Dei eam instituendo, Matth. 5. v. 16. tum in morte propter confessionem divini nominis eam patienter tolerando, Joh. 21. v. 19. vel etiam naturalem mortem promptè subeundo, Deus nos glorificat in vita & morte gratiam & gloriam nobis conferendo.*

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

*Alter a peccationis ratio desumpta est ab hominum salute sive salvatione. Hanc rationem Christus primò recitat, deinde eam amplificat & illustrat. Ratio ipsa sic habet: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam aeternam. Voculam καὶ ὅς quidam exponunt συγκριτικῶς, hoc sensu: Sicut dedisti Filio potestatem redimendi omnem carnem, ita vicissim eum glorifica. Sed Euthymius rectius statuit, eam esse positam αιτιολογικῶς pro ὅτι, ut denotet non similitudinem, sed rationem, ac sit sensus: Juxta quod, eà ratione, quā dedisti ei potestatem, eò quod dederis ipsi potestatem, Johan. 15. vers. 12. Carnis nomine hoc loco intelligitur homo, per speciem quandam synecdoches, quia enim homo constat carne sive corpore & animā, unde modò carnis, modo animae nomine totus homo intelligitur. Exempla prioris significationis habentur, Gen. 6. v. 13. Deuter. 5. 26. Job. 12. 10. &c. Matth. 24. 22. Marc. 13. 20. Luc. 3. 6. Rom. 3. 20. &c. exempla posterioris, Gen. 12. 5. c. 14. 21. c. 17. 14. &c. Act. 2. 41. Rom. 13. 1. 1. Pet. 3. 20. Aug. tract. 105. in Joh. *Omnem carnem dixit omnem hominem à parte totum significans, quemadmodum rursus à parte superiore alibi totus homo significatus est. Quamvis enim non hominem solum, sed etiam reliquorum animantium, imò omnium creaturarum potestas Christo sit data, Psalm. 8. 7. Matth. 28. 18. tamen ex textus serie apparet, carnis nomine hic intelligi homines, cum ad dandam hominibus vitam aeternam, & manifestandū illis nomen Patris, Filius Dei in mundum venerit. Potestas omnis carnis est potestas super omnem carnem, quo modo etiam Syus reddidit, sicut ἐξουσία τῶν πνευματικῶν ἀναβάπτων, est potestas super Spiritus immundos, Matth. 10. 1. Marc. 6. 7. ἐξουσία ἵνα πάντα τὰ δαιμόνια, ut exponitur, Luc. 9. 1. ἐξουσία τῶ πηλῶ, est potestas ἵνα τὸν πηλὸν, Rom. 9. 21. ut sit genitivus obiecti, ac subaudiatur κατὰ vel ἐπ' αὐτῶν, Luc. 19. v. 17. Joh. 19. 11. Idè verò potestatem super omnem carnem Christus sibi datam esse asserit, ut omne quod dedit ei (Pater) det illis vitam aeternam. Pro plurali αὐτοῖς quidam Codices legunt αὐτῶν, quod videtur magis congruere cum singulari πάντων. Sed probatissimi Codices retinent plurale αὐτοῖς, quod optimā ratione hic locum habere potest. Quidam putant, orationem esse minus plenam, cum τὸ πᾶν positum sit pro κατὰ πᾶν, ut sit sensus: Si quidem tradidisti potestati ipsius omnes homines, ut omnino sive per omnia eis, quos dedisti ipsi, conferat vitam aeternam. Sed nulla cogimur necessitate, ut ellipsin quandam hic statuamus, rectius dicitur, duplicem hic occurrere Hebraismum. Prior consistit in numeri mutatione. Cum enim prius dixisset in singulari, ut omne quod dedisti ei, statim subjicit in plurali, det eis vitam aeternam, quia singulare illud, quantum ad sensum, erat plurale. Ergo juxta figuram loquendi Hebraeis usitatam ἵνα πᾶν ὁ δέδωκας αὐτῶν, ponitur pro ἵνα πᾶσιν, ἡ δέδωκας αὐτῶν, sicque Pronomen αὐτοῖς relatione secundum rem refertur ad τὸ πᾶν, quod ponitur absolute & sine dictione regente. Posterior Hebraismus consistit in Pronominis relativi repetitione Hebraeis frequentissima. Satis erat dicere, ut omni, quod dedisti ei, det vitam, vel ut quod dedisti ei, det illi vitam: sed more Hebraeo utrumque conjungit: Gen. 1. v. 11. Psalm. 1. vers. 4. Psal. 144. v. 8. Esa. 5. vers. 28. Johann. 1. v. 27. 1. Pet. 2. vers. 24. quò pertinet regula, quod apud Hebraeos quandoque in eadem periodo**

XXXXXX 3

perido

periodo, in qua habetur antecedens, per speciem quendam pleonasmum ponatur relativum, Lev. 14. v. 6. 2. Sam. 6. v. 23. &c. Matth. 12. v. 36. Roman. 16, 27. &c. Quidam statuunt, esse in hac constructione ἀνακόληθον, nisi pro πάν legatur παντι, & pro omne ponatur omni. Sed relativum ὁ juxta usitatum Græcissimum τὸ πάν trahit in suum casum. Pro δώσει ἀποστόλοις, quidam vetustissimus Codex legit ἐχρη, quæ lectio dubio procul originem accepit ex eo, quod nominativus πάν non videatur convenire cū verbo δώσει, ac quod relatio quædam sit inter δέδωκε in priore, & ἐχρη in posteriore membro. Sed ex dictis apparet, nulla nos cogi necessitate, ut lectionem usitatam mutemus. Qua ratione hoc membrum connectatur cum præcedentibus, variæ occurrunt sententiæ: 1. Quidam putant, hoc membrum non tam ad præcedentia, quàm ad sequentia respectum habere, cum particula καὶ δώσει sit similitudinis, quæ in antecedente sive priore similitudinis parte solet poni. Statuunt igitur, conlequens sive posteriorem similitudinis partem huic antecedenti correspondentem quærendam esse, in v. 4. Ego te glorificavi super terram, ubi subintelligenda sit particula redditiva εἰς, ut sit sensus: Sicut tu dedisti mihi certam doctrinam, quam tuo nomine proponere debeam, dedisti etiam genus humanum, ut illud servem tradendo ei doctrinam abs te mihi concreditam: ita ego officio meo fideliter functus, certis quibusdam hominibus à te mihi donatis atque in eorum persona toti generi humano doctrinam illam tradidi, qui eam suo ad omnium salvandorum nomine acceperunt. Sed res ipsa testatur, novam propositionis rationem ab ea, quæ in v. 4. ponitur, distinctam in his verbis contineri. 2. Quidam putant, non tam causam impetrandi quàm magnitudinem claritatis prius petiti exponi, ut sit sensus: Da talem ac tantam gloriam, quam dedisti potestatem, da gloriam potestati correspondentem. Potestas, quam mihi dedisti, est infinita & verè divina, quia est potestas omnis carnis. Ergo etiam da gloriam infinitam & verè divinam. 3. Quidam existimant, tum propositionis tum rationis, i. e. tum gloriæ, quam petit Filius, tum ejus, qua Pater glorificatur, expositionem in his verbis contineri. Cum enim dicit, sibi omnis carnis potestatem à Patre esse datam, quæ & quantà gloriâ à Patre decoretur Filius, manifestè docet. Vicissim, cum dicit, se ideo à Patre potestatem omnis carnis accepisse, ut datis sibi à Patre det vitam æternam, ostendit, quæ & qualis sit gloria, quæ à Patre à Filio glorificatur. 4. Chrysost. hom. 79. in Joh. putat, Christum his verbis insinuare voluisse, quod Apostoli non solum ad Judæos, sed etiam ad gentes ablegandi sint, ut audientes, potestatem omnis carnis sibi esse datam, non scandalizarentur audientes: *Docete omnes gentes.* 5. Lyranus ejusmodi connexionem tradit: *Quia gloria Filii non solum redundat in Patrem, sed etiam in omnes Christo per fidem adherentes, si quidem bonum capitis ad membra derivatur, ideo addit: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* 6. Propriè ac principaliter Christus eo respicit, quod gloria, quam petit, non solum in gloriam Patris, sed etiam in hominum salutem sit cessura. Ergo continetur in his verbis altera petitionis ratio, itidem desumpta à causa finali: *Glorifica me, Pater, ut hæc mei glorificatio vergat ad salutem hominum, quos dedisti mi-*

hi. Christus à Patre cœlesti constitutus erat Mediator, Redemptor & Salvator humani generis, id quod per potestatem omnis carnis ipsi datam intelligitur, ac eo fine à Patre cœlesti in mundum, erat missus, ut amissa per lapsum protoplastorum bona humano generi repararet, eademque sibi à Patre datis, id est, electis per fidem finaliter ipsi adherentibus distribueret. Jam verò nisi Christus à Patre fuisset glorificatus, non potuisset Mediatoris, Redemptoris & Salvatoris officio perfectè fungi, ac electis vitam æternam dare. Nisi enim in morte fuisset sustentatus, sed sub pondere iræ divinæ, & peccatorum totius humani generis succubuisset, non potuisset alios ex morte eripere & salvare. Nisi fuisset ex mortuis per gloriam Patris resuscitatus, Roman. 6. v. 40. electi adhuc essent in peccatis, 1. Cor. 15, 17. ubi verò peccatum nondum expiatum, ibi non habet locum vita æterna, sed mors damnatur. Nisi per ascensionem in cœlos fuisset glorificatus, non potuisset coram facie Patris cœlestis pro electis apparere, Heb. 9. v. 24. ad gratiam Dei suâ intercessione ipsis conservandam, ex qua gratia unicè fluit vita æterna. Nisi per collocationem ad Dei dextram fuisset glorificatus, non potuisset Apostolos induere virtute ex alto, Luc. 24, 49. Spiritu sancto super ipsos desuper effuso, ac ad Evangelium in toto orbe prædicandū ipsos instructos ac munitos reddere. Nisi per publicum Evangelium præconium fuisset glorificatus, non potuisset per Verbum efficere in cordibus hominum fidem, sine qua nec remissio peccatorum, nec justitia, nec vita æterna locum haberet. Nisi aliquando in gloria rediret ad judicium, non posset datos sibi à Patre in possessionem regni cœlestis introducere, & ad plenam æternæ felicitatis perfruitionem eos evehere. Quæ omnia satis perspicuè ostendunt, ad salutem electorum necessariam fuisse Christi glorificationem, unde meritò Christus à Patre se glorificari hoc fine petit, ut vitam æternam sibi datis à Patre conferre possit. Sensus igitur est: Quia totum genus humanum mihi tanquam Mediatori redimendum dedisti, ut omnibus, quos quot in me perseverante fide credunt, vitam æternam conferam, & vero absque mei glorificatione illud effectum dare neutiquam possim, ideo etiam hoc nomine me glorificari peto. Probat hanc interpretationem 1. ex potestatis super omnem carnem datione. ἐξουσία propriè notat jus & autoritatem non quidem divini destitutam, sic enim foret egena & inefficax ἐξουσία, sed eadem instructam & quasi armatam. Quando ergo Christus dicit, sibi datam esse ἐξουσίαν, omnis carnis, significat totum genus humanum sibi tanquam Mediatori redimendum esse datum. Deus & primos parentes, & in ipsis totum genus humanum, creaverat ad suam imaginem in justitia & sanctitate vera, Eph. 4. v. 24. ut cum ipso in æterna latitia & gloria viverent: sed quia per peccatum à Deo creatore liberè sese averterunt, inde jam facti sunt caro, quo nomine tum naturæ corruptio, tum infirmitas, fragilitas, & mortalitas ex corruptione illa originem trahens in Scripturis denotari solet, Genes. 6. v. 3. Psal. 78. v. 39. Esa. 40. v. 6. Matth. 26. v. 41. Johann. 3. v. 6. Prolapsi sunt in peccatum, & per peccatum in potestatem tenebrarum sive diaboli, Coloss. 1. v. 13. qui propter peccatum sibi jus & potestatem in totum genus humanum vindicavit. Quia verò Deo omniscio hoc ab æterno

æterno fuit præcognitum, idè anteqvam mundi fundamenta jacerentur, de liberatione generis humani decretum fecit, constituit Filium suum Mediatorem, Redemptorem ac Salvatorem, ipsiq; dedit potestatem super omnem carnem, id est, totum genus humanum redimendum ipsi dedit. In voce *omnis* itidem est peculiaris emphasis. Israelitæ in V. Test. erant peculiaris Dei populus, cui præ omnibus aliis gentibus promissiones divinitus erant factæ: sed Christus hoc loco docet, sibi ut Mediatori & Redemptori potestatem omnium carnis esse datam, id est, se non tantum Israelitarum, sed etiam omnium omnino gentium Mediatorem constitutum esse, ut totum genus humanum, per peccatum in æternum exitium prolapsam, absq; discrimine populorum ac gentium, per passionem & mortem suâ Deo reconciliaret, juxta vaticinia: *In te benedicentur omnes gentes terræ*, Gen. 12. vers. 13. *Ipsi adhærebunt gentes*, Gen. 49, 10. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, El. 49, 6. 2. *Ex dationibus hujus sine*. Ideo dedisti ei potestatem omnium carnis, ut quotquot dedisti ei, det illis vitam æternam. Cyrill. & Rupertus posterius membrum referunt ad verba, *glorifica Filium tuum*. August. tract. 111. in Johann. refertur ad membrum, *sicut dedisti omnium carnis potestatem*, ut sic finis, propter quem datio illa facta sit, explicetur. Non frustra nec temerè potestatem omnium carnis ipsi dedisti, sed ut quotquot dedisti ei, illis vitam æternam det. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius dationem illam vitam æternam de merito vitam æternam accipiunt, ac proinde posterius membrum ejusdem latitudinis esse volunt cum priore, hoc sensu: Dedisti ei potestatem omnium carnis, ut quantum in se est, omnibus det vitam æternam, ut omnibus acquirat amissam vitam æternam felicitatem. Christus enim ratione meriti omnibus hominibus vitam æternam acquisivit, quin & in Verbo Evangelii omnibus sua beneficia, ac proinde etiam vitam æternam offert, quod aliqui non credunt ac propter incredulitatem à vitam æterna excluduntur, ipsorum culpa est. Hæc sententia non pugnat cum fidei analogiâ, cum ratione voluntatis antecedentis Deus velit omnes salvos fieri, 1. Tim. 2, 4. cumque Christus pro omnibus sit mortuus, ac robur aliquod ex verbo *edwards* bis repetito ei posset conciliari. Sed Aug. d. l. membrum hoc posterius priore strictius esse, rectè monet. Dicitur enim, Christus daturus vitam æternam non omni carni, cujus potestatem à Deo accepit, i. e. non omnibus hominibus, quos ab æterna morte redemit, sed omnibus, qui sunt, ei à Patre dati, i. e. omnibus ab æterno electis ac prædestinatis, qui peculiariter quadam ratione Christo à Patre dati dicuntur, in hoc ipso cap. 24. ut & Joh. 6, 37. & 39. sicut etiam Joh. 10, 27. & 28. dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis*. Cum ergo non omnes sint actu oves Christi, nec omnes per prædestinationem ipsi à Deo sint dati, ideo etiam non dat omnibus ipso actu vitam æternam. August. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Illi intelliguntur dati, qui ordinati sunt ad vitam æternam, ipsi sunt illi prædestinati*. tract. 111. in Joh. *Ostendit potestatem se quidem omnium hominum accepisse, ut liberet quos voluerit, damnet quos voluerit, qui vivos & mortuos judicabit, sed eos sibi esse datos, quibus omnibus det vitam æternam &c.* Proinde non ei dati sunt, quibus vitam

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

non dabit æternam, quamvis & ipsorum potestas data sit, cui potestas data est omnis carnis, h. e. omnis hominis. Juxta hanc hypothesein continetur in his verbis non solum causa finalis, propter quam omnis carnis potestas Christo Mediatori data, sed etiam simul causa impulsiva, (videl. voluntas & mandatum Patris, qui ferio velit, ut electis det vitam æternam, ac proinde Filium glorificare debeat, absq; cujus glorificatione istud non possit dari effectum, ac tandem consequens illius dationis, quo modo exponit, Aug. tract. 105. in Joh. *Non frustra dedisti ei potestatem omnium carnis, sed ut omnibus, quos illi tradidisti, dederit vitam æternam*. Conf. Joh. 3, 16. 17. 3. *Ex subjecta ratione illustratione*. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum & salvandum &c. hoc est, comissi mihi totum genus humanum redimendum. Jam verò salus nemini contingere potest absq; saluari utriusq; nostrum cognitione & fide. Vicissim salutaris illa cognitio & fides non nisi per prædicationem Evangelii in cordibus hominum accenditur. Ergo glorifica Filium tuum, hoc est, colloca eum ad dextram tuam, ut misso Spiritu sancto Apostolos ad Evangelium in toto orbe prædicandum instruat, ut magno cum fructu & successu hominibus illud prædicetur, ac fides in multorum cordibus accendatur, ut sic omnibus, quos dedisti mihi, vitam æternam conferre possim. 4. *Ex ipsa textus serie*. Quemadmodum priorem petitionis suæ rationem Christus desumit ex gloria Patris sui cœlestis, ita posteriorem hanc petitionis suæ rationem ordine convenientissimo desumit ex hominum salute, quia gloriam Dei & salutem hominum tanquam scopum sibi proposuit, ad quem in diebus carnis suæ omnes actiones reculit. Quinimo hæc posterior ratio est prioris quasi quædam confirmatio, cum salus electorum ad Dei gloriam tanquam ultimum finem dirigatur. Inter modos, quibus Pater à Filio glorificatur, rectè refertur etiam ille, ut Filius Mediator ab æterno constitutus consummaret opus, quod ipsi à Patre datum. Ad consumationem illius operis cum primis pertinet, ut electis à Christo vita æterna detur, eo enim omnia, quæ Christus in diebus carnis suæ fecit ac passus est, spectant, ut vita æterna electis à Deo detur, hoc ergo inter divina Mediatoris, Redemptoris ac Salvatoris opera est præcipuum & reliquorum omnium finis, Joh. 3, 16. c. 10, 10. Jam verò illa datio vitam æternam electis per Christum & à Christo facta, vel maxime cedit in gloriam Patris. Nisi enim Filius genus humanum ab æterna morte liberasset, & electis vitam æternam daret, ignominiosum quasi Deo foret, præclaram illam generis humani possessionem ab infernali latrone & hoste sibi ereptam non posse recuperari, ac latro ille semper quasi materiam haberet Deo insultandi. Sed quia Filius Dei sua morte genus humanum ab æterna morte liberavit, & à potestate Satanæ eripuit, inde per redemptionem illam gloria Deo fuit restituta & macula per Satanam Dei opificio aspersa, iterum deleta, maxime cum Filius Dei genus humanum non per potentiam, sed per justitiam videlicet per *ισοπρωξ λόγος* exhibitionem liberaverit, Esa. 1. versic. 27. Athanasius orat. 2. contra Arian. *Gloria Patris est, hominem jam conditum & amissum recuperari, mortuamque vivificare, & templum Dei effici*. Potest etiam alia dari ratio, quare salus electorum cedat in gloriam Dei Patris, quia electorum in vita æterna occupatio nulla erit

XXXXXX 4

alia

alia quàm assidua & indefessa Dei laudatio. Utiqve ergo Filius dando electis vitam æternam Patrem suum cœlestem glorificat. Atq; ex eo facillè apparet, quòd verba illa *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis &c.* propriè sint referenda. Rupertus ea refert ad propositionem, *Glorifica Filium tuum*, quippe cui jam ante potestatem omnis carnis dedisti. Tracta eum tanquam legatum, quem abs te coram omnibus glorificari convenit. Glorifica eum juxta potestatem & imperium jam antè ipsi datum, ut talis sit Filii glorificatio, quæ est imperium. Imperium ipsi dedisti in omnem carnem, id est, potestas ejus in omnem carnem extenditur. Ergo etiam talis sit ejus glorificatio, videlicet quæ per totum terrarum orbem extendatur. Augustinus & Beda referunt ad propositionis rationem. *Ut Filius te glorificet.* Quandoquidem Filio omnis carnis potestatem dedisti, fac, ut te apud omnem carnem glorificet, quia glorificari Patrem à Filio, est, per Filium omni carni Judæis & Gentibus nomen Patris innotescere. Quod à Filio glorificari velis, ex eo apparet, quòd Filio potestatem dederis in omnem carnem, non Judæorum tantum, sed Gentium: si inter Judæos tantum glorificari voluisses, non fuisset opus, ut te glorificarem, quia notum in Judæa nomen tuum. Sed commodè potest referri ad utrumque membrum, ut & novam propositionis rationem, & præcedentis rationis confirmationem, exprimat. Ut enim in rationis hujus illustratione Patris & Filii cognitio jungitur, quando Christus subjicit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: ita quoque ipsa ratio, videlicet datio vitæ æternæ, ad Patris & Filii gloriam adeoque tum ad propositionem, *glorifica Filium tuum*, tum ad priorum propositionis rationem, ut & *Filius te glorificet*, commodè referri potest, ut sit sensus: Sicut jam antè Filium glorificasti dando ei potestatem omnis carnis, ita porrò eum glorifica, ut electis vitam æternam dando te Patrem etiam ipse ulterius glorificare possit. Sicut dedisti ei potestatem redimendi totum genus humanum, miracula operandi, peccata remittendi & judicium faciendi, ita da ei potestatem electis vitam æternam dandi, ac proinde me glorifica, quia absque mei glorificatione non possum electos glorificare, ac vitam æternam illis dare. 5. *Ex aliorum locorum collatione.* Quando Christus hoc loco dicit, sibi datam esse omnis carnis potestatem, respicit ad Ps. 2, 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, v. 9. reges eos in virga ferrea &c.* Significat igitur, se esse omnium gentium, imò omnium creaturarum constitutum Dominum, plenum jus ac potestatem de singulorum hominum vita & morte decernendi sibi esse datam; potestatem judicariam in vivos & mortuos sibi esse datam, dominium vitæ & mortis sibi esse traditum, ut omnibus à Patre sibi datis vitam æternam conferre possit. Potest etiam huc referri locus, Matth. 11, 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, in quem Athanas. in orat. de verbis Matth. 11. sic commentatur: *Tradita sunt ei omnia à Patre ut Medico, qui sanaret morsum serpentis; ut vitæ, quæ excitaret mortuum; ut luci, quæ illuminaret tenebras; ut λόγῳ, qui redintegraret vim rationalem. Id-*

ipsum declarat antithesi Adami & Christi. Ea quæ ad agnitionem, salutem & vitam æternam humani generis pertinent, principio à Deo deposita fuerunt apud Adamum non solum pro ipso, sed etiam pro omnibus ipsius posteris ad quos propagatione traducerentur. Sed Adamus per lapsum ea turpissimè amisit, non tantum pro se, sed etiam pro tota posteritate, cui in æternum amissis illis bonis fuisset carendum, nisi in arcano Deitatis consilio decretum fuisset, Filium in plenitudine temporis debere humanam naturam assumere, & in ea patiendo ac moriendo restitutionem bonorum cœlestium humano generi iterum impetrare. In hujus Mediatoris persona Pater omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, ac plenitudinem omnium bonorum cœlestium ad salutem generis humani deposuit, omnia, quæ ad agnitionem Dei & salutem generis humani spectant, in manus ipsi dedit, ut ex illius manibus ad nos unice descenderent. Quia verò notanter diximus, Christo ut Mediatori potestatem super omnem carnem esse datam, ex eo facillè apparet, hanc dationem præsupponere divinam & humanam in Christo naturam, cum non secundum humanam tantum, nec secundum divinam tantum, sed secundum utramque naturam sit noster Mediator. Non potuisset Christo, ut Mediatori potestas super omnem carnem, i. e. totum genus humanum redimendum & salvandum dari, nisi in personæ unitate esset Deus verus & homo verus, ac nisi verè divina & infinita potestas ad generis humani redemptionem necessaria ipsi competeret, unde quidam ex veteribus Christo secundum divinam naturam, quidam secundum humanam naturam potestatem omnis carnis datam esse asserunt, sed diverso dationis modo. Secundum divinam naturam Christo data est potestas omnis carnis, h. e. divina & infinita omnipotentia per æternam à Patre generationem, ita ut hæc divina & infinita potestas ipsi competat essentialiter, Hilar. lib. 9. de Trin. *Habet in dante quod Pater est, & in accipiente quod Deus est, cum & in eo significetur Pater esse, quod dederit, & in eo Filius Deus maneat, quod vitæ æternæ dante sumserit potestatem.* Secundum humanam naturam Christo data est omnis carnis potestas per hypostaticam assumptæ naturæ cum λόγῳ unionem. Quamvis enim propter spontaneam exinanitionem Christus secundum humanam naturam potestatem illam non statim plenariè usurpavit, tamen in primo incarnationis momento ea fuit ipsi verè communicata, ac de hac datione secundum humanam naturam sibi facta, Christus propriè hic loquitur, tum quia potestas omnis carnis quæ sibi habet ad creaturas, tum quia datio hæc, id est, personalis communicatio potestatis facta est in tempore. Augustinus tractat. 105. in Johan. *Quod potestas est Christo omnis carnis data, secundum hominem intelligendum. Nam secundum Deum omnia per ipsum facta sunt, & in ipso condita sunt omnia in cælo ac in terra, inde Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 15. utramq; sententiam conjungit: Quod universe carnis potestatem sibi dicit datam, id humane mensuræ humilitatis, figuræ convenire non dubitamus. Cum spontè obsecutus Patri homo factus sit, qui omnia possidet ut Deus, omnia recipit ut homo. Et postea: Quod si etiam sublimius hæc intelligere ac de Christo ut Deo placet, in mentem tibi veniat illius, quod Dominus ad Iudæos dixit: Amen, amen dico vobis, nullus potest ad*

est ad

est ad me venire, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum. Nam quos Pater vivificare vult, eos vivificat sua virtuti, hoc est, Filio adducit &c. Colligitur ergo ex hoc loco, 1. Christum esse verum Deum. Nisi enim verus Deus esset, non competeret ei potestas omnis carnis, quæ est potestas verè divina & infinita, Num. 16. v. 22. cap. 27. v. 16. Jerem. 32. v. 27. Nisi etiam, verus Deus esset, non posset vitam æternam dare, quippe quæ est bonum infinitum, ac à nemine potest dari, nisi qui essentialiter est ipsa vita, 1. Johan. 5. v. 11. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita est in Filio ejus.* v. 20. *Hic est verus Deus & vita æterna.* Angeli quidem vivunt in æternum, sed tamen nemini possunt dare vitam æternam. Theophyl. in h. l. *ut det vitam æternam, hoc potestatem indicat unigeniti & Deitatis. Dei enim est, dare vitam, eamque æternam.* 2. Christo secundum humanam naturam dona verè divina & infinita esse data, quia potestas omnis carnis, (quæ Dan. 7. v. 13. vocatur *potestas æterna*) ac potestas dandi vitam æternam electis, ipsi in tempore data. Dionys. in h. l. *Loquitur de datione potestatis temporali, que competit ipsi secundum humanam naturam, quia illa finaliter ordinatur ad redemptionem humanam.* 3. Christum esse non tantum Judæorum, sed etiam Gentium Redemptorem ac Salvatorem, non tantum V. sed etiam N. Test. Mediatorem, ac omnes omnium temporum populorum & ordinum homines ipsum attinere, data est enim ei *potestas omnis carnis*, id est, totum genus humanum, ut pro ejus salute moriatur, ipsique vitam æternam promeretur. 4. Causam finalem incarnationis & missionis Filii Dei in hunc mundum, eorumque omnium, quæ in hoc mundo fecit & passus est, esse redemptionem generis humani à peccato, morte, diabolo & inferno, ac æternam electorum salvationem. 5. Christo non tantum potestatem datam judicandi omnes homines & damnandi reprobos, sed etiam ac vel maximè salvandi credentes, ac proinde potestatem ipsius non esse tyrannicam, sed salvificam. Simon de Cassia lib. 12. cap. 16. *Filius non accepit à Patre super homines tyrannicam, perfunctoriam, ambitiosam & severam potestatem, sed ut veritatem & possit eis vitam æternam conferre.* 6. Christi imperium se extendere super omnem carnem, id est, super omnes universæ terræ nationes, Psalm. 72. 8. Deus singulis regnis ac Monarchiis certos præfixit limites, sed regnum Christi est Catholicum super omnem carnem sese protendens. 7. Adversus ipsum Deum rebelles esse, qui Christum Regem agnoscere renuunt, cum à Patre cœlesti potestas omnis carnis ipsi data sit. 8. Christum ut Mediatorem accepisse imperium non tam sui commodi quam nostræ salutis causa. Imperium ejus est *super humeros ipsius*, Esa. 9. v. 6. 9. In solo Christo quærendam esse veram Dei agnitionem, reconciliationem cum Deo, justitiam & salutem æternam, cum ipsi, ut Mediatori omnia in manus data. 10. Memoriam beneficiorum prius acceptorum esse salutarem conditionem precationis, quæ nova beneficia petuntur. Sic Christus, glorificari se à Patre petens, potestatem omnis carnis à Patre sibi datam esse, grato corde prædicat. 11. Christi dona propria & præcipua non esse potentiam mundanam, divitias terrenas, honores transitorios, sed æternam felicitatem & gloriam. 12. Christum quidem omnibus vitam æternam promeruisse, interim tamen non omnibus actu eam dare. Christus

est autor vitæ æternæ, non solum ratione meriti, sed etiam ratione efficacie, sive actualis collationis. Meritum ad omnes pertinet, & est universale, sed actualis collatio culpâ ipsorum hominum fit particularis. 13. Christum illis dare vitam æternam, qui sunt ipsi à Patre dati primò per *æternam prædestinationem*, Eph. 1. v. 4. secundo per *vocationem* Verbo Evangelii factam, Johann. 6. 44. Rom. 8. v. 30. tertio per *justificationem*, sive quod idem est, per fidei adhaerentiam. Vita æterna non obtingit, nisi electis. Electi non sunt, nisi illi, qui fide confugiunt ad Christum, & in fide ad finem usque vitæ perseverant. Tales dicuntur à Patre Christo dati, quia Pater eos cum hoc mandato Christo dedit, ut det eis vitam æternam, non solum sua passione & morte remissionem peccatorum & vitam æternam ipsis promerendo, sed etiam per Verbum Evangelii & Spiritum sanctum fidem in illis efficiendo, inque ea ad finem usque vitæ eos conservando. Quibus datum est à Deo Patre, ut in Christum credant, & in fide perseverent, illi etiam à Patre dati sunt Christo, ut det eis vitam æternam. 4. Vitam æternam non esse operum nostrorum meritum, sed *gratuitum Dei in Christo donum*, Rom. 6. v. 23. In Christo & per Christum habemus introitum in cœlestem gloriam, quem amisimus per Adami transgressionem voluntariam.

Hanc secundam propositionis rationem illustrat & probat Christus à modo & medio, per quod electis vita æterna datur. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Pronomen *autem*, vel more Græcorum convenit cum sequenti voce *ἵνα*, cum ad superiorem sententiam relata deberet poni in genere neutro, Gal. 3. 16. Eph. 1. v. 13. vel quod magis congruit, more Hebræorum absolute ponitur pro *τὸ τοῦ θεοῦ*. Quia enim Hebræi carent neutro genere, ideo pro eo usurpant frequentius femininum, interdum etiam masculinum, Gen. 50. 20. Exod. 10. 11. Pl. 7. 8. Pl. 12. 4. Pl. 27. 4. Particula adversativa *ἔτι* ponitur *αὐτολογικῶς* pro *ἕτι*, ut series textus ostendit, sicut contra causalis *ὅτι*, pro adversativa, sed, *quavis*, veruntamen &c. sæpius usurpatur. Exempla utriusque permutationis in præcedentibus adduximus. Conjunctio *ἵνα* ponitur *ειδικῶς* vel per appositionem, Johan. 15. 8. & 12. *Hæc est vita æterna, id est, hæc in re consistit, hinc pendet vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum &c.* Per *τὸ γνωσκῆναι*, Augustinus tract. 105. in Joh. intelligit cognitionem intuitivam, quæ fiet per speciem live *à facie ad faciem* in futuro seculo. Confer lib. 1. de Trinit. cap. 8. lib. 2. de lib. arbitr. cap. 2. lib. de Spiritu & liter. cap. 33. Eodem modo exponunt Euthymius & Lyranus in hunc locum. Juxta hanc hypothesein verba illa, *Hæc est vita æterna*, exponenda sunt *formaliter*, quia in visione beatifica formaliter consistit vitæ æternæ felicitas. Sed Tertullianus lib. de Trinitat. Cyprian. Epistol. 73. ad Jubianum. Hilarius lib. 9. de Trinit. Ambros. 1. de offic. cap. 2. & lib. 5. de fide cap. 2. Cyrillus lib. 11. in Johan. 16. &c. per *τὸ γνωσκῆναι* intelligunt cognitionem, quæ fit *per fidem*, & ut Apostolus loquitur, 1. Corinth. 13. 12. *per speculum & in enigmate* in hoc seculo. Juxta hanc hypothesein verba illa: *Hæc est vita æterna*, exponenda sunt *causaliter* per quandam *metalepsin* live *metonymiam*, cujus exempla etiam

etiam in aliis Scripturæ locis occurrunt, Joh. 3, 19. *Hoc est iudicium*, id est, causa iudicii. Joh. 11, 15. *Ego sum resurrectio & vita*, id est, causa resurrectionis & vitæ. Joh. 12, 50. *Mandatum ejus est vita æterna*, id est, Verbum Evangelii offert hominibus vitam æternam. Rom. 7, 7. *Num lex peccatum est?* id est, num parit peccatum. cap. 8, 6. *Prudentia carnis mors est*. 1. Joh. 5, 20. *Hic est vita æterna*, id est, causa & dator vitæ æternæ, (ut exponitur Joh. 10, 28. *ego vitam æternam do eis*. Heb. 5, 9. *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*.) Confer. Deuter. 30, 15. 2. Reg. 4, 20. &c. Ita quoque hoc loco. *Hec est vita æterna*, e. causa vitæ æternæ sive modus perveniendi ad vitam æternam, medium, per quod obtingit vita æterna, *radix vitæ æternæ*, ut exponitur Sap. 15, v. 3. Notandum enim collationem inter locum præsentem, & reliquos adductos textus institui non in specie, sed in genere, in plerisque enim adductis locis agitur de causa efficiente principali ac meritoria, sed hic agitur de causa instrumentali. Cyrill. d. l. *Radix atque originem æternæ vitæ fidem, & veræ pietatis virtutem esse affirmat*. Et postea: *Cum origo & quasi pronuba honorum cælestium cognitio veri Dei esse inveniatur, refertur à Christo vita æterna est appellata, quasi mater & radix virtutis nature, que sua vitam æternam pariens*. Sed inter has expositiones non est capitalis quædam pugna, sed pulcherrima subordinatio. Propriè & principaliter Christus loquitur de cognitione Dei per fidem, quæ in hac vita locum habet, ut apparet 1. ex textus serie & connexionem. Dixerat Christus: *Pater, glorifica Filium tuum, ut & Filius te glorificet, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut, quosquos dedisti ei, det eis vitam æternam*, hoc est, nisi me, Filium tuum, glorificaveris, non potero vitam æternam dare electis abs te mihi datis, cum tamen eo fine totum genus humanum redimendum mihi dederis. Jam subjungit: *Hec est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, quibus verbis probat connexionem proximè præcedentis rationis cum propositione. Inde atque ideo non potero vitam æternam electis dare, nisi me glorificaveris, quia vita æterna nemini contingit, nisi per fidem in me promissum Messiam mundi Salvatorem. Fides consistit in salutari mei cognitione. Cognitio mei non habetur, nisi ex Verbo Evangelii. Verbum Evangelii non potest in toto terrarum orbe prædicari, nisi prius me glorifices, id est, ex morte resuscites, & ad dextram tuam colloques, ut Spiritu sancto super Apostolos visibiliter effuso ad Evangelium in toto orbe prædicandum eos idoneos reddam. Utique ergo, nisi me glorificaveris, non potero electis abs te mihi datis vitam æternam dare. Sic ergo Christus his verbis primò rationem proximè præcedentem ab hominum salute ductam illustrat & confirmat, ejusdemque necessariam cum propositione connexionem ostendit. Secundò declarat viam, modum atque ordinem, quomodo electis daturus sit vitam æternam, nempe dando illis salutarem sui & Patris cognitionem per prædicationem Evangelii & Spiritum sanctum. Tertiò ostendit, quoniam sint illi, quos à Patre sibi datos esse dixerat, & quibus vitam æternam se daturum promiserat, videlicet qui cognoscunt verum Deum & Mediatorem Christum, & in fide illa ad finem usque vitæ perseverant. Quartò sicut in ratione & Patris & suam gloriam

artificiose nexu conjunxerat, nam prius membrum, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, pertinet ad glorificationem Filii: posterius membrum, ut quosquos dedisti ei, det eis vitam æternam, pertinet ad glorificationem Patris: ita quoque in hac illustratione & amplificatione rationis & Patris & suam gloriam denudò artificiosè conjungit. Nam prius membrum, ut cognoscant te solum verum Deum, pertinet ad gloriam Patris: posterius membrum, & quem misisti Iesum Christum, pertinet ad gloriam Filii. Ex glorificatione oritur cognitio, ex cognitione vita æterna. Quia ergo vita æterna consistit in cognitione tui. Ergo da, ut Filius te glorificet. Quia vita æterna consistit etiam in mei cognitione. Ergo me glorifica. Quintò necessitatem suæ resuscitationis, & ad dextram Dei collocationis demonstrat. Vita æterna consistit in eo, ut Filius cum Patre agnoscat verus Deus, ejusdem cum ipso potentia & essentia. Ergo necessarium est, ut per resuscitationem ex mortuis & collocationem ad tuam dextram coram toto mundo declares, me esse verum tuum Filium, ac verum Deum, & acproinde me glorifices. 2. Ex ipsius Christi explicatione. Verbum *γινώσκεις* Christus ipse in sequentibus explicat de cognitione per fidem in hac vita, vers. 7. *Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt*. v. 8. *verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quod à te exivi, & crediderunt, quod tu me misisti*. vers. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*. Probat Christus, Apostolos esse in numero eorum, qui à Patre sibi dati sunt, & quibus daturus sit vitam æternam, quia crediderunt, quod sit à Patre missus. Sic ergo thesin generalem hoc loco positam transfert ad hypothesein, & ostendit, etiam hoc loco per τὸ γινώσκεις fidei cognitionem esse intelligendam. Quando autem in vers. 24. loquitur de cognitione intuitiva, quæ aliquando fiet per speciem, tunc utitur verbo *θεωρεῖν*. *Ὡς, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*. 3. Ex aliorum locorum collatione. Novum non est in Scripturis, de credentibus etiam in hac vita prædicari, quod habeant vitam æternam, tùm quia in Christo vitam æternam spe minimè dubià obtinent, tùm quia initia & προνοησῶν sive προγινώσκω quondam vitæ æternæ etiam in hac vita experiuntur. Johann. 3, vers. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. cap. 6, 40. *Hec est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*. 1. Joh. 5, v. 11. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est*. v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam*. vers. 13. *Hæc scriptis vobis credentibus in nomen Filii Dei, ut sciatis, quod vitam habeatis æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei*. v. 20. *Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus*. Hic est verus Deus & vita æterna, qui loco huic nostro sunt planè paralleli. Ubi tamen notandum, cognitionem Dei, & Mediatoris Christi per fidem vocari vitam æternam, non quod credentes, qui eam vivunt, absolute non possint mori, id est, vitam illam spirituales & cœlestem amittere, (hæc enim felicitas & absoluta vitæ inamissibilitas in futuro demum seculo ipsis continget,) sed quia possunt non mori, id est, vitam illam spirituales retinere, &

cælestis gloriæ aliquando participes fieri, quam explicationem suppeditat ipse Christus, Joh. 11, 25. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* v. 26. & *omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Hæc omnia satis perspicue probant, Christum proprie & principaliter hinc loqui de modo & ratione perveniendi ad vitam æternam, ac nomine cognitionis intelligi cognitionem, quæ fit per fidem. Neque enim cogitandum, per το γνωστικῶν intelligi γνωστικῶν φυσικῶν, quæ ex naturæ lumine in mentibus hominum adhuc superflite, & ex inspectione creaturarum originem ducit, Rom. 1, 19, 20. ea enim est imperfecta, infirma, languida, & ad salutem insufficientis, vel intelligi tantum notitiam in mente: sed repetenda hoc loco regula, quod verba notitiæ, apud Hebræos connotent motus, affectus & effectus, qui notitiam illam in corde sequuntur. Intelligitur ergo talis cognitio, quæ complectitur non solum notitiam in mente, sed etiam assensum in voluntate, & fiduciam in corde. Id ipsum manifestè patet ex cognitionis huius objecto, quod à Christo hic duplex statuitur, videlicet Pater, & missus à Patre Filius, Mediator Christus Jesus. De Patre hoc cognoscendum esse dicit, quod sit *solus verus Deus*; de Filio, quod sit à Patre in hunc mundum missus, ut sit mundi Redemptor ac Salvator. Jam verò, qui Deum in Christo tanquam Mediatore, Redemptore & Salvatore agnoscit, is agnoscit illum pro suo Patre per Christum reconciliato, ac cordis sui fiduciam in ipsum collocat. Proinde cognitio illa, in qua Christus vitam æternam consistere dicit, complectitur tum notitiam veri Dei & Mediatoris Christi ex doctrina Evangelii haustam in mente, tum assensum in voluntate, tum fiduciam in corde in Christo Mediatore, & per Christum in Deo tanquam benevolente Patre acquiescentem, cum qua conjuncta est lætitia & tranquillitas conscientiæ, Rom. 5, 1. ac gaudium in Spiritu sancto, c. 14, 17. & ex qua postmodum vera dilectio, & sincera erga Deum obedientia originem trahunt. Quia verò Christus Patrem hoc loco vocat *solum verum Deum*, ex eo Arianæ evincere conati sunt, nec Filium nec Spiritum sanctum esse ejusdem cum Patre essentie, sed Filium Patre, & Spiritum sanctum Filio esse minorem, hunc enim locum fuisse Arianorum Achillem, unanimi suffragio testatur, qui in arenam disputationis cum ipsis descenderunt, vel contra illos Scripturam monumentis pugnarunt. Arianorum vestigiis hac in parte hodie insistent Photiniani, ut apparet ex Socin. in tract. de Deo Christo & Spiritui sancto, pag. 5. in lib. quod Evangelici se Photin. adjungere debeant, p. 28. Catech. Raccoc. p. 37. &c. Notandum verò, quod non uno eodemque modo ad hanc Arianorum objectionem pii veteres responderint: 1. Hilarius lib. 9. de Trin. Athan. in disput. contra Arium in Conc. Nicen. Nazianzenus orat. 4. de Theol. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2. Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 9. & tractat. 105. in Joh. textum sic construendum & ordinandum esse censent: *ut cognoscant te, & quem misisti, Jesum Christum, solum verum Deum, ut sic copulativa καὶ & Patrem & Christum in una Deitate conjungat. Ordo verborum est, ait August. loco posterius citato, ut te, & quem misisti, Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim & Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filii tanquam caritas substantialis & consub-*

stantialis amborum. Cum hac responsione ferè congruit, quod quidam inserta particulâ ἐξηγητικῆ δηλονότι textum sic ordinant: *ὡς γνωστικῶσι τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, δηλονότι σε καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.* Hilarius hanc textus coordinationem probat ex eo, quia aliàs sensus foret imperfectus. *Nam si de solo Patre credendum diceretur, quod sit verus Deus, de Christo nihil diceretur credendum, quod est absurdum. Relinquitur igitur intelligendum, quod non de solo Patre, sed etiam de Christo dicatur credendum, ipsum esse verum Deum.* Alii eam probant ex articulo τὸν proposito voci μόνον. Sed contra pertinacem adversarium ejusmodi coordinatio textus vix poterit obtineri, cum distinctè Christus doceat, quid credendum sit de Patre, videlicet quod sit *solus verus Deus*, & quid credendum sit de se, Patris æterni Filio, videlicet quod sit *in hunc mundum à Patre missus Christus Jesus.* 2. Quidam respondent, *particulam solus non debere referri ad subjectum, quasi solus Pater dicatur verus Deus, sed ad prædicatum, quod Pater sit solus ille verus Deus, extra quem non est alius, quod confirmant, tum ex ferie textus Græci, quia articulus τὸν & particula exclusivæ μόνον non subjecto σε, sed prædicato ἀληθινὸν Θεόν præfiguntur, tum ex altero epitheto ἀληθινόν.* Si enim μόνον pertineret ad subjectum, eodem etiam pertineret ἀληθινόν. Atqui illud non pertinet ad subjectum, sed ad attributum; tum ex versione Syriaca, quæ sic habet: *ut agnoscant te, qui es verus Deus, vel Deus veritatis solus, ܕܝܢܗܘܐ ܕܥܠܡܝܢܐ, qui es ille Deus, qui solus est verus Deus, & præter quem nullus est alius.* Lyranus in hunc locum: *Exclusivæ solus non determinat Pronomen te, ut sit sensus: quod solus Pater sit Deus: sed determinat nomen, Deum, ut sit sensus: quod illa est sola Deitas vera, quæ est in Patre, à qua non excluditur Filius.* Beza in annotation. h. l. *Hæc sententia sic perverti potest, ac si solus Pater diceretur esse verus Deus, ita videlicet, ut particula μόνον construatur à parte anteriore cum verbo substantivo necessario subaudito, cum tamen articulus τὸν præpositus particule μόνον ostendat, hanc esse à parte posteriore cum illo verbo connectendam, ut Pater dicatur esse ille verus Deus, qui solus est, utpote qui sit unicus & singularissimus, quo modo etiam construendus est idem articulus cum eadem particula, Rom. 16, v. 27. 1. Tim. 1, 17. 3. Scholastici distinguunt inter nomen solus usurpatum substantivè vel adjectivè. Hæc propositio (inquiunt) *solus Pater est Deus, vera est, si solus excludat aliud substantivè, id est, rem alterius naturæ seu essentie, ut sensus sit: Pater est Deus, & nulla res alterius naturæ est Deus. Falsa vero est, si solus excludat alium adjectivè, quia non solus Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus est Deus, quo referri posset dictum Hilarii l. 9. de Trin. Pater est solus Deus, sed non solitarius.* 4. Quidam respondent, Patrem vocari solum verum Deum per *quandam attributionem, quia est ἀγεννητός, non habens originem ab alio, sed ipse potius origo est & fons divinitatis, sicut nomen Domini tribuitur Christo, & nomen Spiritus tribuitur Spiritui sancto. Ut ergo Pater non negatur esse Dominus, licet nomen Domini peculiariter attribuat Filio, ita Filius non negatur esse Deus, licet nomen Dei peculiariter attribuat Patri. Ideò verò Patrem à Christo hic vocari solum verum Deum, dicunt, quia Christus voluerit de Patre honorificentissimè, de se modestissimè lo-**

qui,

qui, cum fuerit in extremo exinanitionis statu, unde etiam de se in tertia persona loquatur, & quem missi Iesum Christum. Sed periculosum est, propter ordinem personarum in Trinitate soli Patri nomen veri Dei vindicare, ac cum absolutissimâ Patris, Filii & Spiritus sancti *ἑνωσις* pugnat. Patrem, per quamdam *ἐξοχὴν*, Deum esse & vocari, statueret. 5. Quidam nomine Patris totam sacrosanctam Trinitatem intelligunt. Oecolamp. in h. l. Sed superius probavimus, nomine Patris personaliter accepto in hisce precibus intelligi primam Deitatis personam, quæ ab æterno ex sua essentia Filium genuit. 6. Basilius lib. 4. contra Eunom. Nazianzenus orat. 5. De Theolog. Chrysostom. homil. 79. in Johan. Cyrillus lib. 11. in Joh. c. 16. Theophylactus in h. l. &c. Simplificissimè respondent, particulam exclusivam *solus* non opponi reliquis divinitatis personis, Filio scilicet & Spiritui sancto, sed creaturis & fictitiis gentilium numinibus. Basilius d. l. *Unus & solus de Deo in Scriptura non ad distinctionem Filii aut Spiritus sancti dicantur, sed adversus eos, qui Dei non sunt, falso autem appellantur.* August. lib. 3. contra Maximin. cap. 13. *Particula solus non excludit eas personas, quæ sunt ejusdem cum Patre nature, sed res creatas.* Hæc regula confirmari potest primò in genere, secundo in specie. In genere probatur ex illis Scripturæ dictis, in quibus particula *solus* non ita *ἄπλως*, & absolute accipitur, ut omnia omninò excludat, etiam ea, quæ personæ vel rei, cui additur, sunt certâ ratione conjuncta, sed quædam tantum Deut. 1. 36. *Nemo videbit terram illam bonam præter Caleb*, ubi tamen non excluditur Josua, ut patet ex v. 38. 1. Reg. 12. 20. *Non fuit post domum David, nisi tribus Iuda sola*, ubi non excluditur tribus Benjamin, quæ se tribus Iudæ conjunxerat, ut patet ex v. 21. Marc. 6. v. 47. *Christus erat solus in terra*, ubi discipuli tantum excluduntur. Joh. 8. 9. *Iesus remanebat solus in templo*, ubi non mulier, sed accusatores tantum removentur. 1. Cor. 9. 6. *Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem*, ubi particula *solus* de Paulo usurpatur, neque tamen Barnabas excluditur, quippe qui in opere Evangelicæ prædicationis erat Paulo conjunctus, quod exemplum urget Chrysostomus homil. 79. in Johan. Athanasius in Disput. contra Arium in Concil. Nicen. ex vulgari modo loquendi affert tale exemplum: *Si quis dicat, cognoscas solum Constantinum Imperatorem terræ & maris, ac Constantinum ejus Filium esse, ibi à consortio Imperii filius non separatur, sed potius conjungitur.* Sed hæc generalis probatio nondum est sufficiens, quia illud duntaxat per eam demonstratur, quod particula *solus* possit ita accipi, ut non excludatur Filius vel Spiritus sanctus. Addenda igitur probatio specialis, per quam demonstratur, quod particula *solus* debeat hoc loco ita accipi, ut non excludatur Filius & Spiritus sanctus. Illud verò probamus 1. ex fidei analogia. Qui cum Patre est verus Deus, qui est unum cum Patre, qui non est extra Patrem, sed in Patre, qui non est à Patre alius in essentia, qui eandem numero essentiam cum Patre habet, ille non excluditur à Deitate, quando Pater *solus verus Deus* dicitur, quod est *ἑωδὴ*. Jam verò Filius cum Patre est verus Deus, ut probant omnia argumenta, quæ pro austruenda Filii Deitate ex Scripturis suo loco adducuntur, est unum cum Patre, Johan. 10. 30. non est extra Patrem, sed in Patre, Johan. 14. 10. non

est à Patre alius in essentia, sed tantum in persona, Joh. 5. 32. eandem numero essentiam cum Patre habet &c. Ergo Filius non excluditur à Deitate, quando Pater solus verus Deus dicitur. Idem iudicium de Spiritu sancto de quo itidem omnia illa membra prædicari possunt. 2. Ex scopi consideratione. Christus post suam in cælos ascensionem ablegatus erat Apostolos in totum terrarum orbem, unde in vers. præcedent. dixerat: *Potestatem omnis carnis*, hoc est, non Judæorum tantum, sed etiam gentium sibi esse datam. Quia verò non solum gentiles, sed etiam Judæi destituti erant verâ & salutari veri Dei ac Mediatoris Christi cognitione, gentiles *πολυθεϊστικῶς* sectabantur, Judæi Messiam in mundum missum repudiabant: ideo Christus summam Evangelii brevibus complexus non solum unius veri Dei, sed etiam Messiæ & Mediatoris Christi cognitionem ad vitam æternam requiri asserit. Prius ergo membrum opponitur *πολυθεϊστικῶς* gentilium, 1. Cor. 8. 5. 1. Thes. 1. 9. posterius cæcitati Judæorum Messiam protervè repudiantium. Quod si verò prius membrum opponitur idolomania gentilium, ergo quando Pater dicitur *solus verus Deus*, per illud non excluditur Filius, sed ficticia Ethnicorum numina. Sic quando Thesalonicenses in loco proximè citato dicuntur: *Conversi ad Deum à simulachris servire Deo vivo & vero*, tunc illud non opponitur Christo, ad quem per Apostolicam prædicationem erant conversi, sed ut ipse textus ostendit, idolis, quibus prius servierant. 3. Ex subjunctâ expressâ Filii mentione. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2. Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Reginas, & ante illos Hilarius lib. 3. & 9. de Trinitat. merito hoc urgent, quod non in Patris tantum, sed etiam in Christi cognitione vita æterna esse dicatur. Utiqve ergo non Pater solum, sed etiam Filius est verus Deus. Nam in cujus cognitione pari & eadem omnino ratione vita æterna dicitur consistere, quâ in Patris cognitione eadem consistit, is est verus cum Patre Deus. Quorum est una *πνευματικῆς* ac *θεϊκῆς* γνῶσις, illorum est una *θεϊκῆς* φύσις. Jam verò in Christi cognitione pari & eadem omnino ratione vita æterna dicitur consistere, quâ in Patris cognitione eadem consistit. Ergo Christus est verus cum Patre Deus. Major probatur ex 1. Joh. 5. v. 10. & seq. ubi Deitas Filii probatur ex eo, quod in ipso sit vita æterna. Itemq; ex eo, quod pro sui cognitionem vitam æternam sit daturus, quod solius veri Dei proprium. Minor elucet ex verbis Christi. 4. Ex Mediatoris descriptione. Mediator, cujus cognitio cum Patris cognitione arctissimo nexu conjungitur, hoc loco sic describitur, quod sit à Patre missus, quod sit Iesus, & quod sit Christus. At hæc omnia probant, Mediatorem esse non tantum hominem, sed etiam verum Deum. Missus est à Patre hic Mediator non tantum ratione officii, sed etiam ratione incarnationis. Jam verò incarnatio est *Dei in carne manifestatio*, 1. Tim. 3. 16. Iesus *Salvatore* significat, jam verò salvare est opus solius veri Dei proprium. Christus notat tum ungentem Deitatem tum unctam humanitatem. Ergo quando in priore membro Pater *solus verus Deus* dicitur, per illud Filius à Deitate minimè excluditur. 5. Ex loci paralleli collatione. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2. confert hunc locum cum Joh. 1. 1. *Sicut (inquit) in principio statim Verbum cum Deo Patre piâ confessione junxit Evangelista, dicens: Et Verbum erat* apud

apud Deum: ita & scribendo verba Domini, ut cognoscant re
 solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, conjun-
 ctione illa Patrem utique copulavit & Filium, ut Christum
 verum Deum à maiestate Patris nemo fecerat. Nun-
 quam enim conjunctio separat. Propinquier cognatio
 videtur hujus loci cum 1. Johann. 5. v. 20. quem
 locum Athanasius in Disput. cum Ario in Concil.
 Nicen. tom. 1. p. 93. scriptam demonstrationem vocat,
 ubi Apostolus hujus verficuli ἐξ ἑνός proponit:
 Scimus autem, quod Filius Dei venit, & dedit nobis sen-
 sum, ut cognoscamus verum Deum, & scimus in vero, in Fi-
 lio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, & vita aeterna.
 Ne quis ex eo, quod Pater hoc loco dicitur solus ve-
 rus Deus; inferat, Filium non esse Deum, ideo Jo-
 hannes perspicuis verbis docet: Christum esse verum
 Deum. Christus dicit: Hæc est vita aeterna, ut cognoscant
 re solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.
 Johannes dicit: Filius dedit nobis sensum, ut cognosca-
 mus verum Deum, & scimus in vero, in Filio ejus Jesu Chri-
 sto. Hic est verus Deus, & vita aeterna. Christus dicit, re-
 quiri ad salutem, ut credamus, Filium esse à Patre mis-
 sum. Johannes dicit: Scimus, quod Filius Dei venit. Ut-
 que ergo Johannes ad hæc Christi Verba respec-
 tum habet, eademque explicat. 6. Ex Patris defi-
 nitione. Pater hic dicitur solus verus Deus. Jam verò
 Pater in Scripturis sic definitur, quod sit prima per-
 sona Divinitatis, quæ ab aeterno ex sua essentia ge-
 nuit Filium imaginem suam, & cum Filio spirat
 Spiritum sanctum. Ergo negatà Filii divinitate ne-
 gatur definitio Patris in Scripturis tradita, quia Pa-
 ter aeternus non est, qui non habet Filium aeternum.
 Damascenus lib. 1. orth. fid. cap. 8. Tantum
 igitur abest, ut per particulam solus à Deitate exclu-
 datur Filius, ut in ipsius Patris appellatione inclu-
 datur, utpote unius & ejusdem divinitatis cum Pa-
 tre particeps propter aeternam ex Patris essentia
 generationem. 7. Ex diversa particula exclusivæ usurpa-
 tione. Scriptura de Deitate loquitur dupliciter. Pri-
 mò considerata κατ' ἐξω, quando scilicet eam soli
 Deo tribuit, & fictitiorum Deorum multitudine,
 opponit. Secundò κατ' ἔσω, quando tribus Deita-
 tis personis eam communem esse asserit. Ubicun-
 que Scriptura dicit, Deum esse unum, esse solum,
 Deum, non esse alium præter ipsum & extra ipsum,
 ibi Deitas consideratur κατ' ἐξω ad extra, & exclu-
 duntur à Deitate omnes creaturæ & omnia fictitia
 numina, atque ea est propria vis exclusivæ de Deo
 usurpata. Quando verò Deitatis κατ' ἔσω five ad in-
 tra consideratur, tunc exclusivæ disertè rejicitur.
 Ioh. 8. v. 16. cap. 16. v. 32. Non sum solus, sed ego &
 qui misit me Pater, quia Pater non est eâ ratione solus
 Deus, ut Filius non sit unus cum ipso Deus, quia
 etiam Filius est verus Deus, 1. Ioh. 5. v. 20. & omnia
 habet, quæcumque Pater habet, Iohan. 16. v. 15. Ergo
 quando Pater hoc loco dicitur solus verus Deus, tum
 consideratur Deitas Patris κατ' ἐξω, & excludun-
 tur fictitia numina, non autem Filii & Spiritus
 sanctus, qui sunt unum cum Patre. Lyranus in hunc
 locum: Dato, quod hæc dictio solus determinet pronomen
 te, ut sit sensus, quod solus Pater sit Deus, non tamen per
 hoc excluditur Filius à Deitate, sed magis includitur, quia
 secundum Philolophum solus idem est, quod non cum alio, &
 ideo tantummodo excludit illud, quod alietatem dicit. Fi-
 lius autem non est alius à Patre in essentia, sed tantum in
 persona. 8. Ex paritatis ratione. Si particula solus de Pa-
 tre usurpata excluderet Filium & Spiritum sanctum

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

à Deitatis consortio, utique eadem de Filio & Spi-
 ritu sancto usurpata Patrem ab eodem excluderet.
 Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens.
 Ejusmodi loca, in quibus exclusivæ de Filio & Spi-
 ritu sancto usurpatur, dantur in Scripturis complu-
 ra. Basiliius lib. 4. contra Eunom. producit locum
 Baruch. 3, 36. Hic est Deus noster, & non estimabitur al-
 lius ad eum. v. 38. Qui in terris visus est, & cum homini-
 bus conversatus est. Sed liber Baruch. est extra Cano-
 nem. Ergo alia afferenda sunt dicta. Deut. 32. v. 12.
 Dominus solus dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alie-
 nus (hunc locum de Filio accipiendum esse, patet
 ex Gen. 28. v. 12. Exod. 3, 8. cap. 23, 20. c. 32, 34.
 1. Cor. 10. v. 9. &c.) Jam verò etiam Pater & Spi-
 ritus sanctus deduxerunt Israëlitas per desertum, ut
 constat ex 2. Sam. 7. v. 23. Es. 63, 7. & seqq. Ergo
 illi per particulam solus Filio attributam non ex-
 cluduntur. Esai. 43. v. 10. Ego ipse sum & ante me non
 est formatus Deus. vers. 11. Ego sum, ego sum Dominus,
 & non est absque me Salvator. Hunc locum adducit
 Cyprianus lib. 2. ad Quirinum c. 6. quem de Chri-
 sto agere, patet ex collatione, Esa. 45, 21. 22. & 23.
 cum Roman. 14, 12. Item Es. 43, 25. cum Hebr. 1.
 v. 3. 1. Ioh. 1, 7. & ex locis omnibus, in quibus Chri-
 stus dicitur salutare & Salvator, Gen. 49, 18. Esa. 52.
 v. 10. Zach. 9, 9. Luc. 2, 11. Act. 4, 12. Jam verò et-
 iam Patri & Spiritui sancto opus salvandi competit.
 Ergo exclusivæ de Christo usurpata, quod absque
 eo & præter eum non sit Salvator, nec Deus, hoc
 est, quod solus sit Salvator & Deus non excludit ab
 opere salvationis Patrem & Spiritum sanctum: sed
 falsos Deos gentilium, ut ex Esa. 45. v. 15. & 16.
 patet. Matth. 11, 26. Nemo novit Filium, nisi Pater, hoc
 est, solus Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, hoc
 est, solus Filius, nec tamen excluditur Spiritus san-
 ctus, quippe qui scrutatur profunditates Dei, 1. Cor. 2.
 v. 10. Act. 4. v. 12. Non est aliud nomen sub celo datum,
 in quo oporteat nos salvos fieri, nisi in nomine Jesu. At hoc
 ipso loco Christus docet, non excludi nomen Pa-
 tris. Sic 1. Cor. 2. v. 2. Non putavi, inter vos me que-
 ram scire, nisi Jesum Christum, hoc est, solum Chri-
 stum, (ubi tamen non excluditur cognitio Patris
 & Spiritus sancti) cap. ejusd. v. 11. Nemo novit, quæ Dei
 sunt, nisi Spiritus Dei, hoc est, solus Spiritus (ubi ta-
 men non excluditur Filius, ut ex Matth. 11. v. 26.
 patet) cap. 8. v. 6. Unus Dominus Iesus Christus, nec ta-
 men negatur, quod Pater sit Dominus, quem lo-
 cum urget Origen. lib. 7. ad Rom. p. 577. Ep. Jud.
 v. 4. τὸν μόνον θεοῦ ὄντος Θεὸν καὶ κυρίον ἡμῶν Ἰησοῦν
 Χριστὸν ἀνομινοῦν. v. 25. μόνον ὁ Θεὸς Θεὸς πατὴρ ἡμῶν
 δοξάζει, ubi Christus dicitur solus Dominus, solus Deus,
 solus sapiens, solus Servator, nec tamen vel Pater, qui
 & ipse vocatur μόνος Θεός Θεός, 1. Tim. 1. v. 17.
 vel Spiritus sanctus excluduntur. Apoc. 19. v. 12.
 nomen Christi nemo novit nisi ipse, nec tamen signi-
 ficatur vel Patrem vel Spiritum sanctum illud igno-
 rare. 9. Ex evidenti ratiocinatione. Si particula exclusi-
 va solus etiam tunc de Patre usurpatur, quando ea
 tribuntur Patri, quæ cum Filio habet communia,
 manifestum est, per particulam illam exclusivam
 ab eorum communione non removeri Filium. Sed
 prius verum esse patet ex sequentibus dictis: Esa. 37.
 v. 16. Domine exercituum Deus Israel, sedens super Cheru-
 bims, tu ipse Deus, solus tu omnium regnorum terræ, tu feci-
 sti caelum & terram (hic non excludi Filium, sed ficti-
 tia tantum numina, patet ex eo, quod omnia illa
 Yyyyyy præ

prædicata ei conveniunt, est enim *Deus Israel, sedens super Cherubim*, 2. Sam. 6, 2. Rom. 3, 25. est *Rex Regū & Dominus dominantium*, Apoc. 19, 16. est creator cœli & terræ, Joh. 1, 3. Hebr. 1, 2. &c.) Matth. 11. v. 26. *Nemo novit Filium nisi Pater*, hoc est, solus Pater. At quis cogitare potest, Filium à sui ipsius cognitione excludi? Marc. 13. v. 32. *Nemo novit de die illa, nec Angeli in cœlo, nec Filius* (secundum humanam naturam, & in statu exinanitionis) *nisi Pater*. At qui manifestum est, non excludi Filium secundum divinam naturam & in statu exaltationis, cum enim sit iudex constitutus, utique novit iudicii diem. 1. Tim. 6. v. 15. *Pater est solus potens*, *Rex Regum & Dominus dominantium*. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem, nec tamen excluditur Filius, qui & ipse Rex Regum & Dominus dominantium*, Apoc. 17, 14. cap. 19. v. 16. ac *vitam habet in seipso*, Johan. 5. v. 26. Ergo etiam manifestum est posterius, & per consequens ut in illis dictis per particulam *solus* non excluditur Filius, ita nec hoc loco ea vel Filio vel Spiritui sancto est opposita. Cyrillus lib. 10. Theauri cap. 6. *Non potest excludi Filius, quando solus Pater esse vel facere aliquid dicitur, qui solus extendit cœlum, de Patre à Propheta scribitur, & ipsius Patris vox fertur: Ego solus cœlum extendi. Et tamen aperte de Filio quoque dicitur: Verbo Domini cœli firmati sunt. Si ergo quavis Pater dicat, se solum cœlos fecisse, Filius tamen fecisse invenitur: perspicuum est, quia quando & solus Pater verus Deus appellatur, unâ cum eo semper Filium, per quem omnia fecit, intelligi. Hæc omnia satis evidenter probant, per particulam *solus* non excludi vel Filium vel Spiritum sanctum, sed potius includi, quia Filius cum Patre vult agnoscî, quod det vitam æternam, & in cognitione Filii non minus quàm in Patris cognitione vita æterna consistere dicitur. Quinimò hæc verba manifestè docent, quod omnes, qui Filium ignorant vel negant, à verò Deo aberrant, cum verus Deus non possit verè & salutariter agnoscî nisi in Christo, particula ergo *solus* potius confirmat Filii Deitatem, quàm ut illam evertat. Nihil igitur presidii hoc in loco invenire poterunt Ariani vel Photiniani, cum ipsimet agnoscant, in dictis, quæ solum Deum invocandum esse docent: *Exclusivam de Deo usurpatam non debere opponi invocationi Christi, utpote qui sit Patri subordinatus, & quem adorando illi, serviendo hunc cultum Deo revera præsternus*. Socinus in libr. de invocatione Jesu Christi contra Francisc. David. p. 12. in miscellan. tit. de invocatione Christi, p. 273. in Epistol. ad Radec. p. 149. Schmaltzius in respons. ad r. part. Smigl. cap. 2. p. 14. ubi proponunt hanc regulam: *Nomen solus & particule idem significantes, cum de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui sunt illi subordinati*. Ex qua regula sic colligimus: Si propterea quod juxta adversariorum hypothésin Filius sit Patri subordinatus per particulam *solus*, & alias similes de invocatione Patris usurpatas, non excluditur ab invocatione Filii, multò magis propterea, quod juxta Scripturæ doctrinam Filius est Patri *quosior*, per particulam *solus* & alias similes de vera Patris Deitate usurpatas Filius à Deitate non excluditur. Quod ipsum adhuc manifestius erit, si omnia & singula membra, quibus *objectum* salutaris & salvificæ cognitionis hoc loco describitur, expendamus. Duplex *objectum* cognitionis statuitur (ut superius etiam monuimus) *Pater*, scilicet (eum enim compellat, quando dicit: *ut cognoscat te*) & *Filius* (eum enim intelligit,*

quando de se in tertia persona dicit: *& quem misisti Jesum Christum*.) De Patre dicit, quod cognoscendus sit, *Deus*, hoc est, quod sit essentia spiritualis, incorporea, invisibilis, immortalis, æterna, infinita, omnipotens, omniscia, justa, misericors, verax, liberrimè agens. Et quia Deitas est in Patre, quatenus certo caractere hypostatico est insignita, idè Pater sic cognoscendus est, quod sit prima persona divinitatis, quæ ab æterno genuit Filium imaginem suam, & unâ cum Filio ab æterno spirat Spiritum sanctum. 2. *Verus Deus*. Alii sunt *Dii opinativè*, ut idola, alii *nuncupativè*, ut Magistratus, sed Pater nec opinativè nec nuncupativè, sed *verus*, non *justa* quod nec *καταχρηστικός*, sed *αυθις* est Deus, ac proinde cognoscendus est *verus Deus*, ubi verum opponitur falso & ficto. 3. *Solus verus Deus*, hoc est, quod non sit alius præter eum, & extra eum. Quidam existimant, etiam respectu Christi hoc Patri tribui, ita ut Filium Patri hunc honorem tribuat, quod omnia ab ipso habeat, tum per æternam generationem secundum divinam naturam, tum per hypostaticam communicationem secundum humanam naturam. Sed ex antea dictis manifestum est, particulam *solus* opponi fictitiis Ethnicorum numinibus, & omnibus creaturis, quæ sunt extra Dei essentiâ, ac proinde non sunt, nec esse possunt verus Deus. Neque verò *objectum* salutaris & salvificæ cognitionis terminatur in solo Patre, sed ambitu suo etiam Filii Mediatoris cognitionem complectitur. Sunt autem causa gravissimæ, propter quas in hoc *objecto* Christus cognitionem Filii cognitioni Patris conjungere voluerit. 1. Per hoc enim manifestè ostenditur, per particulam *solus* à Deitate non excludi Filium, sed Filium ejusdem naturæ agnoscendum & credendum esse, cujus est Pater. Quia enim tam in Filii quàm in Patris cognitione consistit vita æterna, ergo Patris & Filii est una majestas ac gloria, ac per consequens Filius est ejusdem cum Patre naturæ. 2. Significatur etiam, Patrem non posse verè ac salutariter cognoscî nisi in Filio ac per Filium, Matth. 11, 26. Filius vocatur *imago Patris*, Coloss. 1, 15. Hebr. 1, 3. ac *facies Patris*, Ef. 6, 3, 9. Ut ergo prototypon ex imagine & homo ex facie cognoscitur, sic verus Deus non nisi in Christo salutariter cognoscitur. Si verum Deum salutariter agnoscere cupimus, non oportet nos mentibus vagari, sed cordis nostri oculos dirigere ad Deum, qui se patefecit misso Filio. Irenæus lib. 3. adv. hæres. cap. 11. p. 182. *Agnitio salutis agnitio Filii, qui & salus & salvator & salutare verè dicitur, & est*. Augustinus tract. 106. in Joh. *Non potest cognitio bonorum glorificari Patre, nisi & ille cognoscatur, per quem glorificatur Pater, hoc est, per quem populus innotescit*. 3. Docemur, ad Deum non patere nobis aditum absq; Mediatore, cum in nuda sua divinitate sit *ignis consumens*, Deut. 4, 24. Hebr. 12, 29. Mediatorem verò nullum esse alium quàm solum Christum, qui de se dicit, Joh. 14, 6. *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me*. 4. Innuitur, vitam æternam esse quidem gratuitum totius sacrosanctæ Trinitatis donum, interim tamen solius Filii esse meritum, quippe qui precioso suo sanguine amissa bona cœlestia nobis iterum acqvilavit, unde notanter dicit Apostolus, Roman. 6. versic. 23. quod vita æterna sit *χαρισμα τῆ θεῆ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν*. 5. Docetur, ad salutarem & salvificam Dei notitiam re-

qviri non solum cognitionem *essentia*, sed etiam *voluntatis*, quod Filium Redemptorem & Mediatorem in mundum miserit. Ut autem tria de Patre cognoscenda esse dixerat, videlicet quod *Deus* sit, quod *verus Deus* sit, & quod *solus verus Deus* sit: ita quoque tria de se Filio Mediatore cognoscenda esse asserit, videlicet quod *a Patre missus sit*, quod *sit Jesus*, & quod *sit Christus*. Posset quidem solum Christi nomen loco praedicati positum accipi hoc modo: *Ut cognoscant, Iesum quem missi sunt, esse Christum*, quae sententia confirmari posset ex eo, quod nomen *Iesu* sit quasi Christi proprium nomen, quodque relativum *dv* subjecti nota videatur. Sed quia Verbum *dv* non inseritur inter *Ιησὺν & Χριστόν*, ideo omnia tria membra loco praedicati posita, haud absurdè accipiuntur, & subjectum omnium censetur, hoc modo: *Ut cognoscant, me esse eum, quem missi sunt Iesum Christum*, quae ratione hoc posterius membrum pulchrè respondet priori, ut cognoscant *me & te*, & quae ad salutarem personae & officii Christi cognitionem pertinent plenius exprimuntur. Quod si ejusmodi textus coordinatio alicui durioscula, & illud *dv ἀπερίστατον* vel solum vel unà cum nomine *Ιησὺν* ad subjectum omninò referendum videatur, cum Johan. 20. v. 31. Phil. 2. v. 11. nomen *Iesu* itidem loco subjecti tanquam proprium Christi nomen ponatur, certum tamen est, omnia illa tria membra, *quem missi sunt, Iesum Christum*, qualitates objecti cognoscendi determinare, & ad salutarem Mediatoris cognitionem pertinere. Quod enim Mediator cognoscendus sit à Deo missus, patet ex v. 18. seq. ubi Christus de Apostolis dicit: *Crediderunt, quod tu me missi sunt*. Quod cognoscendus sit *Iesus*, patet ex Johan. 4. vers. 42. *Scimus, quod hic verè sit Salvator mundi*. Quod cognoscendus sit *Christus*, patet ex Johan. 11. vers. 27. *Credidi, quod sis Christus Filius Dei, qui in mundum venisti*, cap. 20, 31. *Hec scripta sunt, ut credatis, quod Iesus sit Christus Filius Dei*. Primum ergo, quod de Mediatore cognoscendum ac credendum, est, quod sit à Patre caelesti missus. Haec missio multa complectitur. 1. Quia enim Filius est à Patre missus, ergo est distincta à Patre persona. Mittens & missus sunt personae distinctae. Filius cognoscendus est ut missus. Ergo ut persona distincta à Patre. Quemadmodum igitur discrimen personarum in praecedentibus describitur ab interiore proprietate, videlicet ex relatione inter Patrem gignentem & Filium ab aeterno genitum, quando Christus dicit: *Pater, glorifica Filium tuum*: ita hoc loco idem discrimen ab exteriori proprietate, videlicet à missione describitur. 2. Quia Filius à Patre missus dicitur, non tantum ratione officii, sed etiam ratione incarnationis, Gal. 4. v. 4. ideo per verbum *missi sunt* remittitur ad cap. praeced. versic. 27. ubi Christus dicit: *Credidistis, quod à Deo exiverim*, v. 28. *Ego à Patre exivi, & nunc in mundum*. Itemque ad hujus ipsius capituli 17. v. 8. ubi de Apostolis dicitur: *Cognoverunt verè, quod à te exivi, & crediderunt, quod tu me missi sunt*. Infirmatur igitur per hanc Filii missionem, quod ante manifestationem in carne fuerit persona verè subsistens, cum per aeternam generationem à Patre exiverit, quodque post incarnationem sit persona *dv* ex duabus naturis divina & humana constans. Cognoscendus ergo Mediator, ut verus Deus ab aeterno à Patre genitus, ipsique *dv* (quam *dv* & aequalitatem non tollit missio) & ut verus homo in similitudinem carnis

Harm. Tom. III. vel Gerhard, Contin. pars tert.

peccati missus, Rom. 8, 3. quae duae in Christo naturae nec sunt confusae nec separatae nec ἀκωνόντοι, sed ex personali earum unione mutua communicatio oritur. 3. Cum primis verò nomine missionis officium Christi designatur. Missus enim est à Patre Filius, ut non solum carnem assumeret, sed etiam in assumpta carne officium praediciandi & redimendi genus humanum perficeret, Ef. 61, 1. Matth. 20, 28. Joh. 10, 10. &c. Ergo missionis nomine significatur, quod Filius cognoscendus sit ut Mediator, Redemptor ac Salvator, ut summus Sacerdos & Rex Ecclesiae suae, haec omnia pertinent ad officium, propter quod Filius Dei in carnem, & in mundum fuit missus. Alterum, quod de Mediatore cognoscendum, est, quod sit *Iesus*. Nomen *Iesu* significat *Salvatore*, juxta ipsius Angeli expositionem, Matth. 1, 21. Ergo cognoscere & credere, quod Filius Dei sit *Iesus*, est, cognoscere & credere, quod sit *Salvator mundi*. *Salvator* autem est non solum ratione *termini à quo* ac respectu *bonorum privatorum*, quia salvos nos fecit, sive liberavit à peccatis, ab ira Dei, ab accusatione legis, à morte, à iudicii condemnatorii severitate, ab aeterna damnatione &c. sed etiam ratione *termini ad quem*, ac ratione *bonorum positivorum*, quia adduxit perfectam justitiam, Dei gratiam, justitiam & vitam aeternam. *Salvator* est, non solum ratione *meriti & acquisitionis*, quia perfectam suam obedientiam & plenissimam satisfactionem salutem nobis peperit: sed etiam ratione *efficaciae & applicationis*, quia beneficia illa caelestia ad salutem nostram pertinentia per Verbum & Spiritum sanctum nobis applicat. Ratione *meriti & acquisitionis* est *Salvator mundi* & omnium hominum; ratione *efficaciae & applicationis* est *Salvator credentium*. *Salvator* est non solum *inchoativè* in hac vita, sed etiam *consummativè* in futura vita. *Salvator* est non typicus ac corporalis, sed verus, proprius ac spiritalis, cui non solum *ἐξ ουρανῶν*, sed etiam *μονοτοπος* nomen *Salvatoris* competit. Magnum enim discrimen est inter *Salvatores V. T.* typicos, & hunc *Salvatores* per illos praefiguratum. Illi fuerunt nudi homines, hic verò in personae unitate est *Deus & homo*. Illi alienam virtute salutem populo attulerunt, hic propria virtute salutem operatur. Illi indiguerunt alio *Salvatore*, hic est ipsa *Salus*, ipsum *Corripit*. Illi corporalem duntaxat & temporariam hujus vitae salutem attulerunt, hic verò spiritualem & aeternam salutem confert. Illi in opere salvandi cooperatores habuerunt, hic verò solus & unicus est *Salvator*. Illi non omnibus, sed aliquibus duntaxat salutem attulerunt, hic verò est *Salvator Catholicus*, *Salvator mundi*. Illorum salus non est omnium temporum, hujus beneficium ad omnes omnium temporum homines sese extendit. Et quia eo modo salvere, est opus verè divinum infinitam virtutem requirens, ideo Gerson in exposit. fidei rectè dicit: quod *nomen Iesu etiam Deitatem Christi exprimat*. In eo tamen à Gerson dissentimus, quod videatur exclusivè hoc asserere, dicit enim, quod *nomen Iesu Christi Deitatem, nomen autem Christi ejusdem humanitatem exprimit*. Rectius dicitur, & *Iesu & Christi* nomen utramque naturam complecti, & esse appellationes totius personae, unde alii ex veteribus *Iesum hominem Deum factum, Christum verò Deum humanitati unitum nominant*. Quamvis ergo salvere, utpote opus ad extra, sit omnibus tribus Deitatis personis commune, peculiariter tamen tribui-

Yyyyyy 2 tur

tur Christo Θεανθρωπότητος, qui in assumpta carne patiendo & moriendo, amissam salutem humano generi iterum acquisivit. Inde distinguntur inter *Salvatores mediatores*, qualis est etiam Pater & Spiritus sanctus, qui per Filium salvant, Ose. 1, 7. & *immediatum*, qualis est Filius, ubi iterum distinguntur inter *salvandi efficaciam* sive salutis applicationem, quæ toti Trinitati communis, & *salvandi modum* sive salutis acquisitionem per incarnationem, passionem & mortem, qui salvandi modus soli Filio proprius. Tertium de Mediatore cognoscendum est, quod sit *Christus*. Nomen Christi respondet appellationi Messia. Ut enim Messia nomen deducitur à משיח, ita nomen Christi à χριστός, quorum utrumque significat unctio, unde Joh. 1, 42. dicit Andreas: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum ὁ χριστός*. Vocatur autem Mediator noster ὁ χριστός, unctus, quia oleo lactie, hoc est, Spiritu sancto unctus fuit præ consortibus suis, Pf. 45, 8. Ef. 61, v. 1. Dan. 9, v. 24. Luc. 4, v. 8. Act. 4, v. 27. cap. 10, v. 38. Hebr. 1, v. 9. cujus proinde typi fuerunt Sacerdotes, Reges & Propheta V. T. oleo sancto olim uncti. Lactant. lib. 4. Inst. div. c. 7. *Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni, sic enim Iudæi Reges suos appellabant. Erat Iudæis ante preceptum, ut sacrum consecrarent unguentum, quo perungi possent illi, qui vocantur ad Sacerdotium & regnum, & sicut nunc Romanis indumentum purpure in signum est regie dignitatis assumptæ, sic illis unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat, ob hanc rationem nos eum Christum nominamus, id est, unctum, qui Hebraicè Messias dicitur. August. in Pf. 45. Moris fuit, in sola illa Iudæorum gente ungi Reges & Sacerdotes, quo indicatum fuit, in nullo alio quam Iudæico populo nasciturum mundi Regem & Sacerdotem. Et quia Salvatori nostro impositum, ostendit, ipsum esse Regem & Sacerdotem. Apud alias gentes ungi solebant luctatores in palæstra. Unctus ergo fuit noster Salvator, ut significaretur, ipsum fortiosem cum forti armato duello congressurum, Luc. 11, v. 21. & 22. Idem Augustinus in enarr. Psalm. 149. *Christus à chrismate dictus est, id est, ab unctio. Reges autem ungebantur & Sacerdotes. Ille verò unctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pugnavit pro nobis, quasi victus est, jure autem vicit. Crucifixus est enim de cruce sua, in qua erat fixus, diabolus occidit, & inde Rex noster. Unde autem Sacerdos? quia se pro nobis obtulit. Quando ergo Mediator noster proponitur, cognoscendus ac credendus, quod sit Christus, tunc primò significatur, quod agnoscendus sit in personæ unitate verus homo & verus Deus. Nomen enim Christi & ungentem Deitatem & unctam humanitatem complectitur. Athanasius orat. 5. contra Arian. p. 321. *Χριστός τὸ συναντιότερον νοεῖται*. Damascen. lib. 3. orth. fid. cap. 3. *ὁ Χριστός ὄνομα τῆς ὑπόστασεως λεγόμενον τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικόν, αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔχρισεν, χριστὸν μὲν ὡς Θεός, ὅς ἐχρισεν τὸ σῶμα τῇ Θεότητι αὐτῆ, χριστὸν δὲ ὡς ἀνθρώπου*, αὐτὸς γὰρ ἐστὶ τὸ καθεῖναι, χριστὸς δὲ ἡ Θεότης τῆς ἀνθρωπότητος. Secundò quod juxta humanam naturam per unionem personalem dona verè divina & infinita ipsi sint communicata, quia unctio Spiritus complectitur divinam virtutem sanandi oppressos à diabolo, Act. 10, v. 38. Tertio quod sit verus Messias in V. T. olim promissus, in N. exhibitus, à quo omnia illa beneficia unice speranda, quæ Messia in Scripturis tribuuntur. Quarto**

quod sit summus Sacerdos & Rex Ecclesiæ, qui postquam seipsum pro peccatis nostris *victimam* in odorem suavitatis Deo obtulit, ad dextram Dei confedit, perpetuò pro nobis intercedens, & Ecclesiam suam adversus omnis generis hostes potentissimè defendens. Hæc omnia Christus mirandâ sapientiâ breviter complectitur, quando dicit: *Vitam æternam in eo consistere, ut cognoscamus, Patrem esse solum verum Deum, & Filium esse missum à Patre in hunc mundum, Jesum sive Salvatorem, & Christum sive Messiam*. Nec tamen per expressam Patris & Filii mentionem ab objecto salutaris & salvificæ cognitionis excluditur Spiritus sanctus. Nam 1. Spiritus sanctus non est extra Patrem & Filium, sed in Patre & Filio, utriusque ἐπιούσιος. Ergo cognitio Patris & Filii complectitur etiam cognitionem Spiritus sancti, ac proinde ut particula *solus* à Deitate non excludit Filium, ita nec à Deitate nec ab objecto salvificæ cognitionis excludit Spiritum sanctum. 2. Ut definitio Patris complectitur Filium, ita quoque complectitur Spiritum sanctum, quia Pater definitur, quod sit prima persona Deitatis, quæ ab æterno genuit Filium, & à quæ ab æterno procedit Spiritus sanctus. 3. Christus non solum missus est à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, Ef. 48, v. 16. cap. 61, v. 1. Ergo qui missionem Filii rectè cognoscit, etiam Spiritum sanctum cognoscit. 4. Salvator noster ideo dicitur *Christus*, quia est unctus Spiritu sancto. Ergo qui agnoscit, Jesum esse Christum, ille etiam agnoscit Spiritum sanctum. 5. Nemo potest Jesum dicere Dominum, nisi in Spiritu sancto, 1. Corinth. 12, 3. Ergo salutaris cognitio Filii complectitur etiam cognitionem Spiritus sancti. Colligitur autem ex his Christi verbis: 1. Omnes homines per naturam jacere in morte, esse expertes vitæ, donec in Dei cognitione vita ipsis offeratur. Omnes post lapsum sumus *tenebræ*, Eph. 5, v. 8. atque quæ lux *θεογνωσίας* oriatur in cordibus nostris, ac vitam nobis restituat. 2. Ergo vita æterna consistit in cognitione veri Dei, hoc est, ad vitam æternam non possumus alio modo ac medio pervenire, nisi verâ veri Dei cognitione & fide, quæ sola nobis affert peccatorum remissionem, Luc. 1, 77. justitiam, Esai. 53, v. 11. Sap. 15, v. 3. veram sapientiam, Jerem. 9, v. 23. & vitam æternam. Maldonatus metuit, *Ne cognitioni plus justo tribuatur*, ideo assertionem Christi sic limitat: *Vitam æternam tribui cognitioni, non quod sola, sed quod prima illius causa sit fides*. Sed hic metus est frustraneus, quia superius monuimus, cognitionis nomine non solum intelligi notitiam in mente, sed etiam assensum in voluntate, & fiduciam in corde; ac fides, per quam in Christo vitæ æternæ participas reddimur, non est nuda opinio vel inanis persuasio, sed viva atque efficax per dilectionem, unde rectè dicitur, quod vita æterna sit, verum Deum ex Verbo rectè agnoscere, in Christum credere, ex fide Deum invocare, diligere, celebrare, colere, in ipso acquiescere & lætari. 3. Cognitio illa veri Dei non tantum in voluntatis, sed etiam in *essentiâ divina* cognitione consistit, ut verus Deus agnoscat unus ratione essentiæ, & trinus ratione personarum. Excipit Socinus in tractat. de Eccles. p. 28. *Christi mentem non esse, quod cognitio divina essentiæ sit necessaria tanquam medium salutis, sed loqui eum de cognitione voluntatis Dei, & de nostra obedientia, siquidem multi notitiam essentiæ habeant, qui tamen vitam æternam non consequantur*. Similia

millia occurrunt apud Schmatzium de vero & naturali Dei Filio contra Smiglec. cap. 7. p. 52. Resp. inclusio unius non est exclusio alterius. Concedimus cognitionem divinæ voluntatis esse ad salutem necessariam, sed ex eo inferri nequit, cognitionem divinæ essentia non esse necessariam, quia utrumque; Christus simul conjungit, quando requirit, ut Pater cognoscatur *solus verus Deus*. Quomodo enim Deus mihi potest dici cognitus, nisi sciam, quid sit, & quis sit? num res sine sua quidditate & essentia verè cognosci potest? Pari ratione ex eo, quod multi notitiam divinæ essentia habeant, & tamen vitam æternam non consequantur, inferri nequit, quod divinæ essentia cognitio ad vitam æternam non requiratur. Distingvendum enim inter necessarium & solitarium sive sufficiens. Cognitionem divinæ essentia ad salutem necessariam esse dicimus, sed non dicimus eam esse sufficiens vel solitarium salutis medium, quia fides non consistit in nulla notitia divinæ essentia, sed etiam in cognitione divinæ voluntatis & in fiducia in meritum Christi recumbente. 4. Salutaris & salvifica Dei cognitio complectitur etiam Christi cognitionem, neque quisquam salutariter Deum cognoscere potest nisi in Christo & per Christum, Joh. 11, 8. c. 14, 10. Coloss. 1. v. 15. Hebr. 1, 3. &c. cujus individua connexionis causas exposuimus superius. Damnantur ergo hoc loco omnes doctrina, quæ verum Deum, & Dei de salute nostra consilium quarunt extra Christum. Si quietam habere cupis conscientiam, Deum non quære alibi quam in Christo, ac diligenter cave, ne Deum ita separet à Christo, ut Deum quæras in summo cælo, & Christum in cruce, Deum extra Christum, & Christum extra Deum: sed cordi tuo semper observetur responsum Christi Philippo datum: *Qui videt me, videt Patrem. Non credis, quod ego in Patre & Pater in me sit?* 5. Salutaris Christi cognitio & personam & officium ejus respicit. Agnoscendus enim Christus, quod non solum in personæ unitate sit verus homo & verus Deus, quod naturæ duæ personaliter in ipso sint unitæ &c. sed quod etiam à Patre in mundum missus sit ad genus humanum per suam passionem ac mortem redimendum. Filius Dei ideo in hunc mundum venit, ut non solum carnem assumeret, sed etiam in ea passionem & mortem sustineret, atque hac ratione iram Patris cœlestis placaret, peccata totius humani generis expiaret, diabolum & mortem vinceret. Et ut certi simus, Christi obedientiam & satisfactionem Deo placere: ideo dicit, se à Patre esse missum. 6. Per $\tau\omicron$ cognoscere hic describitur vera fides. Ergo fides est species quædam cognitionis, ac per consequens falsum est, quod Pontifici disputant, *fidem distingui contra notitiam, ac melius per ignorantiam quam per notitiam definiri*. Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 7. Anglo Remenses in annot. ad cap. 12. Luc. Hanc doctrinam ex his Christi verbis colligit Cyrillus lib. 11. in Joh. cap. 16. *Fides, inquit, quid aliud est, quam vera de Deo cognitio? per fidem enim cognitio fit*. 7. Si in cognitione Dei & Mediatoris Christi consistit vita æterna, ergo doctrina Evangelii de Dei essentia & voluntate, de persona, officio & beneficiis Christi est summum Dei beneficium, unde vocatur *Verbum vite æternæ*, Joh. 6, 68. Actor. 5, 20. ac *Verbum salutis*, Act. 13, 26. Eph. 1. v. 13. &c. 8. *Si in cognitione Dei est vita æterna, tunc magis vivere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus*. Aug. tract. 105. in Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

Joh. 2. Petr. 3. v. 18. *Crescite in gratia & agnitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi*. 9. Si ad vitam æternæ consecutionem requiritur etiam Christi cognitio, ergo gentilibus cognitione Christi destitutis non potest salus æterna adscribi. 10. Si in sola veri Dei & Mediatoris Christi cognitione vita æterna consistit, ergo repudiantur omnia alia media ab hominibus excogitata, quibus gratiam Dei, peccatorum remissionem & vitam æternam obtinere cupiunt. Non ablegamur hic ad Moysen vel operam legis, sed ad Christum, per cujus agnitionem ad Patrem & ad vitam æternam perducimur. 11. Quia Christus à Patre se glorificari petit, ut per salutem Patris & sui agnitionem ex Verbo Evangelii conceptam homines perducantur ad vitam æternam, ergo ut ipso vita æterna, ita quoque medium ad eam perducens, videlicet Patris & Filii cognitio, est donum merè gratuitum. 12. Si in cognitione Dei & Christi consistit vita æterna, ergo felicitatem non debemus statuere in fluxu divitiis, in voluptatibus, in honoribus, in cognitione rerum creaturarum, sed in vera veri Dei cognitione, Jer. 9. v. 23. ergo etiam vitam non debemus in alio quærere, quam in vivo Deo, nec per alium, nisi per Christum qui est *vita & vita*. Impossibile est, vitam æternam conferri vel à fictitiis Diis, vitæ ipsi carent; vel à creaturis, quæ vitam habent tantum participatam: sed à solo Deo, qui est fons vitæ indeficiens, ea conferri potest, ac proinde ab eo solo expectari debet. Impossibile etiam est, ad nos in peccatis mortuos à Deo vitam redire nisi per Christum, qui suam morte vitam nobis acquisivit. 13. Vera Dei in Christo cognitio dicitur vita æterna non solum quia est modus ac medium perveniendi ad vitam æternam, sed etiam est *πρόγευσις* & initium vitæ æternæ. Quando enim scio Filium à Patre etiam mei causam esse missum ac firmiter credo, ipsum etiam esse meum Redemptorem ac Salvatorem, per quem sim apud Deum in gratia, tunc ex fiducia illa sequitur lætitia in Spiritu S. Atque hæc doctrina omnes ex his Christi verbis efflorescunt, si per Verbum $\gamma\omega\upsilon\sigma\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ intelligatur cognitio per fidem, de qua *proprie & principaliter* Christum hoc loco agere, superius demonstravimus. *Secundario tamen & minus principaliter* admitti potest illorum expositio, qui per $\tau\omicron$ $\gamma\omega\upsilon\sigma\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ intelligunt *visionem beatificam ac intuitivam*, in qua formaliter vita æterna consistit. 1. Cum enim in verbis proximè præcedentibus Christus dixisset, potestatem omnis carnis sibi à Patre datam, ut electis det vitam æternam, jam per quandam digressionem addit luculentam vitæ æternæ descriptionem, quod consistat in jucundissimo Dei conspectu & visione ipsius intuitiva, ex qua perfectissima Dei cognitio ac plenitudo sapientiæ, scientiæ justitiæ, & felicitas, perfectissima conformitas mentis, voluntatis cordis & omnium animæ, virium cum Deo archetypo, ac perpetua exultatio & jubilatio oritur, ut sic magnitudo doni per Christum electis conferendi aliquo modo cognoscatur. 2. Lyranus tradit ejusmodi connexionem: *Removet Christus quandam dubitationem. Possent enim aliqui credere, quod ista vita æterna per eum fidelibus danda consisteret in carnalibus bonis. Hoc removens, dicit, eam consistere in clara Dei visione*. 3. Cognoscendi verbum non solum de notitia per fidem in hac vita, sed etiam de visione per speciem in futura vita à Spiritu sancto usurpatur, Jer. 31, 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, dicens:*

Yyyyyy 3

dicens:

dicens: cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo ad maximum. Hoc oraculum Propheticum. Augustinus lib. de Spiritu & lit. cap. 24. exponit de premio fidei, hoc est, perfecta Dei cognitione in vita aeterna, 1. Cor. 13, 12. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Ergo absurdum non est, hanc Christi sententiam, quæ est una ex præcipuis totius Scripturæ dictis, accipere tum de cognitione per fidem in hac vita, quæ est inchoata & imperfecta cognitio, tum de cognitione à facie ad faciem in futura vita, quæ est consummata & perfecta cognitio. Vita enim aeterna hic habetur inchoativè per cognitionem fidei, in futuro seculo perfectè obtinebitur per visionem divinæ faciei. Sic ergo erit sensus: Hoc modo ac medio homines reduntur vitæ aeternæ participes, si te, verum Deum, & unigenitum Filium tuum, constitucum Mediatorem, rectè cognoscunt, & in eum credunt, ac quod per fidei cognitionem in illis inchoatur, illud aliquando per visionem intuitivam ac beatificam in ipsis confirmabitur, quia vita aeterna nihil aliud erit, quam perfecta Dei & Christi cognitio. Albertus in h. l. Hæc est vita aeterna per causam & substantiam, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, cognitione gratiæ in hoc, & gloriæ in futuro seculo. Nec sine gravi consilio fieri censendum, quod Christus initia illa vitæ aeternæ, quæ in hac vita percipimus, obscura licet sint & languida, nomine cognitionis jungat cum plenissima & perfectissima Dei notitia in altera vita. Eo ipso enim ostendit, quod initia illa in hac vita adeo sint necessaria, ut absque illis non possit sperari perfectio in futura vita. Ideo etiam vitæ aeternæ felicitatem per cognitionem Dei definit, quia intuitiva visio est fons omnium felicitatis in vita aeterna beatis promissæ. Augustinus qv. 114. in Gen. Dei visio summum erit beatorum premium. Lib. de Spirit. & anim. cap. 55. Visio Dei est tota vita aeterna. Cum enim Deus summum bonum, summa suavitas, summa dulcedo, Pl. 34, 9. ideò ex visione Dei non potest non oriri ineffabile gaudium. Cum Deus sit ipsa lux, ipsa beatitudo essentialis, ideò ex visione Dei beati participant vitam, lucem & beatitudinem. Cum summum bonum per visionem cognitum non possit non amari, ideò ex visione Dei oritur in beatis summa & perfectissima Dei dilectio. Cum summum bonum perfectè cognitum & amatum non possit non laudari, prædicari & glorificari, ideò ex visione Dei in beatis oritur summa ejusdem glorificatio. Augustinus tract. 105. in Joh. Ibi erit Dei sine fine laudatio, ubi erit Dei plena cognitio, & quia plena cognitio, ideo summa glorificatio. Cum Angeli Deum à facie ad faciem semper videntes, Matth. 18, 10. sint in bono confirmati, ideò ex visione Dei oritur beatorum in bono confirmatio &c. Refellit etiam Christus hæc vitæ aeternæ definitione nugas Judæorum, Turcarum & Chiliastarum, qui in corporalibus delitiis vitæ aeternæ felicitatem statuunt. Denique Scholastici & ante eos multi ex Patribus ex his verbis Christi deducunt, beatitudinem vitæ aeternæ formaliter consistere in visione, hoc est, in actu intellectus Deum clarè aperteg. videntis. Maldonatus hanc sententiam repudiat, propterea quod videatur affinis novorum hæreticorum errori, qui solè nos dicunt justificari fide, hoc est, beatitudinem hujus vitæ in solo intellectu sitam esse, quod hujus vitæ beatitudo, quæ illius inchoatio est, potius in caritate vo-

luntatis, quam in fide intellectus posita sit. Sed Maldonatus venerandam Patrum canicem erroris insimulans multis modis gravissimè errat, 1. Dum sola fide nos justificari contra Apostolum negat. 2. Dum fidem tantum in intellectu statuit. 3. Dum beatitudinem hujus vitæ in caritate potius (quæ est imperfecta & jam ante debita) quam in fide (hoc est, in Christo fide apprehenso) positam asserit. 4. Dum non solum Patribus & Scholasticis, sed etiam Jansenio & Salmeroni idem asserentibus contradicit. Quare verò felicissimus beatorum in futuro seculo status dicatur vita aeterna; expositum fuit in Tractat. de vita aeterna, in quo etiam prædictum doctrinæ de vita aeterna usum latè profecuti sumus.

Tertiam petitionis suæ rationem desumit Christus à fidei officii administratione. Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem. Connexio est pulcherrima. Primam petitionis rationem desumerat à Patris gloria sive glorificatione, alteram ab hominum salvatione, tertiam jam desumit à fidei officii sibi demandati administratione. Sic ergo 1. causæ finali conjungit causam impulsivam internam. Causa finalis peritæ glorificationis duplex est, gloria Patris & salus humani generis. Causa impulsiva itidem duplex, externa sive rogata a patribus imminens passio, de qua dicit: Venit hora; & interna sive rogata a seipso, voluntas Patris ardens amore Filii & beneplacitum habens in obedientia à Filio sibi hætenus præstita ac porro præstanda. Hanc causam impulsivam insinuaverat suavissimo nomine Patris, quippe quod est nomen amoris ac favoris, eamque plenius jam declarat, quando dicit, se hætenus glorificasse Patrem super terram, & consummâsse opus à Patre sibi demandatum, quasi dicat: Quia munere abste mihi demandato fideliter sum functus, ideo non dubito, de meâ obedientiâ delectari, inque ea beneplacitum habere; & quia obedientiâ meâ delectaris, ideo petitam glorificationem mihi non denegabis. Propter tuam gloriam in tenebras & ignominiam mortis devenio, ergo non patieris in ea me manere, sed glorificabis me. 2. Sicut Pater cœlestis dixerat, Joh. 12, v. 28. Ego te dilectum meum Filium glorificavi, & rursum glorificabo: ita vicissim Filius hoc loco glorificationem Patris à se jamdum peractam, & porro peragenda conjungit: Ego te glorificavi super terram, inquit, ac nihilominus peti, se glorificari, ut Patrem glorificare possit, vers. 13. Dixerat ad salutarem & salvificam sui cognitionem hoc requiri, ut credatur à Patre missus. Exponit igitur, quid per hanc missionem sit intelligendum & causas recenset, propter quas à Patre in hunc mundum missus sit, videlicet primò ut in prædicatione Evangelii & operatione miraculorum Patrem glorificaret, hoc est, ut voluntatem Patris humano generi in Evangelio nunciaret, ac stupendis miraculis doctrinæ suæ veritatem confirmaret, & hac ratione Patrem glorificaret, ut omnes cognoscerent, ipsum esse solum verum Deum, & Jesum ab ipso missum esse mundi Salvatorem. Deinde ut fieret victima pro peccatis mundi ac opus redemptionis à Patre sibi commendatum consummaret. 4. Quia, se Patrem glorificasse, & opus à Patre sibi datum consummâsse, asserit, ideo in precibus suis proponit Patri cœlesti promissionem, tum generalem, 1. Sam. 2, vers. 30. tum specialem, Psal. 8, versic. 6. Psal. 110, vers. 7. &c. suo nos docens

cens exemplo, quod in nostris etiam precibus divinâ promissione unice niti debeamus. Pater cœlestis eâ ratione officium Prophetæ & Sacerdotis in summa humilitate super terram administrandum ipsi demandaverat, ut simul promitteret, officio illo in his terris fideliter peracto se in summam sublimitatem & gloriam ipsum evecturum, ac ad dextram suam in cœlestibus collocaturum, ut in posterum non amplius in humilitate, sed in summa gloria Prophetæ, Sacerdotis & Regis officio fungatur, Ecclesiæ suæ doctores mittens, pro ea intercedens, & contra quosvis hostes eam potentissimè defendens, ac tandem in consortium gloriæ eam assumens. Hanc promissionem demandationi operis inclusam Christus hoc loco urget, & propter immotam illius veritatē à Patre se glorificari petit. Christus & suam & Patris glorificationem in divulsò nexu conjunxerat, v. 1. *Pater, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet.* Utrumq; igitur latius exponit, tum quomodo ipse Patrem hæc glorificaverit, in hoc vers. tum quomodo à Patre glorificari velit, vers. proxime sequente. 6. Augustinus tract. 165. in Joh. tradit ejusmodi connexionem: Christus glorificaturum se dixerat Patrem dando vitam æternam electis, quia scilicet Pater cœlestis in vita æterna à beatis sine fine glorificatur & celebratur. Quia verò glorificationē illam Patris in cœlis præcedit ejusdem glorificatio in terris, quæ fit per Evangelii prædicationem, & quia ad gloriæ cœlestis & beatorum Patrum glorificantium consortiū nemo evehitur, nisi qui in hac vita Deum glorificare cœpit, hoc est, qui ex Verbo Evangelii ipsum rectè agnovit, celebravit & coluit: ideo Christus præmissæ vitæ æternæ definitioni statim subjicit: *Ego te glorificavi super terram.* Prius (inquit) hic glorificatur Deus, quam in vita æterna, dum annunciatius hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur. Propter quod dicit: *Ego te glorificavi super terram.* 7. Uthæc verba: *Ego te glorificavi super terram,* sunt illatio ex præcedentibus, in quibus, se vitam æternam datis sibi à Patre dedisse, asserit, (quia enim in Evangelio vita æterna hominibus offertur, ideo Christus prædicatione Evangelii Patrem glorificans vitam æternam hominibus obtulit, & hinc Evangelium acceptantibus contulit, & vicissim quia donatio vitæ æternæ obtingit tantum illis, quos Pater Christo dedit: ideo Christus vitam æternam datis sibi à Patre donans Patrem glorificavit) ita sunt causa propositionis si ve petitionis, quæ in vero proxime sequente denud repetitur. Quia te glorificavi super terram, ideo glorifica me, Pater, &c. 8. Dixerat, se Patrem glorificasse dando vitam æternam illis, quos Pater ipsi dederat, jam subjungit, se glorificasse Patrem consummando opus, quod Pater ipsi dederat, ut faceret. Cùm ergo nihil quicquam eorum prætermiserit, quæ ad Patris glorificationem facere videbantur, ideo æquissimo jure à Patre sese glorificari petit. Singula autem verba magnam habent emphasin. Primò dicit: *Ego glorificavi.* Glorificatur Deus ab omnibus creaturis, quia Deus in opere creationis gloriam divinæ suæ bonitatis, sapientiæ ac potentie manifestavit, Ps. 19, 1. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat firmamentum.* Ps. 69, 35. *Laudate Deum cæli & terra, maria & omne repens in eis.* Psal. 103, 22. *Benedicite Domino omnia opera ejus.* Ps. 148, 3. *Laudate Deum, Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ.* v. 4. Harm. Tom. III, vel Gerhard, Contin. pars tert.

Laudate eum cæli colorum & aquæ quæ supra cælos sunt &c. unde etiam Angeli *ἰπσοῦν* canentes gloriā Dei omnem terram plenam esse continentur, Es. 6, 3. sed per peccatum tanta caligo mentibus hominum est obducta, ut gloriam Dei in creaturis relucens pauci eorum videant, neq; quisquam potest ex sola creaturarum inspectione ad salvificam Dei cognitionem aspirare. Glorificatus fuit Deus à Mose in liberatione Israëlitarum ex Egypto, in miraculorum operatione, in legis promulgatione & c. glorificatus fuit à Prophetis, sed hæc glorificatio nondum fuit plena & perfecta. Moses & Prophetæ fuerunt tantum servi, sed Christus est etiam Filius, ideo longè plenius & perfectius Patrem glorificavit, quàm Moses & Prophetæ. *Lex per Moysen data,* Johan. 1. v. 17. & per Prophetas repetita, glorificat Deum manifestando ipsius sanctitatem & justitiam: sed quia in hac natura corruptione nemo perfectè implet legem, ideo glorificatio Dei per legem non affert hominibus salutem. *Per Christum verò gratia & veritas nobis facta,* is verè & perfectè glorificavit Deum, quia Evangelium ex sinu æterni Patris protulit, inque eo misericordiam Dei credentibus in Mediatorem promissam revelavit, hæc glorificatio Dei salutem & vitam æternam credentibus affert. Secundo dicit: *Ego te glorificavi.* Non glorificavi me ipsum, quia non quæsi gloriam meam, Joh. 8, 50. sed te solum glorificavi, ad te omnem gloriam retuli. Quia quæ placita sunt tibi, semper feci v. 30. ideo etiam te glorificavi. Non glorificavi creaturas, sed te creatorem; non glorificavi servos, defunctos Patriarchas & Prophetas, sed te Dominum. Tertiò dicit: *Ego te glorificavi.* Quidam statuunt, præteritum hic positum esse pro futuro, cum in v. 1. se Patrem adhuc glorificaturum promittat. Sed ut Pater cœlestis dicit: *Ego glorificavi, & rursum glorificabo Filium,* Joh. 12, 28. ita Christus verè dicere potuit, quod & glorificaverit Patrem in statu humiliationis per doctrinam, miracula & obedientiam; & adhuc eum glorificaturus sit in statu exaltationis per ipsam glorificationem à Patre accipiendam, cum gloria Filii sit etiam Patris gloria. Ante has preces glorificaverat Patrem coram Apostolis per Evangelii prædicationem, post has preces Patrem per Apostolos glorificaturus erat in toto terrarum orbe mediante eadem Evangelii prædicatione. Retinenda igitur propria significatio præteriti, quia Filius jam antè glorificaverat Patrem variis modis, utpote 1. *sub essentiâ.* Filius est *ἡ ἀγαπητὴ τῆς ὑπαὐτοῦ τῆς Πατρὸς, καὶ ἀπαύλασμα τῆς δόξης αὐτῆς,* Hebr. 1. v. 3. est *εἰκὼν τῆς θεοῦ τῆς ἀγαπῆς,* Coloss. 1, 15. Utergo imago ostendit eum, cujus est imago, ut lux & splendor Solem manifestat, ut sapientia artificem commendat: sic Christus Patris imago & Filius gloriam ejus illustrat. Cyrillus lib. 11. in Johann. cap. 18. *Glorificatur Pater in Filio, ut in imagine suæ formæ atque figuræ, in quibus primitivorum pulchritudo semper elucet. Nam cum unigenitus sapientia & vita substantialiter creatorque omnium ac interitu & morte superior, sanctus, immaculatus, bonus denique esse non dubitetur, eodem se modo naturaliter habere, qui eum genuit, creditur. Ita in gloria imaginis suæ Pater effulsit.* Hæc glorificatio est perpetua & omnium temporum, ideo de ea verbis præteriti, præsentis &

tis & futuri temporis loqui possumus. Quia Filius nunquam definit esse Patris imago, refulgentia & sapientia, idè etiam nunquam definit hoc modo glorificare Patrem. 2. *Sua doctrinâ.* Christus ex sinu æterni Patris Evangelii doctrinam protulit, in qua Patris sapientia, misericordia, potentia & iustitia revelatur. *Sapientia* in mirando redemptionis consilio; *misericordia* in Filii donatione; *potentia* in æterni consilii de salute nostra executione; *iustitia* in Filii satisfactione relucet. Quia ergo gloria Patris in eo consistit, ut talis cognoscatur, qualis est: idè Christus in Verbo Evangelii sapientiam, misericordiam, potentiam & iustitiam Patris hominibus revelans gloriam Dei illustrare rectè dicitur. De hac Patris glorificatione Christus præcipuè hic loquitur, ut apparet ex vers. 6. *manifestavi nomen tuum hominibus.* Pertinet ad hunc glorificationis modum, quod Christus in Verbo Evangelii homines docuit, Patrem per se Mediatorem esse humano generi reconciliatum, & ardentissimo amore amplecti eos, qui Mediatorem fide recipiunt, velle etiam ab illis invocari ut benignissimum Patrem, quâ ratione denudò Patris gloria fuit illustrata. 3. *Sua Deum patris gloria.* Christus doctrinæ ex sinu Patris prolatae veritatem divinis miraculis confirmavit, per quæ non solum suam, sed etiam Patris gloriam manifestavit, cum Patris & Filii sit una & eadem gloria, Joh. 2, 11. unde aliquoties in Historia Evangelica repetitur, quod non solum illi, quibus miraculose sanitas à Christo collata, sed etiam spectatores miraculorum Deum glorificaverint, Matth. 9, 8. Luc. 13, 13. c. 18, 43. &c. Ad hunc glorificationis modum pertinet, quod miracula Christi, utpote quæ omnia fuere salutaria, demonstraverint non solum Dei potentiam, sed etiam promissam ipsius ad ferendum auxilium *πεπονημένον*. 4. *Sua vitâ.* Si de priorum conversatione verè dicitur, quod à Patre Deus glorificetur, Matth. 5, 16. cum tamen multæ infirmitates ei adhæreant, quanto magis de sanctissima Christi vitâ & conversatione omnis peccati expertè dici potest, quod per eam Patrem, à quo semissum dicebat, glorificaverit. Proinde cum dixisset, Joh. 8, 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* statim subijcit v. 49. *ego honorifico Patrem meum.* 5. *Sua eulogia & reverentiâ.* Hebr. 5, 7. Christus ex filiali erga Patrem reverentiâ suam doctrinam, sua miracula, & omnia sua bona ad Patrem retulit: *Mea doctrinâ non est mea, sed ejus, qui me misit,* inquit Joh. 7, 16. *Sermo quem auditis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris,* inquit Joh. 14, v. 24. *Pater in me manens ipse facit opera,* inquit v. 10. Per hanc filialem reverentiâ iidem Patrem suum glorificavit. 6. *Sua obedientiâ.* Christus in diebus carnis suæ varias jamdum sustinuerat adversitates & persecutiones, Luc. 2, v. 29. c. 22, 28. Joh. 8, 48. & 59. nec tamen retrorsum abiit, Ef. 50, 5. sed factus est obediens Patri usq; ad mortem, mortem autem crucis, Philip. 2, v. 8. per hanc continuam, constantem & perfectam obedientiam iidem glorificavit Patrem suum cœlestem. Si enim de morte Sanctorum verè dicitur, quod per eam Deus glorificetur, Joh. 21, 19. quanto magis de passione & morte sponte à Christo propter salutem humani generis ex sancta erga Patrem obedientia suscepta verè dici potest, quod per eam Pater cœlestis fuerit glorificatus, unde Christus de opere redemptionis loquens statim subijcit: *Consummavi opus, quod dedisti mihi, ut facerem.* Neque est, quod quis

regerat: *Passionem & mortem Christi nondum fuisse peractam, cum Christus hæc loqueretur,* quia ad opus redemptionis non tantum pertinet ultima illa Christi passio *κατ' ἐξουσίαν* sic dicta, sed tota illa servilis & humilis obedientia, quam à tempore nativitatis usq; ad mortem Patri cœlesti præstitit, & omnes adversitates, quas in mundo & à mundo sustinuit. Hæc ergo omnia Christus complectitur, quando dicit: *Ego te glorificavi,* hoc est, toto conversationis & vitæ meæ in tempore officium abs te mihi demandatum sedulo implevi, omnia ad tuam gloriam retuli, tanquam fidelis Legatus consummavi, quod mihi demandasti, nunc officium mihi commissum in manus tuas quasi resigno, & meque expleto ministerii mei curriculo glorificari peto. Quarto dicit: *Ego te glorificavi super terram.* Hunc *περὶ τὸν οὐρανὸν* Christus ipse paulò post v. 6. sic explicat: *Manifestavi nomen tuum hominibus in terra, scil. viventibus.* Respicit igitur hoc *περὶ τὸν οὐρανὸν* 1. ad Angelos in cœlo, apud quos utpote Patris faciem semper videntes, Matth. 18, v. 10. Pater semper est glorificatus & gloriosus. Angeli in cœlo perfectè te agnoscunt, celebrant & glorificant, sed homines in terra per peccatum, in caliginem & ignorantiam prolapsi, per naturam te non agnoscunt nec glorificant: idè opus fuit, ut è cœlo gloria tuâ throno in terras descenderem, veram carnem assumerem, & per Evangelii prædicationem nomen tuum manifestando apud homines te glorificarem. Chrysostomus in h. l. *Residè sane super terram dicit, quia in cœlo glorificatus erat, cum naturalis haberet gloriam & ab Angelis adoraretur.* 2. Ad glorificationem sui, quam in vers. seq. à Patre petit: *Ego te glorificavi,* inquit, *super terram, & nunc glorifica me, Pater, apud te ipsum.* Explicat igitur modum utriusq; glorificationis, tum illius, quâ se Patrem glorificasse dicit, tum illius, quâ se à Patre glorificari petit. Patris glorificationem dicit esse factam *super terram,* hoc est, apud homines per Evangelii prædicationem, quia Pater tantum *ἐν οὐρανῷ* glorificatur; se verò glorificari petit *apud ipsum Patrem* in cœlo non tantum *ἐν οὐρανῷ*, sed *ἐν ἐξουσίᾳ*, & *ἐν ἐργασίᾳ*, per realem gloriæ collationem, videlicet per collocationem ad ipsam Patris dextram, per quam omnis potestas in cœlo ac terra ipsi verè fuit data, Matth. 28, 18. 3. Quia in verbis proximè sequentibus cum prædicatione Evangelii opus redemptionis generis humani conjungit: idè tacitè innuit, non tam Angelorum in cœlo confirmationem, quam Evangelii in terra prædicationem, & generis humani redemptionem Patrem cœlestem à se esse glorificatum. Quintò dicit: *Consummavi opus, quod dedisti mihi.* Per hanc operis à Patre demandati consummationem 1. quidam nihil aliud significari putant quam prædicationem Evangelii, de qua in priorè hujus versiculi membro egerat, ut hac ratione membrum posterius juxta usitatum Scripturæ morem sit *ἐξηγημένον* prioris, Joh. 4, 34. c. 5, v. 36, quia additur: *Consummavi opus, quod dedisti mihi, ut facerem,* id est, quod mihi peragendum injunxisti, Plal. 40, v. 8. Ef. 49, v. 4. 2. Quidam per *ἐργον* intelligendum esse statuunt opus circumcisionis, ut sit sensus: Circumcisionis & figuris legis finem imposui. 3. Quidam explicant de toto vitæ & (ut veteres vocant) politiæ Christi in terris curriculo, ut sit sensus: Consummavi meum cursum, perventum est ad finem. Luc. 13, v. 32. Actor. 20, 24. 2. Tim. 4, v. 7. &c.

v. 7. &c. 4. Sed Augustinus & Beda omnium rectissimè & simplicissimè accipiunt de opere redemptionis, cui Christus per passionem & mortem paulò post extremam impositurus erat clausulam. Nam duo præcipuè fines sunt, propter quos Filius Dei à Patre in hunc mundum fuit missus. Prior quidem ut voluntatem Patris in Evangelio manifestaret: Posterior, ut genus humanum à peccato & morte redimeret. Christus igitur utrumque hoc loco complecti voluit. 2. Verbum *τελειών* de opere redemptionis etiam alibi à Spiritu sancto usurpatur, Hebr. 10. v. 14. & quando Christus, absolutum esse illud redemptionis opus, in cruce testatur, utitur cognato verbo *τελειών*, Joh. 19, 30. 3. Non solum Evangelii prædicatione, sed etiam generis humani redemptione Christus Patrem suum glorificavit, quia dignitas victimæ declarat severitatem divinæ justitiæ, propitiatio per hanc victimam facta, declarat magnitudinem divinæ misericordiæ, modus redemptionis argumentum est divinæ sapientiæ. 4. Congruit etiam hæc interpretatio Christi scopo. Petit Christus, se à Patre glorificari, quia officio à Patre sibi demando fideliter erat functus, & quod adhuc peragendum restabat, eo jam porro fungi erat paratus. Functus erat officio Prophetæ in docendo Evangelio, ac miraculis illud confirmando, fungebatur eo ipso tempore officio summi Sacerdotis in orando pro Apostolis & tota Ecclesia, mox functurus erat præcipuo summi Sacerdotis officio in offerendo seipsum Deo pro peccatis mundi victimam in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2. de quo paulò post dicit: *Ego me ipsum sanctifico pro eis*. 5. Glorificatio, quam Christus petit, fuit consequens & præmium non tantum fidelitatis in officio docendi, sed etiam ac præcipuè obedientiæ in passione & morte Patri cœlesti præstita, ut testantur dicta, quæ glorificationem illam Christi describunt, Pl. 3. v. 6. Pl. 110. 7. Phil. 2. 8. & 9. Hebr. 2. 9. & 10. Ergo obedientia illa in passione & morte à Christo præstita, non potest nec debet excludi, quando dicit, se consummâsse opus à Patre sibi demandatum, ac propterea à Patre se glorificari petit. Nec obstat huic interpretationi, quod Christus in præterito dicit *ἐτελείωσα, consummavi opus*. Nam 1. propter certitudinem Scripturæ de rebus futuris loquitur verbis præteriti temporis. Augustinus tract. 105. in Joh. *Consummâsse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè novit, sicut longè antè in prophetia præteriti temporis usus est verbis, quando post annos plurimos futurum erat, quod dicebat: Foderunt manus meas*. 2. In proximo erat, ut opus illud consummaret. Quando autem aliquid in propinquo est, ut fiat, ac insuper certissimè futurum est, tum pro facto reputatur, utriusque regulæ exempla ex Scripturis alibi sunt adducta. 3. Sicut agnus dicitur occisus ab origine mundi, Apoc. 13. 8. inter causas reliquas propter æternum Dei decretum: ita quoque Christus opus redemptionis se consummâsse dicit, quia ratione æterni decreti coram Deo, cui nihil est futurum, sed omnia sunt præsentia, jamdum erat peractum. 4. Quia firmiter constituerat opus illud consummare, nec ullâ hostium truculentia vel passionis atrocitate ab eo se impediti erat permissurus. In fragmentis Polycarpi hæc habentur: *Quomodo opus salutis humana se adimplese commemorat, cum necdum crucis vexillum conscenderat? sed definitio voluntatis*

de qua cuncta veneranda passionis insignia adire decreverunt, jure se opus perfecisse significat. 5. Chrysoströmus & Theophylactus respondent, quod jam plantaverit radicem, unde illud perficeretur, jamdum assumserat humanam naturam, jamdum prædicaverat Evangelium, ac libertate docendi animos hostium, extimulaverat, adeoque quantum in se fuerat, morti seipsum sponte objiciendum fecerat, ut hoc opus consummaretur. Huc pertinet regula, quod dicta completiva sapius inchoative sint intelligenda, Genes. 5. v. 32. cap. 11. v. 26. 1. Reg. 6. v. 1. &c. 6. Quinimò bonam hujus operis partem jam absolverat, cum ad opus redemptionis pertineat non tantum ultima passio κατ' ἐξοχὴν sic dicta, sed omnes injuriæ, omnes adversitates, omnes persecutiones, quas Christus jam inde à prima nativitate sustinuerat, uti paulò antè monuimus. Proditor ex cœnaculo jamdum egressus erat, Pontifices de Christo interficiendo jamdum consultabant &c. 7. Voluit Christus de consummatione hujus operis in præsentia discipulorum testari. Sed quia noverat, neminem eorum, excepto solo Johanne, cruci assisturum, & novissimum illud verbum, consummatum est, ex sanctissimo ipsius ore auditurum: ideo in hac sua ad Patrem oratione, quam præsentibus & audientibus discipulis recitavit, de perfectione hujus operis redemptionis ipsos informat.

Denique sextò dicit: *Consummavi opus, quod dedisti mihi ut facerem*. Dare hoc loco est committere, demandare, perficiendum dare, sicut Christus ipse exponit. Commendat ergo suam erga Patrem obedientiam, quod non rapuerit sibi hoc officium, sed à Patre cœlesti sibi impositum sponte suscepit, inque eo perficiendo obedientiam Patri præstitit, ac porro præstare velit. Continetur etiam in his verbis efficax petitionis argumentum. Tu mihi imposuisti partes has redimendi genus humanum, ergo æquum est, ut in passione & morte, quam propter hoc opus redemptionis subire paratus sum, tuo auxilio mihi præstò sis, ex ea potenter me eripias, & in gloriam cœlestem transferas. Quare verò dicere maluit, à Patre sibi hoc opus esse datum, quàm commissum vel injunctum? Augustinus tractat. 105. statuit, eo significari, quod Dei gratia in homine operetur, quicquid boni homo facit: *Non ait, iussisti, sed dedisti, ubi commendatur evidens gratia. Quid enim habet, quod non accepit etiam in unigenito humana natura?* Posset etiam haud absurdè cogitare, Christum respicere ad verbum *dedonas* in vers. 2. hoc sensu: *Dedisti mihi potestatem omnis carnis, ut, quotquot dedisti mihi, eis dem vitam æternam: sed hanc vitam æternam non possum dare electis mihi abs te datis, nisi opus, quod dedisti mihi, consummavero. Dedisti mihi personas vitæ æternæ coronandas, sed dedisti etiam mihi opus consummandum per meam passionem & mortem, absque operis hujus consummatione, eandemque securam mei glorificatione non habet locum illa vitæ æternæ donatio, ideo, tu Pater, me glorifica*. Colligitur autem ex hoc loco 1. Patrem cœlestem potissimum glorificari doctrinæ cœlestis confessione, prædicatione & propagatione. Ut enim CHRISTUS glorificavit Patrem, quando Evangelium prædicavit, vitæ sanctitate illud ornavit, & miraculis confirmavit: ita & nos Deum glorificamus, quando Verbum Evan-

Evan-

Evangelii fide amplectimur, illud confitemur, prædicamus, sanctitate vitæ ornamus, & si res iraserat, sanguinem pro ejus veritate profundimus. Matth. 5, 16. Joh. 2, 19. 1. Pet. 2, 12. &c. 2. Illud verò dignitatem Ministerii Ecclesiastici, cui prædicatio & propagatio doctrinæ cœlestis præcipuè commissa, maximo operè commendat. 3. Christus obediens Patris cœlestis Filius gloriam Patris sui in omnibus quæsiuit, ac pro ea vendicanda & amplificanda ad mortem usq; pugnavit. *Ego honoro Patrem meum*, inquit Joh. 8, 49. Quod si & nos in Christo ac per Christum sumus genuini Dei filii, omnia ad gloriam Dei facere debemus, 1. Cor. 10, 31. 4. Qui Deum glorificant & honorant, illos Deus vicissim honorat, & vindices gloriæ suæ glorificat, 1. Sam. 2, v. 30. *Glorifica me, Pater*, inquit Christus, *quia ego te glorificavi super terram*. 5. Quod Filius Dei è cœlo in terras descendit, ut Patrem apud homines glorificaret, illud arguit hominum cœcitatem & ingratitude, quod Deum ex creaturis & quotidianis beneficiis non agnoverint, nec glorificaverint, Rom. 1, v. 21. 6. Christus hæc duo arctissimè conjungit, quod Patrem glorificaverit, & quod opus à Patre sibi demandatum consummaverit. Ergo si Deum verè glorificare cupimus, oportet, ut voluntati & mandatis ejus nos obsequentes præbeamus. Deus non glorificatur electiis cultibus & operibus proprio arbitrio excogitatis, sed obedientiâ juxta normam verbi præstitâ. 7. Christus redemptionis opus non reliquit imperfectum nostrorum operum meritis complendum, sed perfectissimè illud consummavit, non est *ἡμιλύτρωσις*, sed *ὑπολύτρωσις*, Hebr. 10, 14. &c. 8. Christus officium suum Propheticum & Sacerdotale non per vim nec fastum rapuit, sed à Patre sibi commissum suscepit, Hebr. 5, 5. 9. *Si unigenitus Dei Filius Patri tribuit, atque ab eo sibi datum asserit, quicquid bonum, quicquid salutare in officio suo fecit, quanto magis nos inutiles servuli, qui nihil sumus, nihil possumus, omnia Deo, ac nihil nostris meritis, nostris viribus, nostra sapientia, adscribere debemus*. Stapul. in h. l. 10. Pater cœlestis opus redemptionis à Christo consummatum sibi laudi ac gloriæ ducit, perq; illud se glorificari testatur, ex eo elucet, quanto salutis humanæ amore flagret, quàm ratum ac gratum habeat, quicquid Christus in nobis redimendis ac salvandis in diebus carnis suæ egit, & adhuc hodie agit.

Sequitur tandem quarta & ultima pars hujus primæ pericopes *conclusio*, constans repetitione propositionis sive petitionis: *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud te ipsum gloriam, quam habui, priusquam hic mundus esset, apud te*. Particula *ἄρτι* vñ habet vim illationis sive consecutionis, quasi dicat: Nunc ergo me glorifica: Quia ego te glorificavi super terram, ideo me glorifica apud te ipsum. Euthymius monet, illud *vñ* non tantum includere tempus præsens, sed etiam sequens, quasi dicat: *ex nunc, deinceps & in posterum* me glorifica, cum quo ferè congruit, quod Augustinus tract. 105. in Joh. illud *ἄρτι* refert ad verba sequentia. *Ad hoc* (inquit) *valet quod ait, & nunc clarifica me, hoc est, sicut tunc, ita & nunc*. Sed prima expositio est maximè congrua. Nec simpliciter dicit, Pater, glorifica me, sed addit, glorifica me tu Pater, ubi pronomen *tu* respectum habet ad pronomen *ἐγώ* in versu proximè præcedente. Cum ego te glorificaverim ac gloriam tuam hæcenus fide-

lissimè promoverim, æquum est, ut tu me vicissim glorifices, ac gloriam meam promoveas. Quare vero Patri glorificationem assumptæ naturæ suæ tribuat, eamq; à Patre petat, cum tamen ipse, ut verus cum Patre Deus assumptam suam naturam glorificaverit, ejus rei causam exposuimus in Exegest. tom. 1. Loc. de person. Christi §. 204. Declarat insuper *modum* petitiæ se glorificationis, videlicet quod velit glorificari apud Patrem, & quidem gloriâ illâ, quam habuit apud Patrem, priusquam hic mundus esset, hoc est, ab æterno, quia ante mundi creationem nihil extitit nisi æterna & infinita Dei essentia Patri, Filio & Spiritui sancto communis. In Græco est ellipsis & trajectio: *τῆ δόξης ἣ ἔσχον πρὸ τῶν κόσμων εἶναι, ὡς εἶπες σοι*, hoc est, *τῆ δόξης ἣ ἐπέσθη μοι πρὸ τῶν κόσμων εἶναι*. Posset etiam simpliciter dici, relativum ἢ juxta ultimum Græcismum, convenire casu cum antecedente nomine *δόξης*, cum deberet convenire cum verbo sequente *ἔσχον*. In verbis *πρὸ τῶν κόσμων εἶναι*, ante mundum existere, hoc est, antequam mundus existeret, est alius Græcismus, respondens Hebræorum idiotismo, quo præpositiones infinitivis junctæ per verbum finitum in modo conjunctivo explicandæ sunt. Genes. 5, 4. Exod. 9, 10. c. 20, 20. Num. 9, 17. &c. Sic ergo in hac conclusione Christus 1. propositionem sive petitionem suam denuò repetit, eamque ex antecedentibus rationibus infert: Quia tua gloria & hominum salus requirit, ut abs te glorificer, & quia te glorificavi, ideo denuò peto, ut me glorifices. Inest huic repetitioni singulare pathos. Christus enim hoc vult dicere: Non defugio nec recuso ignimiosissimam passionem & mortem pro peccatis humani generis tuo decreto sustinendam, sed hoc unicum peto, ut me glorifices, ut sub pondere peccatorum totius mundi & iræ divinæ peccatis illis debitæ me sustentens, ex morte resuscites, & ad dextram tuam colloques. Tu Pater, me glorifica, non est alius, qui me glorificari possit, vel à quo glorificari velim. Quia verò Christus in hac conclusione propositionem repetit, eamque ex superioribus infert, ex eo colligitur, uno & eodem modo *glorificandi* verbum accipiendum esse in propositione vers. 1. & in hac conclusione v. 5. Quamvis enim in vers. 1. magis respiciat ad *gloriæ manifestationem*, in hoc v. 5. magis ad *gloriæ collationem*, ut superius monuimus, tamen hæc duo non sunt accipiendi *oppositè* sed *subordinatè*, utrobique enim & gloriæ collationem & gloriæ collatæ manifestationem à Patre suo cœlesti petit. 2. Inferit adhuc alias petitionis suæ rationes. Promissisti, quod te honorantes velis honorare, 1. Sam. 2, 30. ergo quia te glorificavi hæcenus, ac porro etiam glorificaturus sum, etiam me glorificabis. Nihil alienum, nihil adventitium peto, sed gloriam, quam secundum Deitatem ab æterno apud te habui, quamque secundum humanam naturam in primo incarnationis momento per unionem personalem accepi, sed plenario ejus usu sponte me ipsum exinanivi. Non enim de prima divinorum *ἀνχημάτων* communicatione in primo incarnationis momento Christo secundum carnem facta, sed de plenaria communicationum *ἀνχημάτων* usurpatione h. l. proprie agit. 3. Exprimit genus gloriæ, quod hoc loco non petat finitam & creatam gloriam, qualem in sua ex mortuis resurrectione ratione glorificati

cor-

corporis accepit, sed quod infinitam, incretam & æternam gloriam petat, quam secundum Deitatem ab æterno apud Patrem habuit. Idem quod præcipue ac proprie hoc loco non agat de gloria sue manifestatione, de ea enim principaliter egerat, v. 2. ubi petierat, per Evangelii prædicationem in toto orbe se ex mortuis resuscitatum glorificari, ut Judæos & gentes ad veram veri Dei cognitionem, & ex ea dependentem salutarem adducere posset, sed de glorie collatione, cum non apud homines tantum, sed apud ipsum Patrem glorificari expetat, & quidem eam gloriâ, quam apud Patrem ab æterno habuit, ubi duplex repetitio *περὸς τὸν πατέρα* & *καὶ τὸν πατέρα* magnam habet emphasim. Nec tamen gloriâ manifestationem in v. 1. petita excludit gloriæ collationem, sed eam præsupponit, nec collatio gloriæ in hoc vers. 5. petita excludit gloriæ manifestationem, sed eam simul includit. 4. Declarat secundum quam naturam se glorificari petat. Manifestatio gloriæ secundum utramque naturam Christo competit, sed collatio gloriæ secundum humanam tantum naturam ipsi facta. Ideo Christus notanter dicit: *nunc glorifica me*, petit ergo in tempore sibi dari gloriam. Jam vero quæ in tempore Christo dantur, secundum humanam naturam ipsi dantur, quæ est constans totius Antiquitatis sententia. Petit etiam, se glorificari eâ gloriâ, quam habuit ab æterno, videlicet secundum Deitatem. Jam verò secundum Deitatem utpote immutabilem & invariabilem semper habuit illam gloriam. Ergo non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem gloriam illâ sibi conferri petit. Christus petit hanc gloriam in præmium & consequens obedientiæ Patri præstitæ. Ergo secundum humanam naturam gloriam illam sibi dari petit, in qua passionem & mortem sustinuit. Idem probatur ex modo glorificationis & gloriæ genere. Non tam de glorificatione apud homines per prædicationem Evangelii, quam de glorificatione apud Patrem agit. Jam verò apud Patrem non potuit respectu divinæ suæ naturæ glorificari in tempore. Ergo secundum humanam naturam glorificari expetit. Atque eo modo hunc locum rectè exponunt Hilarius in Psalm. 2. Athanasius serm. 4. contra Arian. ac de suscept. human. contr. Apollinar. Basiliius lib. 4. contra Eunom. Chrysostomus homil. in Joh. Cyrillus lib. 10. in Johan. cap. 9. & lib. 11. cap. 17. ut meritò scripserit Maldonatus in hunc locum: *Omnes ferè, quos ego legerim auctores, de gloria humana non divine nature Christum loqui statuunt, ac tanta vis est veritatis, ut ipse Zvinglius in comm. h. l. scripserit: Hic agitur de glorificatione humane & assumptæ nature &c. Nam quatenus Deus est, hanc gloriam ab æterno habuit.* Nascitur ergo ex his verbis invictum argumentum pro asserenda divinæ & infinitæ gloriæ communicatione Christo secundum humanam naturam facta, quod sic habet: Gloria, quam Christus apud Patrem ab æterno habuit, est verè divina & infinita gloria. Atque illam ipsam gloriam, quam apud Patrem ab æterno habuit, sibi secundum humanam naturam conferri petit. Ergo verè divinam & infinitam gloriam sibi secundum humanam naturam conferri petit, & quia quod petiit impetravit, Joh. 11. v. 42. Heb. 5. 7. ideò gloria verè divina & infinita ipsi secundum humanam naturam competit. Hanc ἀποδοτέον

riis exceptionibus infringere laborant, qui divinæ gloriæ communicationem humanæ Christi naturæ derogant. Primò Augustinus tract. 105. in Johan. meminit quorundam, qui hanc glorificationem per conversionem humanitatis in Deitatem factam esse putarunt. Sed contra hunc errorem rectè urget Augustinus verbum *glorificandi*. Si enim humana natura fuisset in Verbum conversâ, non fuisset glorificata, sed periisset in Deo. Gerson pulcrè dicit: *Gloria carnem perfecit, non interfecit; exulit, non abstulit.* Secundò Polanus, Tossanus & alii ex Calvinianis excipiunt. *Christum hanc gloriam habuisse priusquam mundus esset in prædestinatione, ac proinde non petere infinitam & æternam gloriam, sed finitam & creatam, quam Pater ab æterno decrevit dare humanitati*: idque cupidè amplectuntur Photiniani, ut patet ex Socino contra Erasum. Joh. p. 80. contra Bellarm. & Wiekum p. 135. Catech. Racov. p. 76. Hæc expositio placet etiam August. tract. 105. in Joh. sic scribenti: *Ad hoc valet, quod ait, & nunc clarifica me, id est, sicut tunc, ita & nunc; sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te jam fuerit ante mundum, fac in suo tempore, quod ante omnia tempora stat uisti &c.* Si enim de nobis dixit Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, cur abhorere putatur à vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso, ut membra ejus essemus, elegit? Sed Tertullianus (vel potius Novatianus) in lib. de Trin. cap. 24. memorat, expositionem illam ab Arianis originem duxisse, qui ad argumentum pro asserenda Christi divinitate ex his verbis petitum quærentes responsum ad hoc se receperint latibulum, quod ipse destruere summis laborat viribus: *Nec prædestinatione (inquit) ista dicatur, quoniam nec posita est, aut addat hoc qui putant. Sed va est adiacentibus, quomodo & detrahentibus positum. Non potest ergo dici, quod non potest adiacere. Sublatâ ergo prædestinatione que non est posita, in substantia fuit Christus ante mundi institutionem. Quoniam & si in prædestinatione dicitur gloriosus, & ante mundi institutionem fuisse prædestinationem, ordo servetur, & ante hunc erit multus numerus hominum in gloriam destinatus. Minor enim per istam destinationem Christus cæteris intelligitur, quibus posterior denotatur. Nam si hac gloria in prædestinatione fuit, prædestinationem illam in gloriam novissimus Christus accepit, antè enim prædestinatus Adam esse cerneretur, & Abel, & Enoch, & Noe, & Abraham, & reliqui cæteri. Nam cum apud Deum & personarum & rerum omnium ordo digestus, ante hanc prædestinationem Christi in gloria multi prædestinati fuisse dicentur. Et hoc pacto minor cæteris hominibus Christus esse deprehenditur, qui melior & major & antiquior ipsis quodam Angelis invenitur. Aut hæc igitur omnia tollantur, ut Christo divinitas non auferatur, aut si hæc tolli non possunt, Christo ab hæreticis divinitas propria reddatur.* Repudiamus igitur Arianam hanc glossam, quæ textui penitus est contraria, quamque ipsimet Calviniani contra Arianos & Photinianos disputantes deserunt, ut patet ex Francisco Junio defens. 3. de SS. Trinit. tom. 2. oper. pag. 175. Zanchio part. 2. lib. 2. de tribus Elohim cap. 5. pag. 514. & aliis. Christus absolutè pronunciat, quod gloriam illam ab æterno habuerit, hæc glossa addit, quod in prædestinatione eam habuerit. Christus dicit, quod gloriam illam habuerit τὸν πατέρα, nimirum, quia ab æterno erat πρὸς τὸν θεόν, ἀπὸ

apud Deum Patrem, Johann. 1. vers. 1. *μονογενὴς παρὰ τῆ Πατρὸς*, v. 14. *ὁ ὢν ὡς ὁ τῆ Θεῶ*, Joh. 1. v. 46. hæc glossa dicit, quod non apud Patrem, sed *in Patre*, videlicet in decreto Patris, in prædestinatione eam habuerit. Nemo certè dici potest, habuisse aliquid apud Deum ab æterno, nisi fuerit apud Deum ab æterno. De nullo electorum, dicit Scriptura, quod habuerint gloriam *apud Deum* ante mundum conditum, cum tamen omnes electi prædestinati fuerint ad gloriam ante mundum conditum. Quæ ex Scripturis Socinus in refut. argum. Erasmi Joh. p. 84. adducit, ut probat verba *apud Deum* destinationem innuere posse, facilem habent explicationem, quia 1. Joh. 1. v. 2. de Christo agitur, in reliquis locis Hebr. 10, 34. Joh. 3, 15. non habetur *παρὰ* sed *ἐν*. In prædestinatione simul sunt creatio mundi & glorificatio Christi. Sed Christus petit illam sibi dari gloriam, quam habuit *antequam* esset apud Patrem, *antequam* mundus esset, est enim utrobique eadem phrasîs, *ὁ ἕξασόν με ὡς ἂν σεαυτὸν τῆ δόξης ἢ ἄχρον ὡς ἂν σοί*. At Christus petit sibi gloriam in tempore dari per realem communicationem. Ergo etiam ab æterno habuit illam gloriam per realem communicationem. (Modus tamen communicationis variat, quia secundum divinam naturam communicata est à Patre Christo gloria *per æternam generationem*, secundum humanam naturam illi eadem gloria communicata est *per hypostaticam unionem & ad dextram Patris exaltationem*) Socinus d. l. urget, quod 2. Timoth. 1. v. 9. *gratia nobis dicitur esse data in Christo ante tempora secularia, cum tamen tunc minime essemus*. Sed Apostolus nequaquam dicit, nos vel gratiam vel gloriam *apud Deum habuisse* ante tempora secularia, sed gratiam Dei nobis *datam esse in Christo*, juxta divinam suam naturam ab æterno apud Patrem existente, & Mediatore ante tempora secularia constituto. Maxima ergo inter hunc locum & dictum illud Apostolicum occurrit diversitas. Hic agitur de unigenito Dei Filio, qui est *in sinu Patris*, Joh. 1. v. 18. est *μονογενὴς παρὰ τῆ Πατρὸς*, v. 14. est *unum cum Patre*, Joh. 10. v. 30. illic verò de hominibus, qui in tempore in filios Dei adoptantur. Hic absolute & simpliciter Christus dicit, *se apud Patrem gloriam habuisse antequam mundus esset*; illic verò Apostolus gratiam ante tempora secularia nobis datam esse, dicit *κατ' ἰσχύον περὸς ἡμᾶς*, quæ manifesta prædestinationis descriptio, *περὸς ἡμᾶς* ac *περὸς ἡμᾶς* nomine alibi expositæ, Rom. 8, 29. Eph. 1. v. 5. 1. Petr. 1. v. 2. eandemque gratiam per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi dicit esse in tempore manifestatam. Urget etiam illud, quod Rom. 8, 30. illi à Deo glorificati dicuntur, qui destinatione tantum gloriam à Deo sunt adepti, quod dicimur id habere, quod nondum reipsa habemus, sed nobis tantum decretum est, 2. Cor. 5, 1. Hebr. 10, 34. 1. Joh. 3. v. 15. sed quilibet videt, in nullo horum locorum dici, quod vel gratiam vel gloriam *apud Patrem ante mundum conditum* habuerimus. Tertio quidam excipiunt, *Christum petere gloriam, quam secundum divinitatem ab æterno habuit, non quod eandem omnino aut æqualem, sed quod similem petat, ut sicut ab æterno quatenus Deus fuit immortalis vitam habens in seipso*, Joh. 5. v. 26. & *in dextra ejus sedens, ita secundum hominem immortalis efficeretur, & ad dextram Dei exaltare-*

tur. Resp. imò verò non similem, sed eandem omnino gloriam petit, quia gloriam, quam ab æterno apud Patrem habuit, petit, inde notanter dicit, Luc. 24, 26. *quod per passionem intraverit in gloriam*, hoc est, quam unigenitus à Patre ab æterno habuit, Joh. 1. v. 14. ac hoc loco ratione humanitatis glorificari petit, non gloriam aliquam simili vel alienam, quæ foris accedat, sed claritate eadem, quam ut Verbum reipsa habuit ante mundum conditum & claritate propria, quam ut Deus ab æterno habuit. Lyranus in h. l. *Illius gloria, quam habeo æternaliter tecum secundum divinitatem, fac participem naturam mortalem, quam assumpsi propter hominum salutem*. Calvinus ipse in h. l. *Declinat, se nibi adventitium petere, sed tantum ut appareat talis in carne, qualis fuit ante conditum mundum: vel si clarius malis, ut divina majestas, quam semper habuerat, nunc resurgat in persona Mediatoris & in carne hominis quam induerat. Quarto quidam eo confugiunt, quod Christus petit gloriam Mediatoriam, que non sit gloria Dei essentialis, sed proxima divina & essentiali glorie, gloriam rerum creatarum omnium longe exsuperans*. Polanus in syntagm. lib. 2. cap. 31. pag. 190. Resp. ea verò non est divina inferior, sed quia opera Mediatoris sunt divina, idè ad partes officii Mediatorii exequendas requiritur virtus & gloria divina, quæ Christo Mediatori secundum divinam naturam competit *essentialiter*, secundum humanam naturam *personaliter*. Ut inter Deum creatorem & creaturas nullum datur medium, ita inter gloriam divinam infinitam, & gloriam creaturarum finitam nullum dari potest medium. Adde, quod gloria Mediatoria etiam ante has preces Christo fuerit data, quorsum ergo eam jam demum sibi dari peteret? Quintò quidam per glorificationem, quam Christus petit, nihil aliud intelligendum esse dicunt, quam gloriam, quæ secundum Deitatem Christo competit, manifestationem. Maldonatus in h. l. *Nihil absurdum se qui video, si de divina etiam natura, aut communiter de persona Filii utramque naturam complectente hunc locum interpretemur. Si enim absurdum non est, ut Pater quatenus Deus à Filio glorificetur, dum eius gloria per Filium hominibus declaratur, cur absurdum erit, ut eadem ratione à Patre Filius glorificetur?* Resp. non excludimus ab hac petitione gloriam manifestationem, sed dicimus, eam in Christo præsupponere gloria collationem, de qua proprie & principaliter hic agi, ostendit *περὸς ἡμᾶς* apud te ipsum. Dixerat Christus, *ego te Patrem glorificavi super terram*; hic ergo subjicit, *glorifica me tu, Pater, apud te ipsum*. Ergo distinguit inter modum glorificationis, quæ Patrem super terram glorificavit gloriam ipsius hominibus manifestando & illius glorificationis, quæ apud Patrem petit glorificari per realem gloria collationem, videlicet per exaltationem ad Dei dextram. Augustinus tract. 105. in Joh. *Hic ejusdem glorificationis expositus est modus. Dicendo enim clarificari à se Patrem super terram, se autem à Patre apud eundem Patrem, modum profectò utriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram eum gentibus predicando: Pater verò ipsum apud semetipsum ad dextram suam collocando. Sextò τὸ περὸς ἡμᾶς apud te ipsum variis modis explicant. Dionysius in hunc locum: *apud te ipsum, hoc est, verè sicut bonum & justum videret in oculis tuis, (rectius tamen paulò post addit: vel in patria collocando me super omnem principatum.) Salmeron: Apud te ipsum, ne quis putet,**

cum

eum gloriam mundi querere, da mihi gloriam consistentem in commendatione tua, apud Deum siquidem commendatio & glorificatur per fidem, apud alios verò hæc commendatio parvi penditur. Alii hoc modo: apud te ipsum, hoc est, per divinam tuam potentiam. Alii sic: Apud te ipsum, ne quis putet, cum alienam gloriam invadere, quemadmodum diabolus & primus homo fecerant. Alii ellipsin statuunt: Apud te ipsum, scilicet existentem Deum, ut sic non ad verbum *ὁ πατήρ*, sed ad pronomen *me* verba illa referantur. Socinus contra Erasm. Johan. pag. 92. Petit, ut gloria, quam ipsi daturus erat, esset solida & vera gloria, adeo ut etiam apud ipsum Patrem sive in ipsius Patris conspectu gloria esset. Sed nihil horum assequitur vim & emphasin hujus phrasios. Repetimus ergo argumentum superius propositum. Quo sensu Christus dicit, se apud Patrem habuisse gloriam, antequam mundus esset, eodem sensu petit, se apud Patrem glorificari. Jam verò Christus dicit, se apud Patrem habuisse gloriam ante mundum conditum sensu eo quod verè & realiter juxta Deitatem divinam gloriæ fuerit consors. Ergo etiam petit, se ejusdem gloriæ divinæ secundum humanam naturam consortem & participem reddi. Referri huc potest locus parallelus, Johann. 13, 32. *Deus glorificabit eum* *ἐν εαυτῷ*, in semetipso, de quo in cap. 172. Harm. egimus. Septimò quidam excipiunt, in persona Christi esse subsistendum, nec querendum, secundum quam naturam glorificari expetat. Polanus d. l. Christus non carni, sed sibi petit gloriam. Janfenius in cap. 136. Harm. Christus precatur sibi homini omni in eandem dari claritatem & gloriam, quam quatenus Verbum reipia habuit ante mundum, non quod humanitas Christi ejus gloria esset. capax, sed quod sue persone, que jam simul erat Deus & homo, vellet in humana etiam natura dari eam gloriam, quam eatenus tantum habuit in divina natura, hoc est, ut qui hætenus solum, quatenus Verbum, habuit gloriam divinitatis, jam eandem etiam haberet quatenus Verbum caro, aut quatenus homo Deus. Resp. Quæcunque personæ Christi tribuuntur, aut secundum utramque, aut secundum alterutram naturam, divinam scilicet vel humanam, Christo competunt. Sed datio illa gloriæ in tempore non secundum divinam naturam Christo competit, alias non esset ab æterno ejusdem gloriæ & essentiæ cum Patre. Ergo secundum humanam naturam ipsi competit. Ea enim ut *ὡς ἀπὸ θεοῦ τὸ δόξας* in ipsa unione verè particeps fuit facta, ita quoque in collocatione ad dextram Dei divinæ & infinitæ gloriæ verè fuit consors reddita. Confer Exeget. de person. Christi §. 208. Disput. 2. de gloria Dei §. 14. Octavò quidam excipiunt, Christum gloriam, quam sibi dari petit, habuisse apud Patrem, priusquam mundus fieret, non in se, sed in sua causa, nempe in divina claritate, ex qua tanquam ex fonte proflexerit illa claritas, quæ Christus secundum humanam naturam in tempore fuit glorificatus, Gretserus tom. 2. defens. Bellarm. p. 197. Resp. Christus absolute & simpliciter dicit, se gloriam apud Patrem ab æterno habuisse: Gretserus de suo addit, quod eam habuerit in divina claritate tanquam in sua causa. Christus dicit, se habuisse gloriam apud Patrem: Gretserus hoc ita pervertit, quod habuerit gloriam in Patris claritate. Christus dicit, se habuisse gloriam *ὁ πατήρ*: Gretserus hoc ita accipit, ac si dictum esset *ὁ πατήρ*, quæ phrasia originem significare posset, sicut Johann. 1. vers. 14. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi πορφυρῆς* Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

ὁ πατήρ. Denique quidam excipiunt, Christum hic onare pro corpore suo mystico, videlicet pro credentibus, ut ipsi in capite suo glorificentur, ac filii Dei & vite æternæ heredes efficiantur. Resp. Christus in tertiam demum hujus admirabilis orationis parte pro membris mystici sui corporis orat: in hac verò prima parte pro sui glorificatione preces fundit. Non negamus, fructum hujus glorificationis, quam Christus petit, in credentes tanquam vera & viva mystici sui corporis membra redundare, interim discrimen manet inter gloriam, quam Christus suæ carni petit, & inter gloriam, quam credentibus petit, illa est infinita & increata, hæc vero finita & creata, unde etiam in oratione pro credentibus non dicit: *Pater, volo, ut, ubi sum ego, & illi mecum sint*, ut eandem mecum habeant gloriam, sed, *ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi*, sicut etiam, Apocal. 3. v. 21. *inter thronum Dei Patris & Christi*, hoc est, inter illum thronum, in quem Pater cœlestis Christum collocavit, & inter illum thronum, in quem Christus electos collocat, manifestè distinguitur. Perstat igitur immotum ac fixum, quod Christus hoc loco non membris, sed sibi capit; non utriusque, nec divinæ, sed tantum humanæ suæ naturæ gloriam petit; nec humanam, vel Angelicam, sed divinam gloriam, quæ Patrem in ministerio suo glorificavit, & quam apud Patrem ab æterno habuit; nec gloriæ illius tantummodo manifestationem, sed realem collationem expetat. Rupertus putat, *Christum hoc petere, ut humanitas ipsius cum Verbo copulata eadem claritate adoratur, quæ ab æterno debetur divinitati*. Quæ explicatio vera quidem est, sed non plena, quia adoratio illa realem gloriæ divinæ communicationem in Christo homine præsupponit. Colligitur ergo ex his verbis, 1. Christum esse verum & æternum cum Patre Deum, ac distinctam à Patre personam, quia ante conditum mundum nihil aliud fuit, quam Deus, & quia, ante conditum mundum apud Patrem habere gloriam, utrumque præsupponit, ratione essentiæ cum Patre esse unum, & ratione personæ esse ab eodem distinctum. Declaratur ergo his verbis, quid sit, cognoscere Mediatorem nostrum Jesum Christum esse à Patre missum, in quæ cognitione vitam æternam consistere. Christus in vers. præcedente 3. dixerat, videlicet quod cognoscendus sit mediator non tantum homo, sed in personæ unitate verus Deus, qui ante conditum mundum, hoc est, ab æterno apud Patrem fuerit, Johann. 1. v. 1. Tertullian. de Trinit. cap. 24. p. 620. *Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit: Et nunc honorifica me gloria, quam habebam apud te, priusquam mundus esset? Si antequam mundus esset, gloriam habuit apud Deum, & claritatem tenuit apud Patrem, ante mundum fuit. Nec enim habuisset gloriam, nisi ipse prius fuisset, qui gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliquid poterit, nisi ante ipse fuerit, qui aliquid tenet. Sed enim Christus habet gloriam ante mundi institutionem. Ergo ante institutionem mundi fuit. Nisi enim ante institutionem mundi esset, ante institutionem mundi gloriam habere non posset, cum ipse non esset. Sed enim homo gloriam ante mundi institutionem habere non potuit, qui post mundum fuit. Christus autem habuit, ante mundum, igitur fuit. Non igitur homo tantummodo fuit, qui ante mundum fuit. Deus est igitur, quoniam ante mundum fuit, & gloriam ante mundum tenuit.* Cyrillus lib. 12. The-
L z z z z z sauri

fauri cap. 13. Nihil potest habere gloriam Dei, nec ullius glorie Dominus appellari prater Deum. Non enim mentiri potest Spiritus veritatis, per quem Pater in sanctis Prophetis locutus est, dicens: Gloriam meam non dabo alteri. Bernhard. ferm. 76. in Cant. Non solum Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem, ne quis dicat, Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cum & ipse clarificet Patrem dicente Filio: Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sed forte ad huc submittendum putes, Filium, quod quasi inglorius videatur, à Patre recipere claritatem, quam demum Patri refundat. Audi quia non est ita. Clarifica me, inquit, eá claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te. Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est, ex æquo se clarificant Pater & Filius. Et si ita est, ubi Patris primatus? æqualitas profecto est, ubi coæternitas, & usque adeo æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sint. 2. Christo secundum humanam naturam data est illa ipsa gloria, quam secundum divinam suam naturam ab æterno apud Patrem habuit, ac proinde gloria verè divina & infinita, Johann. 1. v. 14. Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre. Gloria unigeniti à Patre est gloria verè divina & infinita (quia hoc loco non est similitudinis, sed veritatis & confirmationis.) Jam verò gloriam illam viderunt Apostoli, tum quia humanam Christi naturam, quæ illius gloriæ per unionem personalem verè & realiter particeps facta est, viderunt, 1. Johann. 1. v. 1. tum quia radios hujus gloriæ in miraculis à Christo editis, Joh. 2. v. 11. & in transfiguratione 2. Pet. 1. vers. 17. viderunt. Utique ergo Christo secundum humanam naturam gloria verè divina & infinita est data. 3. Ut Filius Dei propter nos & in nostrum commodum homo factus est: ita propter nos & nostrum commodum glorificatur, ut

per ipsum æternæ justitiæ, vitæ & gloriæ participes reddamur. Sicut propter nos sponte suscepit passionis & mortis ignominiam: sic propter nos in summam erectus est gloriam. 4. Ut Christus caput nostrum orat: ita quoque nos utpote verius ipsius membra orare oportet, ut Deus in nobis se glorificet. Quod enim Christo gloriam Patris sui tempore ministerii sui quærenti accidit, idem etiã nobis in mundo obtingit, ut, quia Deum confessione & propagatione Evangelii glorificamus, ignominia in mundo afficiamus, rogandus igitur Deus, ut gloriam Verbi ac nominis sui ipsemet asserat. 5. Quando ignominia obruimur, oculos cordis nostri elevemus ad gloriam in Christo ante tempora secularia nobis paratam. Matth. 25. vers. 34. Rom. 8. vers. 29. Ephel. 1. vers. 4. &c. 6. A solo Deo, qui est Deus gloriæ, Actor. 7. v. 2. gloriam petamus, gloria apud homines lubrica est & momentanea. 7. Tunc verò à Deo glorificari rectè petimus, quando cursum vocationis nostræ consummavimus, ac Deum obedientiã nostrã glorificavimus. Cyrillus libr. 11. in Johan. cap. 17. Opere nostro consummato ad libertatem filiorum Dei perducti à glorificato Deo gloriam repetere audebimus. 8. Denique evidens hoc loco habetur testimonium, quod mundus non extiterit ab æterno. Simon. de Cassia libr. 12. cap. 16. In hoc verbo confunduntur Philosophi, illi duntaxat quos fides creatoris præterit, & qui mundum æternum ponere præsumserunt, cum apertè dicat, antequam fieret mundus. Igitur si factus est mundus non est æternus, sed novus. Concludimus pericopen hanc primam tali voto:

*Æterne, bone Christe, mihi da gaudia vitæ,
Namque Pater summus me tibi, Christe, dedit.*

Pericope secunda.

- V. 6. Ἐφανερώσαός με τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις ἃς δέδωκάς μοι ἐκ τῆς κόσμου. Ὅτι ἦσαν καὶ ἐμοὶ αὐτὰς δέδωκάς, καὶ τὸν λόγον σε τετηρήκασι.
7. Νῦν ἐγὼ κἀκεῖ ὅτι πάντα ὅσα δέδωκάς μοι, παρὰ σὲ ἔστιν.
8. Ὅτι τὰ ῥήματα ἃ δέδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς· καὶ αὐτοὶ ἔλαβον, καὶ ἐγνώσαν ἀληθῶς, ὅτι παρὰ σὲ ἔζηλον, καὶ ἐπίστευσαν ὅτι σύ με ἀπέστειλας.
9. Ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἔρωτῶ· ἃ περὶ τῆς κόσμου ἔρωτῶ, ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι, ὅτι σοὶ εἶσι.
10. Καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σὰ ἐστὶ, καὶ τὰ (ἃ ἐμὰ· καὶ δέδεξάμην ἐν αὐτοῖς.
11. Καὶ οὐκ εἶμι ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἔτι ἐν τῷ κόσμῳ εἶσι· καὶ ἐγὼ πρὸς σε ἔρχομαι. Πάτερ ἅγιε, τηρήσον αὐτὰς ἐν τῷ ὀνόματί σε, ὅς δέδωκάς μοι, ἵνα ὡσιν ἐν καθῶς ἡμᾶς.
12. Ὅτε ἦμην μετ' αὐτῶν ἐν τῷ κόσμῳ, ἐγὼ ἐτήρηκα αὐτὰς ἐν τῷ ὀνόματί σε· εὐς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα, καὶ ἄδεις ἐξ αὐτῶν ἀπόλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς δουλείας· ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.
13. Νῦν δὲ πρὸς σε ἔρχομαι, καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ, ἵνα ἐχῶσι τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν πᾶσι τοῖς ἠρώμενοι ἐν αὐτοῖς.
14. Ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σε, καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτὰς, ὅτι οὐκ εἶσιν ἐκ τῆς κόσμου, καθῶς ἐγὼ οὐκ εἶμι ἐκ τῆς κόσμου.

- V. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt.
7. Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcunque dedisti mihi, abs te sunt:
8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quod à te exivi, & crediderunt, quod tu me misisti:
9. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.
10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & glorificatus sum in eis.
11. Et jam non sum in mundo, & ii in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut nos.
12. Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo: Quos dedisti mihi, custodiivi, & nemo ex eis perit, nisi filius ille perditus: ut Scripturam compleretur.
13. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.
14. Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.

- v. 15. Οὐκ ἔρωτῶ, ἵνα ἀρῆς αὐτοὺς ἐκ τῆς κόσμου, ἀλλ' ἵνα τηρηθῆς αὐτοὺς ἐκ τῆς πονηρίας.
 16. Ἐκ τῆς κόσμου οὐκ εἰσὶ, καὶ οὕτως ἐγὼ ἐκ τῆς κόσμου οὐκ εἰμι.
 17. Ἀγιάσον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου ὁ λόγος ὁ σὸς ἀληθὴς ἐστίν.
 18. Καὶ οὕτως ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον.
 19. Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἀγιάζω ἑμαυτὸν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὡσιν ἠγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ.

- v. 15. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo.
 16. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.
 17. Sanctifica eos per veritatem tuam : sermo tuus veritas est :
 18. Sicut me misisti in mundum, ita ego misi eos in mundum.
 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati per veritatem.

Exegesis hujus pericopes.

Gen. 48. v. 15. & 16. de Jacobo Patriarcha commemoratur, quod nepotibus suis Josephi filiis Ephraimo & Manasse morti jam vicinus hisce verbis benedixerit: Deus, in cuius conspectu ambulaverunt Patres mei Abraham & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis & vocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Pari ratione Christus in hac pericope pro dilectis suis Apostolis orat, cum jamjam mortem aditurus esset. Potest autem collatio inter factum Jacobi Patriarchæ & Christi institui. 1. ratione subiecti sive causæ efficiētis. Apud Moysen benedictionem illam nepotibus suis precatur sanctus Patriarcha Jacobus, qui, ut in aliis compluribus, ita quoque hac in parte figuram gessit Salvatoris nostri, siquidem Patriarcharum & Prophetarum in Ver. Testam. non tantum lingua, sed etiam vita fuit Prophetica, ut loquitur August. lib. 22. contra Faustum cap. 24. Christus est, de quo meritò possumus dicere: Ecce plus quam Jacobus hoc loco, Matth. 12. vers. 41. Jacobus eâ ratione benedixit nepotibus, ut manum suam dextram poneret super caput Ephraim natu minoris, sinistram verò super caput Manasse, qui major natu erat, ut sic crucem manibus suis formaret, unde notanter de ipso dicitur in textu Hebræo, fecit intelligere manus suas, hoc est, sciens ac prudens datâ operâ manus suas ita direxit. Quid verò per hanc crucis formationem decussatis manibus factam aliud denotatur, quam quod Jacobus benedictionem nepotibus precetur ab eo, qui in cruce aliquando manus suas erat extensurus, per quem utpote Mediatorem omnis benedictio ad nos descendit, qui per Jacobi Patriarchæ manus ac vocem Ephraimo ac Manasse benedixit? Tertullian. lib. de Bapt. cap. 8. p. 222. Jacob manibus transversim in se obliquatis benedixit, ut Christum deformantes jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Id ipsum adhuc clarius patet ex eo, quod Deo, à quo benedictionem precatur, conjungit Angelum, ubi non intelligitur Angelus aliquis creatus, sed increatus Angelus, videlicet ipse Dei Filius, quia præfiguratur illius nomini Haediah, ut non vulgaris aliquis Angelus, sed toto genere reliquis sublimior intelligatur, tribuit illi honorem invocationis, ac eadem beneficia ab eo petit, quæ à Deo, eundemque in opere benedictionis individuo nexu & æquali gradu cum Jehovah conjungit. Tertullian. vel potius Novatianus lib. de Trinit. cap. 20. pag. 632. Manu ponit figuram & formam futuram passionis ostendens. Nemo igitur Christum sicut Angelum non dubitat dicere, Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

ita etiam Deum hæsitet pronunciare, cum hunc eundem & puerorum horum benedictionem per Sacramentum passionis digestum in figura manuum & Deum & Angelum intelligat invocatum fuisse. cap. 27. pagin. 645. Usque ad eundem Angelum ponit, quem Deum dixerat, ut singulariter in exitu sermonis sui posuerit personam, de qua loquebatur dicendo, benedicat pueros hos. Si enim alterum Angelum voluisset intelligi, plurali numero duas personas complexus fuisset, nunc unius persona singularem numerum in benedictione deposuit, ex quo eundem Deum atque Angelum intelligi voluit. Sed enim Deus Pater accipi non potest, Deus autem & Angelus Christus accipi potest, quem, ut hujus benedictionis autorem & transversas super pueros manus Jacob ponendo significavit, quasi Pater illorum esset Christus. Confer omnino Athanas. orat. 4. Contra Arian. p. 260. ubi multis argumentis confirmat, per hunc Angelum intelligendum esse Christum. Quemadmodum ergo Jacobus à Christo benedictionem nepotibus suis precatus est, imò Filius Dei utpote æternus Mediator, per quem & propter quem omnia beneficia à Patre cœlesti nobis obtingunt, mediante Jacobi voce & manibus, pueris his benedixit: sic idem hoc loco in assumpta carne pro dilectis suis discipulis orat, iisque benedicit. 2. Ratione ipsius actus sive rei. De Jacobo dicitur, quod benedixit suis nepotibus, non vulgari scilicet sed solenni & Patriarchali modo. Hæc solennis benedictio nihil aliud fuit quam efficax precatio, per quam omnis generis bona ipsis à Deo impetravit. Christus hoc loco orat pro discipulis, sed hæc oratio nihil aliud est quam efficax benedictio, in cuius rei signum Christus in cœlos jamjam ascensurus elevatis manibus Apostolis benedixit, orationis hujus fructum ipsi applicans, Luc. 24. vers. 50. 3. Ratione objecti. Jacobus benedixit nepotibus suis Josephi filiis, unde notanter de ipso dicitur, quod Josepho filio suo, hoc est, filiis suis ex Josepho natis benedixerit. Christus pro discipulis suis orat, quos paulò antè filios suos vocaverat, Johann. 13. vers. 33. quibus promiserat, se non relinquitur ipsos orphanos, cap. 14. v. 18. Per illos, quibus Jacobus benedixit, propaganda erat tota Ver. Testam. Ecclesia, unde Jacobus in hac Testamentaria sua dispositione mandat, ut vocetur super ipsos nomen suum, id est, ut censeantur inter duodecim Patriarchas, ac filii ipsius dicantur, ac si ex ipso essent geniti. Per hos, pro quibus Christus hoc loco orat, propaganda erat tota N. T. Ecclesia, non quidem carnali generatione, sed Evangelii spiritualis illius seminis prædicatione, unde tota triumphans beatorum Ecclesia præfiguratur in 24. Senioribus, Ap. 4. c. 5. 8. nimirum quia à duodecim

decim Patriarchis in Vet. & per duodecim Apostolos in Nov. Test. fuit propagata. 4. *Ratione materie sive illius, quod petitur.* Jacobus precatur nepotibus suis, ut vocentur super eos nomina *Abrahami, Isaac & Jacobi, & crescant in multitudinem super terram*, id est, ut nominentur Patriarchæ, à quibus ampla posteritas, imò tota Vet. Test. Ecclesia descendat. Christus orat pro Apostolis, ut Pater eos *servet in nomine suo, ac sanctificet in veritate*, id est, ut conservet eos in agnita Evangelii veritate, & faciat idoneos ministros N. Test. ut sic ipsorum ministerio tota N. T. Ecclesia colligatur, ac spirituales filii longè plurimi generentur. 5. *Ratione formæ.* Jacobus in sua benedictione grato pectore celebrat beneficia à Deo sibi præstita, quod *paverit se ab adolescentia sua in presentem usque diem, & de cunctis malis eruerit.* Christus in sua oratione itidem celebrat Patris sui cœlestis beneficia, quod dederit sibi potestatem omnis carnis, quod dederit sibi certos de mundo homines, quos in schola sua informaret futuros Evangelii in toto orbe præcones &c. 6. *Ratione adjuncti temporis.* Jacobus jam moriturus benedicit Josephi filiis: Christus jam morti vicinus orat pro dilectis suis Apostolis. De hac ardentissima Christi pro Apostolis oratione agitur in hac secunda pericope, cujus partes sunt duæ. Prior exponit *petitionis rationes*, propter quas Christus tam sollicitè pro Apostolis orat. Posterior *ipsam petitionem*, quidnam Apostolis suis à Patre cœlesti morti jam vicinus precetur.

Rationes, propter quas pro Apostolis Christus orat, distribui possunt in tres classes. Quædam enim desumptæ sunt à persona Patris cœlestis, quædam à statu & conditione Apostolorum, quædam à persona ipsius Christi. Ut enim in prima pericope sive primo petitionis hujus membro Christus tria produxit argumenta, quibus glorificationem sui à Patre petit, quorum primum petitum fuit à gloria Patris cœlestis, ac proinde à persona Patris cœlestis, alterum à salute hominum, tertium à fideli administratione officii à Christo in terris peracti, ac proinde à persona ipsius Christi, ita quoque in hac secunda pericope sive secundo mirabilis hujus petitionis membro Christus eodem ordine progreditur, ac rationes suæ pro Apostolis orationis ita disponit, ut primò à persona Patris, mox à statu & conditione Apostolorum, ac tandem à sui ipsius persona argumenta formet. Prima classis rationum desumitur ab eo, qui oratur; secunda ab illis, pro quibus oratur; tertia ab eo, qui orat. Rationes à persona Patris cœlestis petite sunt duæ. Prior à nominis paterni manifestatione. Posterior à propria Patris cœlestis possessione.

Prior ratio continetur in his verbis: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Janfenius, Maldonatus, Salmeron, Aretius & alii statuunt, hunc versiculum sextum, ut & duos sequentes ad primam orationis partem adhuc pertinere, ac secundam illius partem demum in v. 9. incipere, tibi Christus dicit: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Argumento movetur eo, quòd Christus in his tribus versiculis exponat v. 4. præcedentem, quæ scilicet ratione Patrem super terram hætenus glorificaverit, videlicet manifestando nomen Patris hominibus sibi à Patre datis. Sed hæc ratio nondum permovere nos debet, ut ad primam partem nominatos tres versiculos referamus, verum potior est aliorum tum veterum tum recentiorum Interpretum senten-

tia, quod hi versiculi ad partem secundam, videlicet ad orationem pro Apostolis, sint referendi. Christus enim in illis non solum recenset, quæ fidelitate docendi munere à Patre sibi commissio in terris fuerit functus, sed etiam exponit, quo fructu & successu eodem functus fuerit, ac commendat Apostolos eo nomine, quòd doctrinam Evangelii fide amplexi fuerint, ac cognoverint, ipsum esse à Deo missum, & doctrinam, quam prædicat, esse divinam. At quo fine Christus discipulorum fidem & obedientiam commendat? certè eo, ut beneficia, quæ petit, à Patre cœlesti ipsis impetret, utique ergo ad secundam potius quam primam petitionis partem hæc Apostolorum commendatio est referenda. Si Christus propositum fuisset, tantum exegisset versiculi 4. tradere, quæ scilicet ratione Patrem super terram glorificaverit, de administratione tantum muneris à Patre sibi demandati egisset, non autem de ejus eventu & successu, quia fidelitas doctoris non est æstimanda ab eventu & successu, cum quis possit fidelissimè docendi officio fungi, & tamen apud obstinatos auditores parum proficere. Quia ergo de felicissimo muneris sui successu agit, ideo eo ipso Apostolos, apud quos prædicatio Evangelii uberrimum fructum protulit, Patri suo cœlesti commendat, atque eo quidem fine commendat, ut beneficia, quæ petit, ipsis impetret. Prior ergo petitionis ratio à persona Patris cœlestis petita, proponitur in his verbis: *manifestavi nomen tuum hominibus &c.* Per homines in specie hic intelliguntur Apostoli, ut apparet tum ex descriptione, tum ex distinctione. Describuntur enim hoc modo, quod Pater cœlestis ipso peculiariter Christo dederit, videlicet in schola sua informandos, ut esse aliquando possent totius orbis doctores, quod sermonem Christi servaverint, quòd cognoverint, Christi doctrinam & miracula esse divinam doctrinam & divina miracula, quòd Christus in eis fuerit glorificatus, quòd Christus cum eis familiariter fuerit conversatus, ipsosque in Patris nomine servaverit, quod nemo ex illis perierit nisi filius perditionis, quòd ipsis præsentibus & audientibus Christus hæc preces recitaverit, quòd mundos eos propter doctrinam Christi fide receptam odio habuerit, quòd ad prædicandum Evangelium à Christo missi fuerint. Hæc descriptionis membra simul sumta nullis aliis nisi Christi Apostolis conveniunt, ut ex sequentibus manifestum patebit, ac distinguuntur ab illis, pro quibus Christus hoc loco specialiter orat, non solum homines mundani & impii, sed etiam reliqui credentes, pro quibus demum in tertia hujus orationis parte Christus precatur. Inde etiam Christus non simpliciter dicit: *ἐφανερώσατέ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις*; sed addit articulum, *τοῖς ἀποστόλοις*, qui hoc loco est quasi *ἑστῆς*, manifestavi nomen tuum certis hominibus, illis scilicet qui jam præsentibus sunt, qui hæc preces meas audiunt, pro quibus jam orare cupio, hoc est, Apostolis mihi peculiariter dilectis. Illis manifestavi nomen tuum per Evangelium ex sinu tuo prolatum, Johan. i. v. 18. Non quidem negamus, quæ de Apostolis hoc loco dicuntur, certâ ratione ad alios credentes, cum primis ad Ecclesiæ ministros Apostolorum in munere docendi successores applicari posse, ac proinde pro illis consequenter hoc loco Christum orare, imò quædam eorum ita comparata sunt, ut pluribus omnino quam Apostolis conveniant. Sic Chri-

Christus nomen Patris per prædicationem Evangelii non tantum Apostolis, sed etiam aliis auditoribus manifestaverat, nec soli Apostoli, sed etiam alii ex Judæis, Samaritanis & gentibus doctrinam Evangelii fide receperant, interim prædicata omnia complexè ac simul sumta nullis aliis quam Apostolis conveniunt, pro quibus præcipuè ac peculiariter hic Christus orat. Albertus emphasin quaerit in voce hominum. *Manifestavi nomen tuum hominibus ratione utentibus, qui se homines ad imaginem tuam creatos exhibebant, alii enim se canes exhibebant latrantes contra me, alii porcos luxuriae deditos, illis secreta notitiae tuae & sancta non commisi*, Matth. 7. v. 6. Sed cum demonstratum sit, nomine hominum peculiariter hic intelligi illos homines, in quorum præsentia & pro quibus Christus in his verbis orabat, ideo rectius dicitur, appellatione hominum Apostolos admoneri de magnitudine beneficii à Christo sibi præstiti, quod cum ipsi quoque fuerint ex vulgari hominum sorte, fragiles, miseri & corrupti, singulari tamen Dei benignitate in Apostolos, id est, familiares Christi discipulos & totius orbis doctores electi fuerint. Præteritum ἐφανερώσα Aug. tract. 106. in Joh. putat more Hebræo positum pro futuro φανερώσω. *Si de his (inquit) tantum dicit discipulis, cum quibus cœnavit, & ad quos, antequam inciperet orare, tam multa locutus est, non pertinet hoc ad illam glorificationem, quâ Filius Patrem glorificat. Quanta est enim vel qualis gloria duodecim vel undecim potius innotuisse mortalibus? Si autem omnes hic intelligi voluit, etiam qui in eum fuerant credituri, ad eum magnam, que futura erat ex omnibus gentibus, Ecclesiam pertinentibus Sc. est planè ista glorificatio quâ Filius glorificat Patrem, cum ejus nomen notum facit omnibus gentibus, & tam multis generationibus hominum. Et postea. Tale est hoc, quod ait, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, quale illud, quod ante dixerat: Ego te clarificavi super terram, pro tempore futuro & illic & hic ponens præteritum. Similia occurrunt apud Chryso- stomum, Bedam, Theophylactum & Euthymium. in h. l. Sed non est verisimile, Christum hic loqui de re futura, sed præterita. Nam 1. in his verbis respicit ad id, quod dixerat v. 4. *Ego te glorificavi super terram*. Jam verò ibi non agitur de re futura, sed de re præterita, ut superius ostendimus. 2. Rationes, propter quas pro Apostolis se orare dicit, à præsentate eorum statu desumit, ut omnia, quæ ad Apostolorum commendationem dicuntur, manifestum faciunt. 3. Christus manifestationem per Apostolorum prædicationem adhuc futuram distinguit à manifestatione jam facta, quando in vers. 20. demum subjungit, *se orare pro credituris per sermonem ipsorum*, unde August. d. l. ipsemet addit: *Sed de illis, qui jam erant discipuli ejus non de omnibus qui in illum fuerant credituri, cum dixisse, quod dixit, manifestavi nomen tuum hominibus, ea que sequuntur, credibilis demonstrant.* 4. In vers. ultimo hujus capituli manifestatio jam facta & manifestatio adhuc futura conjunguntur. *Et notum feci eis nomen tuum & notum faciam.* Ergo cum Christus hic loquatur de manifestatione nominis paterni jam facta, non potest nec debet illud accipi de manifestatione adhuc futura. 5. Christus duplici modo nomen Patris manifestavit hominibus, primo quidem immediatè, quando in propria persona in Judæa prædicavit, & Apostolis ac aliis nomen Patris*

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

sui notum fecit, secundo mediatè, quando per Apostolos toti orbi illud nomen manifestavit. De posteriore manifestatione hoc loco Christus nondum loquitur, sed de priore, quia non loquitur de manifestatione facta per Apostolos, sed ipsis Apostolis. Nec potest contrarium ex eo colligi, quod non videatur magna gloria duodecim vel undecim potius innotuisse mortalibus, ac (quod secundo loco Augustinus urget) quod Christus paulò ante dixerat: *Hac per proverbialiter locutus sum vobis, venit tempus, cum palam annuntiabo de Patre meo.* Quod enim prius attinet, notandum, Apostolos fuisse individuos Christi comites, qui familiariter cum ipso fuere conversati, quos Christus eà ratione instituit, & nomen Patris sui ipsis manifestavit, ut aliquando essent totius orbis doctores, quo modo nomen Patris aliquibus manifestari certè magna est gloria. In persona Apostolorum Christus nomen Patris sui manifestavit toti mundo, quia Apostoli in schola Christi instituti aliquando toti mundo illud manifestare debebant. Quod posterius attinet, illud quo sensu accipiendum sit, suo loco fuit expositum. Idem Chryso- stomus & eum secuti Theophylactus ac Euthymius, afferunt aliam expositionem, quod Christus loquatur de Judæis, apud quos Evangelium in diebus carnis suæ prædicaverat, utpote *minister circumcisionis*, Rom. 15. v. 8. *missus ad perditas oves domus Israel*, Matth. 15. v. 24. Et sane non negamus, Christum non solum Apostolis, sed etiam aliis ex Judæis & gentibus nomen Patris manifestasse, sed de hac manifestatione (ut sic loquar) generaliter propriè & principaliter hic non loquitur, sed de speciali illa manifestatione, quâ peculiariter Apostolis in schola sua institutis nomen Patris manifestavit, ut constat ex reliquis prædicati membris superius enumeratis. Nec potest contrarium colligi ex v. 20. ubi Christus dicit, se non tantum pro Apostolis sed etiam *pro credituris per verbum ipsorum orare*, nec ex eo, quod Christus in hoc ipso v. 6. dicit, *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, ubi per datos sibi de mundo intelligere videtur omnes prædestinatos, qui omnibus Ecclesiæ temporibus in mundo vixerunt, & adhuc victuri sunt, vel certè omnes prædestinatos in cœtu eorum, quibus Christus in propria persona Evangelium prædicavit. Quod enim prius argumentum attinet, illud optimè ratione inverti potest. Christus in vers. 20. demum pro credituris per sermonem Apostolorum orat. Ergo in hac secunda parte, quæ ante v. 20. terminatur, nondum orat pro omnibus credentibus, sed pro Apostolis. Quod posterius attinet, paulò post expositum dabitur, quinam per datos Christo de mundo propriè h. l. intelligantur. Certum igitur esto, per homines hic propriè & peculiariter intelligi Apostolos, quibus nomen Patris sui se manifestasse Christus asserit. August. d. l. emphasin statuit in voce Patris. *Non illud nomen tuum (inquit) manifestavi eis, quo vocaris Deus, sed quo vocaris Pater meus, quod nomen manifestari sine ipsius Filii manifestatione non posset.* Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 18. nomen pro gloria positum esse statuit, quam significationem probat ex Prov. 22. v. 1. *Es* 56. v. 5. *Quidam per nomen Dei intelligunt ipsum Filium Dei, Verbum hypostaticum perfectè definiens Patrem.* Simon de Cass. lib. 12. c. 16. intelligit de virtute paterna, in qua Christus se omnia dicere & facere

Zzzzzz 3

facere asserbat. Quidam Deum ipsum ratione iustitia & misericordiae humano generi praestita per nomen Dei significari putant, cum apud Hebraeos nomen rei sit res ipsa & vocari sit eis esse. Simplissima expositio petitur ex phrasi Scripturae, quae nomen Dei dicitur, quicquid de Dei essentia & voluntate in verbo hominibus revelatum scitu ac creditu ad salutem est necessarium, Pf. 22, 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (ad quem locum proprie Christus hic respicit, quia loquitur de manifestatione divini nominis Apostolis facta, quos vocat suos fratres, Johan. 20, 17.) Mich. 4, 5. *ambulabimus in nomine Domini Dei nostri*, id est, agnoscemus verum Deum, florebit vera de Deo doctrina ac vera religio. Sic quando in oratione Dominica petimus, *ut sanctificetur nomen Dei*, petimus, ut verus Deus ab hominibus recte agnoscat, invocetur, colatur ac celebretur. Ad hanc significationem facile reduci potest ea, qua nomen Dei dicitur ipse Deus, ut quando dicitur *nomen Dei nos protegere*, quando dicimur *nomini Domini confiteri, benedicere, psallere &c.* Item qua nomen Dei sumitur *pro attributis Dei*, quoniam & ipsius Cyrilli expositio, qua nomen Dei pro gloria divini nominis usurpatur. Quando ergo Christus dicit, *manifestavi nomen tuum hominibus*, significat 1. quod doctrinam de Dei essentia & voluntate Apostolis fideliter exposuerit, docens eos, quod in una Deitatis essentia sint tres distinctae personae, Pater, Filius & Spiritus sanctus, quod Pater ab aeterno genuerit Filium imaginem suam substantialem, eundemque in tempore miserit, ut veram humanam naturam assumeret, inquit, ea opus redemptionis perageret; quod Filius sit constitutus Mediator inter Deum & homines, per quem solum pateat hominibus aditus ad Dei gratiam & vitam aeternam &c. 2. Quod Patris misericordiam, sapientiam, iustitiam, veritatem &c. in missione Filii ad opus redemptionis declarata hominibus manifestaverit, atque hac ratione Patrem glorificaverit, gloria enim Dei haec est, ut talis agnoscat, qualis est in seipso & qualem se in verbo manifestaverit. 3. Quod doctrinam Evangelii ex sinu aeterni Patris prolatam hominibus manifestaverit, per quam solam amica & paterna Dei facies in Christo Mediatore ostenditur. 4. Quod omnia ad Patris sui gloriam referret, eumque docendo, miracula operando, sancte vivendo &c. ut summo gradu glorificaverit. 5. Quod Patris gloriam per corruptelas doctrinae in populo Judaico & per multiplicem gentiliam idololatriam multis modis obscuratam in lucem iterum produxerit & a tenebris Judaicis atque Ethnicis ad salutem veram *θεωγνωσίας* lucem ipsos perduxerit. Ex quo etiam apparet, quam necessarium fuerit nomen Dei a Christo hominibus manifestari. Nam 1. *Dei nomen*, hoc est, salutaris doctrina de essentia & voluntate Dei, non est per naturam hominibus nota, sed requiritur divina manifestatio. 2. Divina potentia, bonitas, sapientia &c. in creaturis quodammodo relucet, Rom. 1, 20. sed quia per lapsum protoplastorum lux divinae imaginis in mentibus hominum fuit extincta, & in ejus locum horribiles tenebrae successerunt, ideo ex sola creaturarum inspectione nemo potest ad salvificam Dei cognitionem pervenire. 3. Deus salutarem sui cognitionem populo Israelitico dederat, sicut dicitur, Psal. 76, 2. *notus in Judea Deus, in Israel magnum nomen ejus*, Pf. 147, 19, *annunciavit verbum suum Jacob &c.* sed ante

Christi adventum multiplices doctrinae caelestis corruptelae invaluerant, doctrina de lege & de Messia erat horribiliter depravata. 4. Apud reliquas gentes immanis idololatria, furores superstitionum & supina veri Dei ignorantia dominabatur, ut merito dicerentur *populus ambulans in tenebris, & sedens in regione umbrae mortis*, Es. 9, 1. Matt. 4, 16. Quod si ergo Judaei & gentes ad veram divinae essentiae & voluntatis cognitionem per Apostolos perducere deberent, necessarium erat, ut Christus prius Apostolis nomen Dei manifestaret. Gentiles saniores habebant aliquam Dei cognitionem, quod scilicet sit, quod unus sit, quod sit bonus, iustus, sapiens, omnipotens &c. sed mysterium Trinitatis, & doctrinam Evangelii de Messia penitus ignorabant. Judaeis in revelato verbo per Patriarchas & Prophetas tradita erat doctrina de Trinitate, data erat ipsis promissio de Messia, Deus huic populo illustribus testimonio sese manifestaverat ac maximis beneficiis eum affecerat, sed lux illa doctrinae per Pharaicas tenebras fuerat obscurata ac penitus fere extincta. Filius Dei igitur in mundum venit, non solum ut opus redemptionis a Patre in salutem generis humani sibi demandatum perageret, sed etiam ut nomen Patris sui hominibus manifestaret ac veram salutaris *θεωγνωσίας* lucem in terris iterum accenderet. Haec omnia Christum miranda brevitate complectitur, quando in principio suae pro Apostolis orationis dicit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, in quibus verbis primum intercessionis suae argumentum exponit. At, inquis, quomodo possunt haec verba accommodari ad rationes a persona Patris caelestis petitas, propter quas Christus pro Apostolis intercedat, cum potius ad argumenta a persona Apostolorum vel ipsius Christi petita referenda videantur. Resp. certum est, Christum hic declarare voluisse, quod dixerat versu 4. *Ego te glorificavi super terram*. Coniungenda igitur haec verba cum illis precedentibus, h. e. glossa cum textu, unde nascitur tale argumentum: Apud quos manifestatio nominis sui Pater a Filio est glorificatus, pro illis merito Filius orat, & illorum curam merito Pater suscipit. Jam vero apud Apostolos manifestatione nominis sui Pater a Filio est glorificatus. Ergo Filius merito pro Apostolis orat & Pater merito Apostolorum curam suscipit. Majoris connexio pendet ex manifestationis fide, ideo enim Filius glorificavit Patrem apud Apostolos nominis sui manifestatione, ut per Apostolos gloria nominis paterni postmodum toti mundo manifestetur, ex quo apparet, primum hoc intercessionis argumentum ex eodem fonte petitum esse, ex quo primum orationis pro sui glorificatione argumentum Christus desumeret, videlicet a gloria sive glorificatione Patris, qui fuit summus & principalis scopus Christo in omnibus propositus. Principium & primus quasi gradus paternae glorificationis erat informatio eorum, per quos Pater debebat in toto mundo glorificari & nomen ejus toti orbi innotescere, qui propterea dicti sunt lux mundi, Matth. 5, 14. quod luce Evangelicae praedicationis mundi tenebras dispellere debebant. Merito igitur Christus primum petitionis pro Apostolis argumentum a manifestatione divini nominis Apostolis facta, id est, a glorificatione Patris apud Apostolos, per quos postea in toto orbe glorificari debuit, desumere voluit. Atque hic praecipuus scopus est, propter quem Christus nomen

nomen

nomen Patris sui cœlestis Apostolis se manifestasse asserit, videlicet ut probet se meritò pro Apostolis orare ac Patrem cœlestem meritò eorum curam suscipere. Secundario in his verbis 1. Christus explicat priorem operis à Patre sibi commissi partem videlicet suum in docendo ministerium sive Evangelicam prædicationem, quod Apostolis & (aliis) tradiderit doctrinam Evangelii ac instituerit ministerium, per quod Ecclesia in terris colligatur, à qua Pater in hac & futura vita celebretur. Sic ergo explicat verbum *glorificandi* in v. 4. usurpatum. 2. Quia tempore ministerii Christi multi in terris erant, qui nomen Patris per doctrinam & miracula Christi ipsi manifestatum agnoscere noluerunt, Matth. 23, 36. Act. 10, 37. ideo quod generaliter prius dixerat, *se glorificasse Patrem super terram*, illud sic explicat, quod *manifestaverit nomen Patris hominibus sibi à Patre datis*. Sic ergo exponit *περὸς διδοισμὸν super terram* in eodem v. 4. 3. Ostendit, pro quibus peculiariter hic orare velit, videlicet pro Apostolis quibus in scholam suam receptis ac in familiare confortium ascitis nomen Patris manifestaverit, perinde ut etiam in principio tertiæ partis ostendit se rogare pro credituris per Verbum Apostolorum. 4. Repetit, quod de officio suo fideliter administrato dixerat rogaturus Patrem ut cœptum opus feliciter consummare velit. 5. Postquam exposuerat duos modos, quibus Patrem glorificare velit, videlicet vitam æternam electis dando & opus redemptionis consummando, jam tertium addit modum, quod Patrem glorificaverit nomen ejus hominibus manifestando. Colligitur autem ex his verbis. 1. Omnes homines per naturam ignorantiam nominis divini laborare, id est, destitui salutari & salvificâ Dei cognitione, Eph. 4, 18. unde vocantur *tenebræ* c. 5, 8. Quod si enim per lumen naturæ ad salvificam Dei cognitionem aspirare possent, quorsum opus fuisset Filium Dei ad manifestandum nomen Patris de cœlo descendere? 2. Per Christum nomen Dei fuit hominibus manifestatum, id est, salutari doctrina de Dei essentia & voluntate ex sinu Patris cœlestis prolata, Joh. 1, 18. Filius Dei fuit quidem ab initio divinæ voluntatis interpretis, persona illa, per quam Deus cum Patribus *πλοῦμεναι* ac *παλιτρούμεναι* locutus est, quando homo factus docendi munere in terris fungi voluit. Heb. 1, 1. 3. Arguit hoc eximiam ipsi *Φιλανθρωπίαν* salutis humanæ cupidissimam & ardentissimum amorem, quo Filius Dei flagrat non solum erga Patrem cœlestem, cujus gloriam hac manifestatione promovet, sed etiam erga genus humanum, cujus salutem eadem manifestatione procurat, Prov. 8, 31. 4. Agnoscamus ergo grato animo maximum illud beneficium, quod Deus pro Filium suum, qui exactissimè novit mentem Patris, Matth. 11, 26. & in LXX. Interpretum versione vocatur *Angelus magni consilii*, Es. 9, v. 6. ad nos loqui voluerit. Magnum est, quod per Patriarchas & Prophetas in V. per Johannem Baptistam & Apostolos in N. T. hominibus fuerit locutus, majus est, quod per Angelos quandoque voluntatem suam aliquibus denunciari curaverit; maximum est, quod per unigenitum & consubstantialem suum Filium in carne manifestatum nobis loqui & omne consilium suum de salute nostra nobis patefacere voluerit. 5. Quamvis verò Christus immediate in propria persona nobis non sit locutus, tamen quia sermonem, quem locutus est, per Evangelistas in sacras li-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

teras redigi voluit, ideo qui sermonem illum legit vel audit, is Christum ipsum loquentem audit. Debitas igitur pro hoc summo beneficio agamus gratias, quod sumus in cœtu Ecclesiæ, in quo vox Christi publicè sonat & nomen Dei manifestatur. 6. Extra Ecclesiam salutari & salvificâ divini nominis manifestatio nec quæri debet nec inveniri potest. Judæi, Turcæ, gentiles gloriantur, se novisse Dei nomen, sed non noverunt verum Dei nomen, quo vult agnosci, appellari & invocari, videlicet quod sit Pater Domini nostri Jesu Christi, quodque paterno favore credentes in Christi dilecti sui Filii nomen complecti velit. 7. Est aliquod nomen Dei *occultum & absconditum*, quod non licet scrutari, Jud. 13, 18. est etiam nomen Dei à Christo in verbo Evangelii *manifestatum*, quod vult agnosci invocari ac celebrari. Exod. 6, v. 3. cap. 15, v. 3. Deut. 6, v. 4. Jer. 23, v. 6. cap. 33, v. 16. Lutherus in cap. 17. Genes. *Non in prædicamento substantiæ queramus Deum, ne à gloria & majestate opprimamur, sed in prædicamento revelationis, hoc est, agnoscamus eum ex verbo*. Idem in cap. 35. Genes. *Qui vult piè & feliciter de Deo speculari, non faciat id sine verbo*. 8. Sicut Christus manifestatione nominis Patrem cœlestem glorificavit, ita quoque à nobis glorificatur & glorificari etiam debet, cum nomen ejus nostro ministerio aliis hominibus manifestatur & in doctrina Evangelii illustratur. 9. Si Christus manifestatione nominis Patrem glorificavit, ergo injuriâ & ignominia Deum afficiunt, qui ipsi per Filium nomen suum manifestanti non credunt.

Posterior ratio desumpta est à propria Patris cœlestis possessione. Dixerat Christus se manifestasse nomen Patris hominibus sibi de mundo datis, per hunc *περὸς διδοισμὸν* parat sibi aditum ad posteriorem rationem à persona Patris cœlestis desumptam, quæ continetur in his verbis: *Tui erant & mihi eos dedisti*. Quod Apostolos Patris proprios fuisse asserit, non est eo sensu accipiendum, quasi desierint esse Patris proprii, quando eos Filio dedit, quia in v. 9. diserte additur: *Rogo pro iis, quos dedisti mihi quia tui sunt*. ac v. 10. dicit, *mea omnia tua sunt & tua mea sunt*. Ergo antequam Filio darentur, erant Patris, & postquam dati sunt Filio, non desierunt esse Patris proprii, inde jam exurgit ejusmodi argumentum: Qui Patris sunt proprii, pro illis Filius meritò intercedit & illorum curam Pater meritò suscipit. Sed Apostoli hi mei sunt tui, ô Pater, proprii. Ergo ego Filius meritò pro illis intercedo & tu Pater meritò illorum curam suscipis. Major est manifesta veritatis. Equum enim est, ut quilibet, quod suum est, custodiat ac tueatur. Ad Dominum pertinet bona sua tueri, ac Principis est subditos suos defendere. *Qui suorum curam non agit, infideli est decerior*, inquit Apostolus 1. Tim. 5, v. 8. absit igitur ut vel cogitare velimus, Patrem cœlestem non agere curam eorum, qui sunt sui. Minorem probat Christus ex eo, quod Pater cœlestis Apostolos sibi dedit. *Manifestavi*, inquit, *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*. *Tui erant & mihi eos dedisti*. Quod quis alteri donat, illud est ipsius proprium. Pater cœlestis Apostolos Christo dedit. Ergo Apostoli sunt Patris cœlestis proprii. Major suâ luce radiat, quia rē donare præsupponit rē habere, quod quis non habet, alteri donare non potest. Possit quidem ex hac minoris probatione no-

Zzzzzz 4 vum

vum adeoque tertium confici petitionis argumentum, hoc modo: Quos Pater cœlestis Filio dedit, pro illis Filius merito intercedit, & eos Pater in clientelam merito suscipit. Jam verò Apostolos Pater cœlestis Filio dedit. Ergo. Sed quia datio illa hoc loco non tam ratione Filii accipientis quàm ratione Patris dantis consideratur, ut patet ex vers. 9. ubi traditionem à Patre sibi factam Christus urget, ideo rectius ut probatio prioris argumenti, quod Apostoli sint Patris proprii, quàm ut novum argumentum hoc loco accipitur. Quà vero ratione Apostoli fuerint Patris proprii & à Patre Christo dati, illud variis modis ab Interpretibus exponitur. 1. Quidam sic progrediuntur: Tui erant, ô Pater, per creationem, quia in primis parentibus ad tuam imaginem ac proinde ad vitam æternam eos creasti: sed quia hac concreatâ felicitate in Adamo peccante exciderunt, ideo eos redimendos mea passione & sanguine mihi dedisti. Probari posset hæc interpretatio ex eo, quod Christus in v. 2. eodem sensu dixerat, *potestatem omnis carnis sibi esse datam*, id est, totum genus humanum in peccato & mortem prolapsum sibi ut Mediatori redimendum esse datum. Sic ergo Christus exemplo monstraret, quomodo Pater cœlestis sibi dederit potestatem omnis carnis, & quomodo det vitam æternam sibi à Patre datis. Præberet etiam hæc explicatio utilem doctrinam, quod grato corde summum hoc beneficium agnoscendum sit, quod, cum totum genus humanum peccato & morti factum esset obnoxium, Filius in æterno Trinitatis consilio Mediator constitutus fuerit, ac genus humanum redimendum ipsi à Patre datum. Sed cum hac expositione ægrè conciliari potest, quod Christus non simpliciter dicit, Apostolos sibi esse datos, sed *de mundo* datos. Sive enim mundi nomine intelligatur colluvies hominum mundanorum & impiorum, propter finalem incredulitatem propria culpa exitio devotorum (quo modo accipitur in v. 9. 14. & 16. quo etiam modo hunc locum accipit Augustin. tract. 3. in Johan. *Mundus sunt homines corde mundum inhabitantes ac ipsum plus quàm Deum amantes*) sive pro tota generis humani massa, pro tota hominum multitudine, pro omnibus mundi incolis, ut sic de mundo dicantur Apostoli dati, quia per hanc dationem à vitiis mundi fuerunt separati, (quo sensu nomen *mundi* accipitur v. 15. 18. 21. & 23. quo etiam modo Chrysost. homil. 81. hunc locum exponit, sic scribens: *Quod dicit, de mundo eos mihi dedisti, hoc de natura; quod autem postea dicit, de mundo non sunt, hoc de malis operibus accipiendum*) neutro modo commodè dici posset de Apostolis, quod de mundo Christo ad redimendum dati sint, cum redemptionis opus ad totum genus humanum pertineat, ut suo loco contra particularitatis patronos confirmatur. 2. Quidam hoc modo explicant: Tui erant per æternam ad salutem prædestinationem, & mihi eos dedisti in tempore vocandos, justificandos & glorificandos, dedisti mihi eos in tempore, quos possedisti, & ego tecum possedi in prædestinationis æternitate. Tui erant per electionem & adoptionem, ac dedisti mihi eos, ut per me tanquam Mediatorem vitam æternam consequerentur. Calviniani ex hac expositione probare conantur, electionem paucorum quorundam factam esse ex absoluto decreto, ac paucos illos absoluto Dei decreto electos

postea Filio datos esse, ut per illum in tempore redimerentur, vocarentur, justificarentur & glorificarentur. Item nullos in Christum credere in tempore, qui non fuerint absoluto decreto electi in æternitate, unde Beza in annotat. h. l. sic scribit: *Verba illa (tui erant, & mihi eos dedisti) nonnulli per parenthesin separant, ita ut, quod sequitur, & tuum sermonem servaverunt, cum eo cobareat, quod dixerat, quos dedisti mihi selectos ex hoc mundo. At ego nullam hic admitto parenthesin, imo verò in iis verbis totam salutis nostræ summam suis gradibus divinisimè descriptam considero. Nam cum ait, tui erant, æternam illam electionem declarat in ipso Dei beneplacito absconditam, quæ totius nostræ salutis basis est ac fundamentum. Deinde cum dicit, quos dedisti mihi, & quibus profeci nomen tuum, significat æterni, & absconditi illius propofiti declarationem in Christo factam, per quem demum fide apprehensum justificati sumus & sanctificati, ut electionis gloriam tandem consequamur. Quæ sit mens Beza, manifestius patet ex illis, quæ Calvinus in hunc locum commentatur: Christus, inquit, causam electioni tribuit, cur quibusdam tantum nomen Dei manifestaverit aliis præteritis, fides ergo manet ex Dei electione. Qui in hominibus statuunt electionis causam, à fide incipiunt oportet. Discretè autem pronunciat Christus Patris fuisse, qui sibi datur. Certum autem est, ideo dari, ut credant, & fidem ex hac donatione fluere. Si fidei origo est donatio ista, & eam ordine ac tempore præcedit electio, quid aliud restat, nisi ut fateamur gratis eligi, quos Deus è mundo vult servatos? Sed si vel maximè hanc expositionem amplectamur, tui erant per prædestinationem & dedisti mihi eos salvandos, nondum tamen cogere Calvinianam ejusdem depravationem amplecti. Quæ enim hæc consequentia: Illi, qui in tempore beneficio Christi Mediatoris vocantur, credunt, justificantur & glorificantur, sunt ab æterno electi. Ergo absoluto decreto sunt electi? quin potius Apostolus, Ephes. 1. versic. 3. & seqq. contrario modo procedit: In Christo benedictionem omni benedictione spirituali, habemus remissionem peccatorum, donamur Spiritu sancto, & cœlestis hereditatis participes reddimur. Ergo etiam in Christo ante mundi constitutionem electi, & in hoc dilecto sumus dilecti. Quæ vero & hæc consequentia: Qui Patris sunt per æternam prædestinationem & Christo à Patre dati, illi in eum credunt, justificantur & glorificantur. Ergo nulli nisi absoluto decreto electi in Christum credunt? quilibet videt, hic plus esse in consequente quàm antecedens permittit. Paris, hoc est, nullius roboris est & hæc consequentia: Electio est gratuita. Ergo non est facta in Christo & in fide. Nam de justificatione eodem modo concludi posset. Remoto igitur Calviniano assumpto exploitio illa probari posset, tum ex versic. 2. ubi Christus dicit, *dare se vitam æternam omnibus à Patre sibi datis*, id est, prædestinatis à Patre ad salutem, tum ex hoc ipso versiculo ubi Christus dicit, *Apostolos sibi datos de mundo*, id est, ex perdita humani generis massa ex gratia ad salutem electos, tum ex versic. 24. ubi Christus dicit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi ego sum, & illi sint mecum, & videant claritatem meam, quam dedisti mihi*: tum ex toto contextu, innuit enim, se nomen Patris per externam Evangelii prædicationem omnibus in Judæa manifestasse, non tamen omnes, quibus*

quibus illud manifestavit , credidisse , sed eos solum , qui à Patre sibi erant datitum ex collatione aliorum Scripturæ locorum, Act. 13, 48. Rom. 8, 29. & 30. Eph. 1, 3. & 4. Col. 1, 13. & 14. 2. Theff. 2, 13. & 14. &c. Præberet etiam hæc expositio utiles doctrinas, utpote primò quod nomen Dei non manifestetur nisi in credentibus, hoc est, in illis, qui per operationem Spiritus sancti Deum verè agnoscunt, bonitatem ejus gustant, Christum verà fide amplectuntur, & ex fide Deum diligunt, summi enim boni hæc est natura, quod verè agnitum sui amorem excitat, ex quo amore obedientia erga mandata divinita exurgit. Qui ita sunt affecti, illi de mundo Christo sunt dati, non reguntur spiritu mundi, sed Dei, non amplius adhærent illis, quæ sunt in mundo, 1. Joh. 2, 15. Qui vero adhuc de mundo sunt, & mundum diligunt, in illis non est caritas Patris, inquit Apostolus, illi non pertinent ad cœtum eorum, de quibus dicitur 2. Tim. 2, 19. *novit Dominus, qui sunt sui.* Secundò quod etsi maxima sit mundi perversitas, tamen Pater cœlestis subinde aliquos de mundo donet Filio suo, & per prædicationem Evangelii ac Spiritus sancti operationem in ipsum cordibus efficacem sit, ut in Christum credant, in vera fide conserventur, & æternæ salutis participes reddantur, quæ collectio Ecclesiæ ex damnato genere humano est summum Dei beneficium. Stapul. in. h. l. *De mundo erant, sed Pater eos traxit de mundo, & ita erant Patris trahentis, deinde eos dedit ei, ut audirent, crederent, & sequerentur eum.* Tertio quod nemo ad Christum veniat, nisi Pater ipsum trahat, Joh. 6, v. 44. quæ tamen tractio non fit per raptus violentos, nec per affatus Enthusiasticos, sed per Verbum & Spiritum sanctum, unde Christus ἐγγηγητικός statim subjungit: *omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Dionys. in h. l. *Omnis processio luminis à Patre luminum ad nos & in nos proveniens replet nos intus, & congregat omnia interiora nostrum ad luminis informationem, & sic trahit nos ad Filium, qui est splendor gloriæ Patris, & sic per Filium convertit nos, & unit in simplicitate Patris.* Quartò quod prædestinatio in se occulta in Christo manifestetur. Qui ab æterno electi sunt, illi in tempore vocantur, in Christum credunt, justificantur, in fide perseverant & glorificantur, ac vice versa: qui in tempore vocantur, in Christum credunt, justificantur, in fide perseverant & glorificantur, illi sunt ab æterno electi. Ergo non quæras te in prædestinatione Dei occulta, sed in Christo, in quo si te inveneris per fidem, scias, te esse in numero electorum. Quintò quod duæ sint propria illorum notæ, quibus nomen Dei interiore revelatione per fidem manifestatur ad salutem, videlicet quod sint Christo de mundo dati, ac proinde non amplius sint de mundo, quòdque sint Patris cœlestis proprii. Omnes quidem homines ratione creationis, sustentationis, gubernationis &c. sunt Dei, Act. 17, 28. interim tamen verè & perseveranter in Christum credentes peculiari ratione sunt ipsius, ratione prædestinationis, adoptionis ac donationis vitæ æternæ, quo sensu Apostolus 2. Timoth. 2, 19. dicit: *Novit Dominus, qui sunt sui, illi scilicet, quos prædestinavit, juxta beneplacitum voluntatis suæ, in adoptionem filiorum Dei per Christum, in laudem gloriæ suæ gratiæ,* Ephes. 1. v. 5. & 6. Sextò quod prædestinatio ad vitam æternam non sit ex nostro merito, sed ex gratia merè gratuita, quia de mundo, id est, è perdita & damnata ge-

neris humani massa sit electio. Cum quilibet electorum sit particula mundi, idèd reus est Deo, nec justificatur operibus legis, Rom. 3, 19. *justificatur verò, gratis Dei gratiâ per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* v. 24. Ut autem justificatio, ita quoque electio est gratuita. Septimò quod gratia Patris, remissio peccatorum, justitia & vita æterna nemini contingat extra Christum, sed unicè in Christo, quos enim Pater cœlestis elegit ad vitam, illos dat Filio suo, ut in ipso & per ipsum beneficiorum cœlestium & spiritualium participes reddantur. Simon de Cassia in h. l. *Dantur homines Christo à Patre ad doctrinam, ad fidem, & ad salutem, ut doceat vitam agendam, infundat fidem & largiatur in finem justis salutem.* Octavo quod credentes sint preciosissima ac Christo gratissima dona à Patre cœlesti ipsi data, quæ ut obtinere posset, Filius Dei è cœlo in mundum venit, carnem humanam assumpsit, & multo non dico sudore, sed sanguine ea sibi acquisivit. Nono quod sit voluntas Patris, ut in Christum credamus, & per fidem in ipsum salvemur, Joh. 6, 39. & 40. Qui enim Patris sunt proprii, illos Filio donat: ut in ipsum credant & salventur. Hanc doctrinam colligit ex his verbis Chrysostomus homil. 80. in Johannem: *Constat, inquit, Christum duo his verbis innuere, quod neq; contrarius sit Patri, & quod ejus voluntas sit, ut Filio credant.* Hanc ergo expositionem à Calviniano fermento repurgatam non repudiamus, interim tamen præcipue & principaliter de ea Christus hic non loquitur, ut apparebit ex sequentibus. 3. Quidam ejusmodi afferunt expositionem: Tui erant per creationem, gubernationem, sustentationem &c. & mihi eos dedisti, ut etiam secundum humanam naturam sine eorum Rex & Dominus. Hæc expositio probari posset ex v. 2. ubi Christus sibi secundum humanam naturam *omnis carnis potestatem*, id est, cœli terræque dominium datum, asserit. 4. Quidam sic progrediuntur: Tui erant per invocationem & cultum, te solum verum Deum agnoscebant & invocabant, sed mihi eos dedisti, ut me etiam suum Dominum, redemptorem ac liberatorem à peccato, morte ac tyrannide diaboli, suum glorificatorem & donatorem vitæ æternæ agnoscerent, me invocarent, & à me salutem sperarent. Neq; has expositiones simpliciter rejicimus, interim certum est, 5. Christum directè & propriè hic loqui de illa datione, quæ Pater cœlestis Apostolos Filio dedit in schola sua instruendos, ut ipsorum ministerio doctrina Evangelii in toto orbe prædicetur, & hac ratione gloria Patris illustretur, ut sit sensus: *Tui erant* (non solum per præscientiam, ut habet glossa interlinearis, sed etiam) *per electionem ad Apostolatam, & mihi eos dedisti de mundo electos ac separatos, ad docendum & informandum, ut idonei esse possent ad Evangelium in toto orbe prædicandum, ac gloriam nominis tui per illius prædicationem illustrandam.* Loquitur ergo Christus tanquam doctor & præceptor commendans Patri discipulos, quos informandos & instruendos ab ipso acceperat. Apostoli illi, pro quibus oro, ad sublime istud officium ab æterno à te, mi Pater cœlestis, sunt deputati ac segregati, ac dedisti mihi eos tanquam rudes ac teneros filios in diebus carnis meæ à me non tantum Mediatore & Redemptore, sed etiam Doctore divinitus constituto instruendos ac servandos, nunc ipsos fideliter institutos & servatos, ex hoc mundo, ratione visibilis præsentia, discedens, tibi restituo & commendo, adeo-

adeoque de manu quasi in manum iterum trado, tui sunt, tu mihi eos dedisti. Ergo quod tuum est, & abs te mihi datum, non poteris repudiare. *Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi*, Es. 8, 16. Hebr. 2. v. 13. dedisti mihi eos tanquam spirituale semen Ecclesie ex toto terrarum orbe colligenda, ex quo feges fidelium & gloriae tuae amplissima exurgat, commendasti mihi eos tanquam preciosum depositum, en bona fide eos tibi restituo, sed meliores quam accepi videlicet de essentia & voluntate tua fideliter instructos. Dedisti mihi eos non solum sanandos ut Medico, regendos ut Regi, pascendos ut pastori, sed etiam erudiendos ut praeceptorum. Hunc esse proprium & principalem horum verborum sensum, pater primò ex v. 12. *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, custodivi & nemo ex illis perivit, nisi filius ille perditus*. Hic satis perspicue Christus exponit, de qua datione hoc loco loquatur, videlicet de ea, quae Apostoli Christo dati erant à Patre, ut cum eis familiariter conversaretur, fideliter eos institueret, in nomine Patris eos servaret & custodiret. Et quia discretè testatur, ex numero datorum sibi à Patre unum periiisse, ac se quasi excusat, quod non suam vel negligentiam vel culpam perierit, inde manifestum est, de datione ad instruendum & custodiendum propriè & principaliter hic sermonem esse. Secundò ex scopo. Commendat Christus in precibus Apostolos suos Patri coelesti hoc argumento, quod non ipse eos rapuerit, nec ad se recipiendum eos violento modo coegerit, quodque Apostoli non humana quadam prudentia Christum sequi elegerint, sed quod Pater coelestis eos sibi dederit, ac Spiritu suo eos excitaverit & illuminaverit, ut in Christi scholam se conferrent, sicut Matth. 16. v. 17 Petro dicitur: *Caro & sanguis non revelavit tibi hoc, quod in me credis, & me confiteris Christum Dei viventis Filium, sed Pater meus qui est in caelo*. Tertio ex contextu. Praecedit enim, *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, sequitur verò, *& sermonem tuum servaverunt, nunc cognoverunt, quod omnia, quaecunque dedisti mihi, abs te sunt*. Sensus igitur est: Dedisti mihi Apostolos instruendos ac in nomine tuo servandos, ut essent aliquando publici doctrinae Evangelicae praedones in toto orbe, ac multos per praedicationem Evangelii ad salutarem tui agnitionem & vitam aeternam perducerent, ad quam praedicationem peculiariter eos elegisti. Hoc munere abs te mihi commisso non solum fideliter, sed etiam feliciter functus sum. Fideliter propterea, quia manifestavi ipsis nomen tuum, & verba, quae dedisti mihi, dedi eis; feliciter propterea, quia non caruit haec manifestatio felici successu, ipsi servaverunt tuum sermonem, cognoverunt, quod omnia quae dedisti mihi, abs te sunt &c. Quarto ex v. 8. *Verba, quae dedisti mihi, dedi eis*. Statuit Christus duo eorum genera, quae à Patre sibi sint data. Pater dedit ipsi personas instruendas, dedit etiam ipsi verba, quibus debeant instrui, i. e. doctrinam, quae debeant informari. In utroque Christus voluntatem Patris exactissime implevit, non alios ad Apostolatus officium vocavit, & in schola sua instituit, quam quos Pater coelestis ipsi dederat, nec aliam doctrinam ipsis proposuit, quam datam sibi à Patre & ex sinu aeterni Patris in terras secum allatam. Multa igitur Christus complectitur, quando dicit,

manifestavi nomen illis hominibus, quos de mundo mihi dedisti, tui erant, & mihi eos dedisti. Nam 1. significat, se voluntatem Patris implevisse, in eo quod nomen Patris manifestaverit illis, quibus Pater nomen suum velit manifestari. 2. Humanam suam voluntatem esse cum divina Patris voluntate exactissime conformem. 3. Discipulos non suo quodam privato arbitrio ad se venisse, sed à Patre electos & tractos. 4. Potestatem, quam in discipulos & alios homines ac creaturas habebat, sibi à Patre esse datam. 5. Se non alia de causa certos quosdam homines in familiarem societatem ascivisse & ad Apostolatum elegisse, quam quia Patri hoc placitum & gratum noverat, cum quo ut Deus ab aeterno de eligendis Apostolis decretum fecerat, quos ut homo in tempore ad se vocaverat. 6. Consoletur Apostolos, ne inter labores & pericula in officio suo sustinenda succumbant, sed scientes se ab aeterno ad vitam aeternam esse electos ac Patris proprios, divina virtute se in omnibus periculis & adversis sustentatos iri confidant. 7. Cum primis verò tanquam efficacissimum argumentum hoc urget, quo Patri coelesti Apostolos commendat, quod sint ipsius proprii ac sibi à Patre dati, quos proinde in clientelam ac tutelam à Patre recipi, sit longè aequissimum. Interim non abnuimus, quò minus secundario & consequenter datio illa de praedestinatione ad vitam aeternam accipiat, à qua tamen Judas perditionis filius excludendus, & quam cum omnibus finaliter credentibus Apostoli habent communem, nec repugnamus, quo minus ex interpretationibus superius enumeratis quaedam huc accommodentur, modo proprius & principalis sensus relinquatur, quem hactenus exposuimus & confirmavimus. Atque ex eo facile intelligi potest, an Christus sibi ut Deo an verò ut homini Apostolos à Patre datos esse asserat. Certè quando dicit, *tui erant*, non negat, Apostolos jam inde ab omni aeternitate sibi ut Deo, aequè ac Patri proprios fuisse, cum paulò post v. 10. addat, *mea omnia tua sunt, & tua omnia mea sunt*, relinquatur ergo, quod sibi ut homini eos à Patre datos esse dicat, quae de re sic differit Augustinus tract. 106. in Johannem: *Habuit aliquid aliquando Deus Filius, quod nondum habuit idem ipse homo filius, quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat universa cum Patre*. Quapropter quod dicit, *tui erant*, non inde se separavit Dei Filius, sine quo nihil unquam Pater habuit, sed solum ei tribuere omne quod potest, à quo est ipse, qui potest, à quo enim habet ut sit, ab illo habet ut possit, & simul utrumque semper habuit, quia nunquam fuit, & non potuit &c. Quod itaque ait, *& mihi eos dedisti, hominem se accepisse hanc potestatem, ut eos haberet, ostendit, quoniam qui semper omnipotens fuit, non semper homo fuit*. Ibid. *Qui hoc loco dicit, tui erant, & mihi eos dedisti, jam superius discipulis suis dixerat: Ego vos de mundo elegi, sicut Filius non inde separavit Patrem, quando dixit, ego de mundo vos elegi, quoniam simul eos elegit & Pater: sic non inde separavit se, quando dixit, tui erant, quia & ipsius Filii pariter erant*. Colligitur ergo ex his verbis 1. Patris & Filii quae essentia, essentiae & voluntatis inter Patrem & Filium unitas. Filius hoc loco de Apostolis ad Patrem dicit, *tui erant*, sed mox subjungit versic. 10. *omnia tua mea sunt*. 2. Doctrinae Apostolicae auctoritas. Apostoli ab aeterno fuere ad sublime illud officium electi, nec humano consilio vel arbitrio

bitrio, sed Spiritu Dei excitati in scholam Christi se contulerunt, nec humanam doctrinam sed divinam utpote à Patre cœlesti Christo datam perceperunt. Ergo ipsorum doctrina non est humanum somnium, sed divinum oraculum, in quo via salutis perspicue, sufficienter & infallibiliter nobis monstratur, inde Petrus de se & reliquis Apostolis dicit 2. Epist. 1. vers. 16. *non secuti doctas fabulas, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & adventum: sed speculatores facti illius magnificentie* &c. v. 18. *& hanc vocem nos audivimus de celo allatam*: ac Paulus Gal. 1. v. 15. de se testatur, quod *Deus ipsum segregaverit ex utero matris, & vocaverit per gratiam suam*. v. 16. *ut revelaret Filium suum in ipso, ut evangelizaret eum gentibus*, ubi ad hunc ipsum locum digitum videtur intendere. 3. *Dei Filium dicitur ac benignitas*. Potuisset Pater cœlestis Angelos Filio suo dare, quorum opera ac ministerio nomen ipsius in mundo manifestaretur, sed placuit divinæ ipsius bonitati ac sapientiæ homines de mundo Christo dare, hoc est, ex numero eorum, qui sunt in peccatis concepti & nati, qui sunt pars quædam mundi damnati ac perditionis, qui suâ natura morti temporali & æternæ obnoxii, qui carnis infirmitates circumgestant &c. ex illorum, inquam, numero quosdam eligere, quibus Christus nomen Patris manifestaret, per quos in toto orbe doctrina Evangelii postmodum prædicaretur, ut hac ratione illustre quoddam specimen illius gratiæ, quam prædicaturi erant, in ipsis eaderetur, 1. Tim. 1. v. 12. & seq. ut potentia Dei per homines regnum Satanæ destruentes esset illustrior, neve humana infirmitas Angelorum conspectu territa Evangelii prædicationem fugeret, sicque beneficiis in Evangelio oblati se ipsam privaret. 4. *Electio ad officium & vitam æternam diversitas*. Apostoli duplici modo erant à Patre electi & Christo dati. Electi erant ad salutem, & Christo dati glorificandi; electi etiam erant ad munus Apostolatus, ut per Evangelii prædicationem multos ad Christi agnitionem & salutem perducerent. Sed inter has duas electionis species sive modos magnum est discrimen, nec utraq; in uno eodemque subjecto semper est conjuncta. Electio ad officium omnibus Apostolis, adeoque ipsi etiam Judæ, fuit communis, unde Christus dicit, v. 12. *quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis perivit nisi filius perditionis*. Sed electio ad vitam æternam non fuit Apostolis cum Juda communis, quia quotquot Pater cœlestis hoc modo dedit Filio, illis omnibus dat vitam æternam, v. 2. à qua cum Judas exclusus fuerit, ideo non fuerit in numero electorum & ad vitam æternam Christo datorum. Per electionem ad officium distinguuntur Apostoli à reliquis credentibus, per electionem ad vitam ab incredulis & *περσοκαίροις*. Illa facta est ad labores & certamina, hæc verò ad præmia, coronas, triumphos & gaudia. Utraque tamen electio est *merè gratuita* à benignitate Patris cœlestis unice descendens.

Alterna classis rationum, propter quas Christus pro Apostolis se orare asserit, desumitur à *statu & conditione Apostolorum*, quod scilicet fuerint fideles & obediens Christi discipuli, ex quo tale nascitur argumentum: Qui sunt fideles & obediens Christi discipuli, pro illis Christus meritò orat, & illorum curam cœlestis Pater meritò suscipit. Jam verò Apostoli sunt fideles & obediens Christi discipuli. Ergo. Major suâ lucet radiat, quia ad præceptoris

munus etiam hoc pertinet, ut pro fidelibus & obediens discipulis oret, ac quia Pater cœlestis hos discipulos Christo dedit, ac suo Spiritu fidem & obedientiam in illorum cordibus operatus est, ideo curam eorum meritò suscipit. Minorem Christus primò *confirmat*, deinde *illuminat*. Confirmatio est bimembris. Quod enim Apostoli sint fideles & obediens discipuli, illud probat 1. ex *τηνίσθη*. *Et sermonem tuum servaverunt*. Particula *κὼς* connectit hoc membrum cum præcedentibus: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo* &c. *& sermonem tuum servaverunt*. Ostendit Christus hac connectione ministerium docendi, quo in terris functus est, non fuisse inefficax, nec caruisse felici successu & fructu, sed Apostolos à Patre sibi datos sermonem Patris fide amplexos fuisse, quasi dicat: Manifestatio nominis tui non fuit vana & frustranea apud dilectos hos meos Apostolos, siquidem sermonem tuum non tantum audiverunt, ut plures alii, sed etiam fide & obedientiâ servarunt. Dediti mihi illos informandos, fecerunt, quod fidelibus & obsequentibus discipulis competit, sermonem tuum non tantum audiverunt, sed etiam in corde bono custodiverunt. Quidam per *τὸν λόγον* intelligunt *λόγον ὑπακοῆς*, ipsum Dei Filium, quo sensu hoc nomen accipitur, Joh. 1. 1. 1. Joh. 5. 7. Apoc. 19. 13. &c. ut sit sensus: me, qui sum Verbum tuum, fide receperunt: sed rectius accipitur de sermone Evangelii voluntatem Patris de salute hominum explicante, ac proinde de *λόγῳ προφορικῷ*. Ubi cum *τῆ* cum *λόγῳ* vel *ἐπιτολαίς* conjungitur, ibi *λόγῳ προφορικῷ*, non *ὑποστατικῷ* propriè & directè intelligitur, Matth. 19. 17. c. 28. 20. Joh. 8. 51. 52. & 55. c. 14. v. 15. 21. 23. & 24. c. 15. 10. & 20. &c. interim non negamus, eum, qui Verbum Evangelii fide recipit, ipsum Dei Filium sive Verbum hypostaticum fide recipere, Joh. 1. 12. Tribuit ergo Apostolis hoc elogium, quod *sermonem Patris servaverunt*: Non dicit, sermonem tuum audiverunt, sed servaverunt. Exterior auditus cum pluribus aliis ipsis erat communis, nec sufficit, ut quis verè & propriè dicatur Christi discipulus, sed requiritur etiam *ἡ ἡγήσις*, quæ consistit in vera fide promissionem Evangelii amplectente, atque ejus fiduciâ sese sustentante. Sermo Evangelii est propria ac præcipua illa doctrina, propter quam humano generi revelandam Filius Dei de cœlo descendit, & in assumpta carne docendi officio in propria persona fungi voluit, hunc sermonem Evangelii servant, qui vera fide eum recipiunt & in corde bono custodiunt *serentes fructum in patientia*, juxta ipsius Christi explicationem, Matth. 13. 23. Marc. 4. v. 20. Luc. 8. 15. & 18. &c. Fides enim, quæ Verbum Evangelii & in eo oblata bona spiritualia amplectitur, non est inanis quædam persuasio, nec nuda notitia, sed fiducialis apprehensio, quæ per dilectionem, obedientiam & omnium generis bona opera sese exerit, Gal. 5. 6. Jac. 2. 18. sicut de Apostolis constat, quod sermonem Christi fide amplectentes *relictis omnibus Christum secuti fuerint*, Matth. 19. 27. & in *temptationibus cum ipso constantes permanserint*, Luc. 22. 28. Ergo *τηνίσθη* illa complectitur non solum exteriorem auditum, sed etiam interiorem assensum; non solum notitiam in mente, sed etiam fiduciam in corde; non solum primam Verbi receptionem, sed etiam fidelem custodiam & in fide perseverantiam; non solum oris con-

confessionem, sed etiam operis executionem, & sanctam obedientiam: unde glossa interlin. Verbum *servarunt*, sic explicat, *in fide permanerunt*. Albertus dicit: *servarunt sermonem tenaciter in memoria sine oblivione*, Pf. 119, 16. *fideliiter intelligendo sine errore*, 2. Tim. 2, 7. *obedienter complendo in opere sine peccati gravitate*, Pf. 119, v. 11. ubi tamen notandum, obedientiam illam esse in hac vita inchoatam tantum & imperfectam, quia discipuli, qui sermonem Dei hoc loco dicuntur servasse, multis infirmitatibus adhuc obnoxierant, necdum eò pervenerant, ut ipso opere Christi præcepta perfecte implevissent. Sed de hac sermonis divini *ῥησις* plenius egimus cap. 176. Harm. peric. 2. ad v. 15. cap. 14. ac pericope 3. ad v. 23. ejusdem capituli. Nec dicit Christus, sermonem meum, sed *sermonem tuum servaverunt*, sicut etiam alibi doctrinam suam ad Patrem refert, Joh. 7, 6. *mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris*, cap. 14. v. 10. *verba, que loquor vobis, à me ipso non loquor*, v. 24. *sermo, quem auditis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris*, ac hoc loco paulò post subjungit v. 8. *verba, que dedisti mihi, dedi eis*. Ideo verò Christus sic loquitur, non quasi suam voluntatem à voluntate Patris cœlestis separare, vel doctrinam suam à doctrina Patris sejungere velit: sed ut divinam doctrinam suam auctoritatem asserat, sequè doctrinam Evangelii non humano arbitrio excogitasse, sed ex sinu æterni Patris protulisse, ex Patris mandato docuisse, & miraculis in Patris nomine editis doctrinam illam confirmasse ostendat. Simul etiam discipulorum fidem & obedientiam eò magis commendat, quod Verbum Evangelii receperint *non tanquam hominum verbum, sed sicut verè erat ipsius Dei verbum*, 1. Thess. 2. v. 13. quâ ratione Apostolos à Phariseis, Scribis & aliis Verbi contemtoribus distinguit, qui Evangelium à Christo prædicatum nõ habuerunt, nec habere voluerunt pro doctrina ex sinu Patris cœlestis prolata. Denique hoc loquendi modo rationem suam pro Apostolis intercessionis magis confirmat. Sermo ille, quem Apostoli fide receperunt & servarunt, est tuus sermo. Ergo meritò pro illis apud te intercedo, & tu illorum curam suscipis. Colligitur ergo ex his verbis: 1. Doctrinam Evangelii non esse humanam, sive humano arbitrio excogitamam, sed verè divinam ac cœlestem, auctoritatis indubitata ac certitudinis immota. Ut enim decretum de redemptione humani generis per Filium totius Trinitatis consilio ab æterno est factum: ita quoque totius Trinitatis decreto constitutum, quod Filius in assumpta carne hoc consilium Dei de redemptione & salute humani generis debeat manifestare, ac lærum illud nuncium in Verbo Evangelii hominibus asserere, quò præcipuè Christus hoc loco respicit, quando sermonem à se prædicatum dicit esse Patris sermonem. Ex ore Christi non procedit aliud Verbum quam Patris. Ergo ex verbo Christi cor Patris discitur. 2. Per hanc solam doctrinam Pater cœlestis Ecclesiam ex genere humano sibi vult colligere, à qua in hac & futura vita: ectè agnoscatur, invocetur & celebretur. Eo enim sine Pater misit Filium in hunc mundum, & Filius in carne manifestatus Apostolos misit, ut sermonem Patris, id est, doctrinam Evangelii in toto orbe prædicarent, & per hanc prædicationem cœtum Ecclesiæ ex genere humano colligerent. In hoc solo cœtu, in quo sermo

Patris cœlestis sonat, & vox Evangelii auditur, quærendi sunt electi & dilecti Dei filii. 3. Electorum istorum propria descriptio hæc est, quod sint, quos Pater beneplacito voluntatis suæ Filio dedit mundo segregatos, qui sermonem Patris audiunt ac servant, cujus descriptionis singula verba in hoc versiculo continentur. Quamvis enim *proprie & principaliter* hic agatur de electione ad Apostolatam, monuimus tamen superius, ad electionem finaliter credentium ad vitam æternam factam, commodè hunc locum applicari posse, cum eodem modo electi itidem Christo sint à Patre dati, & sermonem ejus servant. Quod si ergo in numero electorum conferri cupimus, oportet ut sermonem Patris cœlestis audiamus & servemus. 4. Audiunt & servant sermonem Patris, qui Christum in Verbo Evangelii audiunt, verà fide ipsi adhærent, & hanc fidem per sanctam obedientiam declarant, Matth. 1, 5. Joh. 14, 24. Theophyl. in h. l. *Qui credunt Christo, sermonem Dei servant, hoc est, Scripturam & legem. Nam Christus à Scriptura annunciat*. 5. Hæc obedientia ex fide in Christum Deo præstita, sincera quidem est & divotè obsequi, interim in hac vita adhuc est imperfecta, & multis infirmitatibus contaminata. Benignitati ergo Christi acceptum hoc ferendum, quod, etsi in credentibus sint adhuc multiplices infirmitates, de illis tamen asserat, quod sermonem Patris servant, modo in fide permanent, Deo obedire ex animo studeant, nec per voluntaria peccata contra conscientiam commissa gratiam Dei & fidem abiciant. 6. Quia doctrina Evangelii, quam veri Christi discipuli fide amplectuntur, est sermo Patris cœlestis, ideo & ipsam Evangelii doctrinam, & confessores illius doctrinæ Pater cœlestis contra furorem diaboli, rabiem persecutorum, & crudelium machinationes omnium hostium ita tuebitur, ut ne ipsæ quidem inferorum portæ contra eam prævalere possint, Matth. 16. v. 18. Credentes servant Patris sermonem. Ergo Pater cœlestis ipsos vicissim servabit. Credentes sunt Patris proprii. Ergo Pater cœlestis eos tu suos tuebitur. Credentes sunt Christo à Patre dati. Ergo nemo illos rapiet ex manibus Christi, sicut dulcissimè Salvator noster concludit, Joh. 10, 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*. v. 28. *non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*. v. 29. *Pater meus, qui dedit mihi, major est omnibus, & nemo potest eas rapere de manu Patris mei*. v. 30. *Ego & Pater unum sumus*.

7. Posterior probatio minoris, quod Apostoli sint fideles & obedientes Christi discipuli, pro quibus meritò apud Patrem intercedat, desumitur ex *ῥησις*. *Nunc cognoverunt, quod omnia, quecumque dedisti mihi, abs te sunt*. Codex Regius, ac sextus Parisiensium pro tertia plurali *ἔγνωσαν* legunt primam singularem *ἔγνωσα*, quo modo etiam Syrus reddidit, *נודעתי*, novi. Hujus lectionis meminit etiam Theophylactus: sed Chrysostomum suum secutus eandem merito improbat, & absurdam pronunciat. Torus enim contextus ostendit, de Apostolis suis Christum loqui, de quibus in præcedente vers. dicit, *sermonem tuum servaverunt*, & in seq. subjungit, *verba, que dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognoverunt verè, quod à te exiverim, & crediderunt, quod tu me misisti*, in quibus verbis *ἔγνωσα* & illustratio hujus versiculi continetur. Rectius igitur omnes reliqui Codices Græci, ut & Latina editio in plurali legunt

gunt *ἐξωναν*. Vocula *ὄν* ostendit connexionem cum præcedentibus. 1. Dixerat Christus, Apostolos Patris fuisse proprios, sibi que à Patre esse datos, jam subjungit, illos cognovisse, omnia, que sibi data sunt, à Patre esse, quod optima consecutione ex illo inferitur. Quia illos mihi dedisti, ideo cognoverunt, omnia mea abs te esse. Nisi eos mihi dedisses, nunquam illud cognovissent, ut Euthymius in h. l. scribit, unde Judas & alii, qui illud cognoscere noluerunt, vel cognitum fide amplecti renuerunt, ipso facto demonstrarunt, se non esse in numero eorum, quos ad vitam æternam eligendo mihi dedisti. 2. Dixerat Christus, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, jam subjungit, illos cognovisse, omnia, que sibi data sunt, à Patre esse, quod itidem optima consecutione ex illo inferitur. Postquam eis manifestavi nomen tuum, postquam de hoc mysterio à me instructi & informati sunt, inde jam cognoverunt, omnia mea abs te esse, quia per lumen nature hoc non agnoverunt nec agnoscere potuerunt, sed ex Evangelio sive manifestatione nominis divini in Evangelio facta. 3. Dixerat Christus, Apostolos sermonem Patris servasse, jam subjungit, illos cognovisse, omnia, que sibi data sunt, à Patre esse, quod itidem optima consecutione ex illo inferitur, & quidem duplici modo. Priorem consecutionem rationem monstrat Elaias cap. 7. vers. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis* (ut habet LXX. Interpretum versio, quam plerique Patrum hoc loco sequuntur, quæ etiam rectè exposita, sensu haudquam absurdum vel analogiæ fidei adversum inferat.) Non debemus mysteriis divinis fidem propterea denegare, quod ea rationis nostræ acumine nondum perfectè intelligimus, sed potius credendo ea intelligi noverimus, Hebr. 11. versic. 3. ac per simplicem fidei obedientiam, quæ propter dicentis auctoritatem, mysteria in Verbo proposita amplectimur, progredimur ad uberiores causarum & proprietatum in divinis illis mysteriis cognitionem ac intelligentiam. Insuper etiam Evangelii est ista proprietates, ut necesse sit, ei prius fidem adhibere, quam postea sequitur experientia, cum in humanis disciplinis experientia assensum ac fidem præcedat, inde pulcherrimè dicit Aristodorenus in præfat. Summæ: *Apud Aristotelem argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem; apud Christum verò argumentum est fides faciens rationem.* Inde Christus hoc loco prius dicit, Apostolos sermonem Patris servasse verà fide, & postea subjungit, ipsos cognovisse ea, quæ omni humane rationi penitus sunt abscondita. Posteriorem consecutionis rationem monstrat Christus, Joh. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoscat doctrinam, utrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar, in quæ verba Aug. tract. 29. in Johan. sic commentatur: Quid est, cognoscat, hoc est, intelliget? Quid est autem si quis voluerit voluntatem ejus facere? hoc est credere, ut intelligatur, ad possibilitatem intelligendi datum esse consilium de obedientia credendi; id est, studium captivandæ rationis sub obsequium fidei.* Theophyl. ibid. *Ἐδὲ ποῦ εἶ ἡ τὰς ἡρώδης καὶ τὰς πρὸς φῆτας ἐρευνῶν.* Nimirum Christus his verbis nequaquam docet, hominem non renatum suis naturalibus viribus Patris voluntati se subicere posse, sed requirit, ut absque præjudiciis & affectibus doctrina sua cum verbo Prophetico conferatur, nec pertinaci proterviâ contra testimonium conscientiæ eidem contradi-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

catur. Id ipsum etiam hoc loco docet, quando Apostolos sermonem Patris servasse asserit, id est, quod non passi fuerint cupiditate gloriæ vel divitiarum oculos suos excæcari, quo min⁹ doctrinam Christi reciperent, quam cœcitatem in Pharisæis Christus acculat, & causam incredulitatis ei tribuit, Johan. 5. v. 44. sed quod depositis affectibus in verò Dei timore veritatem seriò quæsiverint, ac tum demum subjungit, quod cognoverint, omnia, que Pater ipsi dederat, ab ipso esse, id est, doctrinam Christi esse ex Deo, ac Christum non loqui à se ipso. 4. Dixerat Christus, eo sine potestatem omnis carnis sibi à Patre datam, ut omnibus, quos Pater ipsi dedit, det vitam æternam, v. 2. jam ergo exemplo Apostolorum docet, quo modo ac medio illis, quos à Patre datos accepit, vitam æternam donet, videlicet per salutarem sui & Patris cognitionem, sicut etiam superius dixerat v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut agnoscat te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Sic igitur quod ibi in genere dictum erat, in specie hoc loco ad Apostolos applicat, ac thesin ad hypothesin transfert, confirmando, quod vita æterna consistit in verò veri Dei agnitione per doctrinam Evangelii à Filio Dei in hunc mundum missò patefactam. De his omnibus per connexionem horum verborum cum præcedentibus admonemur. Cæterum quod Apostoli cognovisse dicuntur omnia quæcumque Pater Christo dedit, esse à Patre, videtur obscurius & otiosam unius ejusdemque sententiæ repetitionem involvere. Si enim Apostoli cognoverunt, omnia Patrem Christo dedisse, eo ipso cognoverunt, omnia, quæ Christus habet à Patre esse, ut ostendit mutua relatio inter dare & accipere. Sed longissimè à nobis absit, ut vel cogitare velimus in hac admirabili ex ipsius Sapientiæ fonte profluente oratione otiosas *ταυτολογίας* contineri, sed omnia plena sunt mysteriis, & divinam sapientiam complectuntur, etiam si primo intuitu ea non statim intelligamus. Augustinus tract. 106. in Joh. intelligit hæc verba de æterna Filii à Patre regeneratione. *Cognoverunt, inquit, quod abs te sum. Simul enim Pater dedit omnia cum genuit eum, qui haberet omnia, quæ verba repetit Beda in comment. Eodem modo exponit Theophylactus in hunc locum: Nunc cognoverunt mei discipuli, quod nihil habeo propriam, neque à te alienus sum, sed quæcumque dedisti mihi, non ut creatura gratificans mihi dedisti. Non enim hæc mihi acquisita sunt sed naturaliter ad me pertinent ut ad Filium, qui in paternis bonis potens est.* Sensus ergo foret: Omnia quæ dedisti mihi substantialiter & æternaliter me generando, abs te sunt, tanquam à fonte diviniæ meæ generationis, & hoc cognoverunt Apostoli videndo divinam meam gloriam tanquam unigeniti à Patre, Joh. 1, 14. 2 Petr. 1, 17. Hanc expositionem non repudiamus, cum confirmari possit ex v. seq. ubi Christus *ἐξ ἡμετέρων* addit, Apostolos cognovisse, quod à Patre exiverit, & ex v. 10. ubi Christus dicit, omnia mea tua sunt, & tua mea sunt; interim propriè & principaliter Christus hic de suo officio loquitur, quod videlicet in docendi munere & in opere redemptionis nihil quicquam agat proprio arbitrio, sed quod à Patre sibi datum, id est, injunctum ac demandatum, & quia ad hoc officium doctrina, miracula & omnia quæ Christus in nomine Patris sui in terris peregit, pertinent, ideo de illis omnibus hæc Christi verba sunt accipienda. Dicit ergo, Apostolos cognovisse, quod

A a a a a a

quod

quod omnia, quæ Pater Christo dedit, sunt à Patre, hoc est, i. quod officium docendi & redimendi humanum genus non rapuerit proprio arbitrio, sed quod in æterno Trinitatis consilio constitutus sit Mediator, quodque à Patre in hunc mundum missus sit, ut utroque illo munere fungeretur. Hanc expositionem probat v. 4. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem*, ex quo versiculo Verbum *dedisti mihi, ut facerem*, hoc loco Christus repetit & in eadem significatione illo utitur. Probat eandem vers. sequens 8. Ubi Christus dicit, *crediderunt, quod tu me misisti*, ut & vers. decim. octav. ubi se à Patre *in mundum missum* esse asserit. 2. Quod doctrina Evangelii, quam in docendi ministerio Apostolis & aliis auditoribus proposuit, non sit humano arbitrio excogitata, sed ex sinu æterni Patris ejusdem voluntate prolata, quodque non contineat figmentum humanum, sed æternū de salute humani generis æterni Patris decretum. Hanc expositionem probat vers. proximè precedens. *Sermonem tuum servaverunt*. 3. Quod miracula in confirmationem doctrinæ edita non alia quam divina Patris virtute sint edita, secus quam obstinati Pharisei judicabant, qui diabolicæ virtuti ea tribuenda esse blasphemabant. Hæc expositio probatur ex Joh. 14. v. 10. *Pater in me manens ipse facit opera, & ex conformitate miraculorum cum doctrina*. 4. Quod ipsi Apostoli cum essent Patris proprii, sunt à Patre Christo dati, id est, æterno Dei decreto electi, ut Christo in formam traderentur ac postea totius orbis doctores essent. Hanc expositionem probat vers. præced. & particula universalis *parva* in hoc ipso versiculo. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant & mihi eos dedisti, nunc cognoverunt quod omnia quæcumque dedisti, & sic etiam ipsi Apostoli, mihi dati abs te sint*. 5. Quod in suo officio omnia ad gloriam Patris retulerit. Quæcumque in hoc mundo mihi perficienda dedisti sive commisisti, ea ut omnia abs te sunt, ita quoque ad te tanquam fontem ea semper retuli & quidem præsentibus & audientibus meis Apostolis, qui ex eo cognoverunt, quod abs te mihi data & comissa sint. Hæc omnia Christus complectitur, quando dicit: *Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcumque dedisti mihi, abs te sunt*. Augustinus tract. 106. in Johannem verba præteriti temporis in hoc & seq. versiculo statuit posita pro futuris argumento per motus eo, quod dicantur *credidisse verè*, id est, quomodo credendum est inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter &c. id quod ante Spiritus sancti adventum non videtur ipsis convenire. *Adhuc* (inquit) *discipuli non erant tales, quales eos dicit verbis præteriti temporis, quasi jam essent, prænuncians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu sancto, qui eos, sicut promissum est, doceret omnia, quem priusquam acciperent, quomodo servaverunt ejus sermonem, quod de illis quasi fecerint, dixit, quoniam primus eorum ter eum negavit &c.* Sed propria verbi præteriti significatio rectius retinetur, quia Christus eo nomine Apostolos Patri cœlesti commendat, quod pro Messia divinitus missus ipsum receperint, ac fide ipsi constanter hactenus adhaeserint. Quamvis verò fides illa adhuc fuerit infirma & imperfecta, tamen fuit fides vera non hypocritica, ac quamvis paulò post in fuga & abnegatione a fide exciderint, tamen quo tempore Christus pro eis orabat, adhuc credebant, Joh. 16. v. 30. Colligitur ergo ex his Christi verbis, 1. Fidem non esse igno-

rantiam, sed cognitionem, videlicet spiritualem. 2. Christum in toto suo officio nihil egisse privato arbitrio, sed Dei decreto & voluntate. 3. Apostolos non sine eximio profectu in schola Christi fuisse institutos, cum cognoverint, omnia, quæ Christo data, esse à Patre, quæ cognitio personæ officii & beneficiorum Christi in die Pentecostes per Spiritus sancti effusionem ad summum perfectionis gradum fuit perducta, ac proinde Apostolorum in scriptis ipsorum Ecclesiæ relicta non solum est divina & infallibilis, sed etiam perfecta & ad salutem sufficiens. 4. Fidem in Christum non debere subsistere in carnis intuitu, sed ad ipsam divinitatem se infinuare, vera enim fides Christum ut verum Deum & verum hominem Mediatorem, Redemptorem ac Salvatorem à Patre in hunc mundum missum amplectitur, & in ipso solo gratiam Patris & vitam æternam unicè querit.

2. Rationem hanc à statu & conditione Apostolorum petitam illustrat Christus per tria membra. Explicat enim fidei Apostolicæ 1. *Medium*, quod est doctrina à Patre sibi tradita & Apostolis proposita. 2. *Objectum*, quod est Christi à Patre exitus & missio. 3. *Formam*, quæ consistit in *dei* ac *prophetæ*. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis & ipsi acceperunt & cognoverunt verè, quod à te exivi, & crediderunt, quod tu me misisti. Tria de Apostolis prædicantur, quæ confirmationem præcedentem, quod fuerint fideles & obediens Christi discipuli, illustrant, eandemque simul probant. 1. Quod verba à Patre cœlesti Christo data acceperint. Particula *ostendit*, hunc versiculum *αὐτοῖς* cum priore conjungi. Cognoverunt, quod omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, id est, inde atque ideo noverunt, quæ dedisti mihi, abs te esse, quia Verbum Evangelii abs te mihi datum & ipsis in ministerio meo communicatum acceperunt. Ostendit igitur hæc connectione 1. Quod medium salutaris cognitionis Christi non fuerit aliud quam Verbum à Patre Filio traditum & ab hoc Apostolis porro propositum. Theophylactus in h. l. *Unde hæc cognoverunt discipuli? Verbum, quod dedisti mihi dedi eis, id est, à verbis meis & doctorem*. 2. Quod Apostoli non per observationem legis vel ceremoniarum Mosaicarum in filios Dei adoptati fuerint, sed per fidem, quæ Christum in verbo Evangelii prædicatum agnoverunt & promissionem Evangelicam amplexi sunt. 3. Quod inter ea, quæ Pater Filio dicit, cum primis locum habeat doctrina Evangelii, quam Pater eo sine dilecto suo Filio dedit, sive demandavit, ut Apostolis & per eos toti mundo eam vicissim daret. Duplicis enim dationis eiq; correspondentis duplicis acceptionis hic fit mentio. Prior versatur inter Patrem dantem & Christum accipientem. Posterior inter Christum dantem & Apostolos accipientes. Verba, inquit, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt. Priorem dationem & acceptionem quidam statuunt intelligendam de divina & infinita scientia per æternam generationem Christo secundum divinam naturam à Patre communicata. Augustinus tractatu 106. in Johannem, *Ipsi Filio quomodo Pater ea verba dederit, quibus verbis homo poterit explicare &c. Si secundum id quod est à Patre genitus, Patriq; coæternus, accepisset à Patre ista verba cogitatur, nihil ibi temporis cogitur, quasi prius fuerit, qui ea non habuerit, atque ut*

habe-

haberet, quæ non habebat, acceperit, quoniam quicquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim Filio dedit Pater, sine quibus Filius esse non potest, sicut dedit ei, ut esset. Nam quomodo aliter Verbo verba daret aliquid, in quo ineffabiliter dixit omnia? Sed simpliciter & textui convenientius accipitur de satione Christo secundum humanam naturam facta, unde ipse Augustinus d. l. præmittit. Facilius sanè quæstio videtur, si secundum id quod Filius est hominis à Patre verba illa accepisse credatur. Quamquam natus ex virgine, quando & quomodo ea didicerit, quis enarrabit, quando etiam ipsam, quæ de virgine facta est, generationem ejus quis enarrabit? Quod ergo Christus dicit, Verba, quæ Apostolis dedit, à Patre sibi data esse, ac à Patre ea se accepisse nihil aliud significat, quam quod doctrinam Evangelii Apostolis propositam non excogitaverit humano arbitrio, sed ex sinu Patris eam protulerit, quæ interpretatio probatur, tum ex v. 7. præcedente, sermonem tuum, id est, abs te mihi traditum servaverunt, tum ex collatione parallelorum locorum, Johan. 7. vers. 16. cap. 14. v. 10. & 24. Ideò verò utitur verbo dandi. 1. Ut alludat ad dationem, de qua v. 6. dixerat, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, quasi dicat, non solum certas personas mihi dedisti, quibus nomen tuum manifestare debeam, sed etiam verba ipsa sive doctrinam mihi dedisti, quam eis debeam proponere & ad salutarem tui cognitionem per eandem ipsos perducere. 2. Ut collationem instituat inter dationem verborum à Patre factam Christo, & à Christo factam Apostolis, de qua in hoc ipso versiculo dicit. Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, quasi dicat, tradidi ipsis doctrinam Evangelii, sed eandem tu mihi prius tradidisti. Ergo per me eandem Apostolis tradidisti, meritò igitur eorum curam suscipis. 3. Ut ostendat, se esse Patris celestis legatum, sicut in hoc ipso versiculo ac vers. 18. dicit, tu me misisti in mundum. Legato enim dari solet certa instructionis formula, juxta quam agere & verba sua conformare debeat. 4. Ut remittat nos ad oraculum Propheticum Deut. 18. 18. ponam sive dabo verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præceperò illi, quod in se completum esse ostendit. Posterior datio à Christo Apostolis facta eademque correspondens Apostolorum ἀγῶν in eo consistit, quod Christus doctrinam Evangelii à Patre acceptam Apostolis suis proposuerit, ipsique eam non rejecerint vel repudiârunt, sed ut Verbum Dei acceptaverint, quo ipso à Pontificibus, Scribis, Phariseis & aliis doctrinæ Christi contemtoribus & persecutoribus sese segregârunt. Hoc λαμβάνειν alibi exponitur per συνέβαιναι, Matth. 13, 23. κατέχων Luc. 8, 15. φυλάττειν cap. 11, 28. &c. Augustin. d. l. Acceperunt, hoc est, intellexerunt ac tenuerunt, tunc enim Verbum accipitur, quando mente percipiunt.

2. Quod verè cognoverint, Christum à Patre exivisse. Vocula ἀληθῶς opponitur non solum falsis doctrinis & incertis hominum opinionibus extra lucem verbi, quod est veritas Joh. 17. v. 17. miserè vagantium, sed etiam vanæ & inani hypocritarum perfersioni, qui se credere opinantur ac de fide gloriantur, cum tamen ea sint destituti. Per γινώσκω hoc loco non intelligitur notitia naturalis ex lumine naturæ ac principis humanæ rationis deducta vel illis superstructa, quam Apostolus vocat sapientiam

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

hujus mundi, 1. Cor. 3. v. 19. humanam, 1. Cor. 2. v. 13. carnalem, 2. Corinth. 1. v. 12. sed notitia spiritualis ex revelatione verbi & illuminatione Spiritus sancti accensa, quæ ad notitiam certitudinis potius quam evidentie in hac vita accedit. Nec intelligitur per hanc γινώσκω notitia intuitiva ac beatifica in visione à facie ad faciem consistens, quæ ad futuram vitam pertinet, sed notitia specularis & enigmatica, ut Apostolus eam vocat, 1. Cor. 13. v. 12. unde Christus ipse statim per αἴσθη eam exponit. Augustin. d. l. Hoc crediderunt verè quod cognoverunt verè. Cum ergo dixisset, cognoverunt verè, ne quisquam putaret istam cognitionem tanquam per speciem factam, non per fidem, exponendo addidit, & crediderunt, ut subaudiamus verè. Per exitum Christi à Patre quidam intelligunt æternam ipsius secundum divinam naturam ex essentia Patris generationem, quidam incarnationem, quidam exinanitionem, quidam missionem ad officium redemptionis & prædicationis, ut sic posterius membrum sit ἐξήγηται prioris ac τὸ ἐξίρη à Patre explicetur per τὸ μίττει à Patre, sicut τὸ γινώσκω declaratur per τὸ πιστεύειν. Ideò verò utrumque à Christo exprimi, ut æqualem ostendat caritatem & Patris mittentis & suam, hoc est, Filii in mundum venientis. Ut enim Pater ex immensa caritate Filium in mundum misit, ita Filius ex immensa caritate à Patre exivit & in assumpta carne sese exinaniendo in mundum venit & officium à Patre sibi demandatum administravit. Augustinus d. l. Id est à te exivi, quod tu me misisti. Sed quid de hisce expositionibus statuendum sit, latè expositum fuit in cap. præcedente, Joh. 16. v. 28.

3. Quod crediderint, Christum esse à Patre in mundum missum, id est, esse promissum Messiam, eo fine à Patre in mundum missum, ut Evangelium prædicaret & opus redemptionis perageret, ut esset Mediator, Redemptor ac Salvator humani generis. Prius dixerat, quod cognoverint, jam subjungit, quod crediderint, ut ostendat 1. Fidem non ferri in objectum incognitum, sed ex verbo prius cognoscendum esse illud, quod credendum nobis proponitur. 2. Nihil de Deo salutariter cognosci nisi per fidem, sed in ipsa fide tantam subesse certitudinem, ut meritò scientia nominetur. 3. Nudam cognitionem non esse salutarem ac salvificam absque fide, promissionem Evangelii apprehendente sibi, applicante. 4. Fidem Apostolorum divinis miraculis à Christo editis ita fuisse confirmatam, ut esset cognitio quavis Mathematica demonstratione certior, unde Pineda in cap. 19. Job. vers. 25. p. 96. rectè scribit. Fidei cognitio & obscura hæc scientia divinatorum solâ visione beatâ inferior est claritate, æqualis certitudine, reliquis omnibus aliis scientiis superior atque certior. Repetendum verò ex præcedente membro adverbium ἀληθῶς. Ut enim Apostoli verè cognoverunt, Christum à Patre exivisse, ita quoque verè crediderunt, ipsum à Patre esse in hunc mundum missum, quo ipso à Pontificibus, Scribis & Phariseis sese separarunt, qui Christum non habuerunt pro Messia, nec Dei Filio, nec doctore divinitus misso, sed pro seductore pessimo, ac miracula ipsius diabolo tribuere non reformidârunt, Matth. 9, 34. c. 12, 23. Marc. 3, 12. Luc. 11, 17. Joh. 5, 18. cap. 9, 16. c. 10, 20. &c. Theophylactus in cap. 16. Johann. disputat, Apostolos ante resurrectionem Christi non cognovisse quid sit Filium à Patre exivisse.

Aaaaaa 2

viffe. Prius, inquit, putabant, Deum esse Christi Patrem, sicut & nos est gratia, juxta hanc hypothefin verba præteriti temporis cognoverunt, crediderunt, accipiendæ essent pro futuris, agnoscent me à te exivisse, & credent me à te missum, quando scilicet in die Pentecostes Spiritum sanctum acceperint. Sed hanc sententiã probare minimè possumus. Quamvis enim fides Apostolorum ante Spiritus sancti missionem & Christi resurrectionem fuerit infirma & imperfecta, quamvis etiam tempore passionis Christi per fugam & abnegationem à fide exciderint, tamen eo tempore, quo Christus hæc præces pro illis ad Patrem funderet, verè crediderunt, Christum à Patre esse missum, unde Joh. 16. v. 31. & 32. Christus utrumque conjungit, videlicet tum præsentem Apostolorum fidem, tum imminentem ἀπίστια. Modò creditis, venit hom, ut dispergami. Certum enim est, 1. Quod Christum pro Messia acceptaverint, Joh. 1, 42. 2. Quia Messias in personâ unitate debuit esse verus Deus & homo verus, idè etiam crediderunt ipsum esse Dei Filiũ, Matth. 16, 16. Joh. 6, 69. 3. Nec qualemcunque vel adoptivum, sed naturalem & unigenitum Filium, Johan. 1. v. 14. in qua fidei confessione non mediocriter confirmati fuerunt, tum voce Patris cœlitus delata: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit*, quam tum in Baptismo, tum in transfiguratione Christi audierant, Matth. 3, 17. cap. 17. v. 5. 2. Petr. 1. v. 17. tum miraculis divina virtute à Christo editis, Joh. 2. v. 11. 4. Crediderunt etiam Christum esse agnum Dei tollentem peccata mundi, Iohann. 1. v. 36. esse lucem mundi cap. 8. v. 12. esse panem vivum, qui de cœlo descendit, ut si quis ex hoc pane manducaverit, vivat in æternum, panem, quem daturus sit, esse carnem suam, quam daturus sit pro mundi vita, cap. 6. vers. 51. &c. interim fides ipsorum fuit imperfecta & infirma, tum quia generationem Filii à Patre, ejusque Deitatem nondum videntur distinctè, sed confuse tantum cognovisse, nec satis firmiter, sed fide infirma credidisse, tum quia immeriti fuere opinioni de terreno Messia regno, unde prædictiones Christi de sua passione & morte non intellexerunt, Luc. 18, 33. ac Petrus insuper ab ea Christum dehortatus est, Matth. 16. v. 22. ubi cogitandum, quod non sine mysterio solus ille contradixerit, qui postea solus in passione ipsum abnegavit. In communi ergo & in genere duntaxat crediderunt Christum esse mundi Redemptorem & Salvatorem, sed modum redemptionis per passionem & mortem nondum satis clarè & distinctè ante Christi resurrectionem videntur cognovisse. Atque hæc omnia, quæ de statu & conditione Apostolorum in v. 6. 7. & 8. à Christo adducuntur, ad eorum consolationem spectant. Noverat Pater cœlestis, pro quibus Christus oraret, nec opus erat tot verbis eorum fidem & obedientiam describere, sed Christus idè hæc recenset, ut discipuli cognoscant, quanta beneficia à Patre cœlesti jamdum acceperint & quanto amore Pater cœlestis illos complectatur, ut etiam hoc nomine certi sint, præces has à Christo pro ipsis suas fore ratas & efficaces. Colligitur autem ex hoc v. 8. 1. Quod doctrina Evangelii sit immota certitudinis & infallibilis veritatis. Christus disertè testatur, se verba, quæ Apostolis dedit, à Patre cœlesti accepisse, cum ergo doctrinæ suæ facit autorem. Et quia Spiritus sanctus scrutatur Dei profunditates, 1. Cor. 2, v. 10. idè

is una cum Patre & Filio agnoscendus Evangelicæ doctrinæ autor, quippe qui etiam una cum Patre & Filio æternum de redemptione generis humani per Filium ac beneficii hujus in Evangelio prædicatione fecit decretum. Ergo Spiritus est qui testificatur, quod Spiritus sit Veritas, 1. Joh. 5, 6. quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt v. 7. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, v. 9. Quare cum vox Evangelii sit unanimes ille trium in cœlo testium consensus, idè nihil eã certius, firmitus & augustius cogitari potest. 2. Quia verba, quæ Filius Apostolis dedit, à Patre accepit, idè quod de Deo salutariter cognoscendum ac credendum, non nisi Deo docente addisci potest. 3. Quia Christus nihil aliud Apostolis tradidit, quam quod à Patre accepit, idè non plura nec ab his, quæ Filius docuit, diversa in Ecclesia sunt docenda. Matth. 28, 20. Gal. 1, 8. 1. Petr. 4, 11. cogitent humanarum traditionum patroni, quid Christo judici responsuri sint, quod doctrinæ Evangelii ex sinu Patris cœlestis prolatae peregrinum humanarum doctrinarum assumptum contra Christi præceptum & exemplum attexere, non fuerint veriti. 4. Quemadmodum Apostoli ex verbo Evangelii per efficacem Spiritus sancti operationem fidem in Christum conceperunt: ita adhuc hodie non ex internis immediatis Spiritus sancti afflatibus, sed ex auditu verbi est fides. Rom. 10, 17. unde paulo post notanter dicit Christus, se orare pro credituris per sermonem Apostolorum, v. 20. 5. Sicut Christus doctrinam Evangelii tradidit Apostolis, quos fideles existimavit ponens in ministerio, 1. Tim. 1, 12. ita ministri Ecclesiæ quæ audiverunt per multos testes, commendare debent fidelibus hominibus, qui idonei sint & alios docere. 2. Tim. 2, 2. 6. Quamvis Apostoli divinis Christi miraculis in fide sua non mediocriter fuerint confirmati, Joh. 2, 11. Christus tamen solus doctrinæ Evangelicæ hic meminit, quod per eam ad fidem fuerint perducti, quia doctrina est sufficiens, perpetuum & efficax fidei accendenda, augenda & confirmanda medium, ac hæc propria filiorum Dei nota, credere verbo, sive novis illud confirmetur miraculis, sive eis destituatur. 7. Christus tria de Apostolis h. l. pronunciat, quæ in omnibus verè piis oportet esse conjuncta. Primo quod Verbum Evangelii acceperint, quia promissio Evangelii non prodest absque ἀποδοξίᾳ sive acceptione. Secundo quod cognoverint, quia salutaris acceptionis fructus sive consequens est Dei & Christi notitia. Tertio quod crediderint, quia per fidem fit apprehensio verbi & beneficiorum in eo oblatorum. 8. Sicut superius in genere Christus pronunciat, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum: ita in specie ad Apostolos illud h. l. applicat, ac testatur, etiã ipsos ex verbo Evangelii cognovisse eum, in cujus cognitione vita æterna consistit, videlicet Patrem verum Deum & Filium Mediatorem à Patre in mundum missum. Quisquis ergo Evangelium fide amplectitur, is Christum salutariter cognoscit. Cognito Christo Deus salutariter cognoscitur, in hac Patris & Filii per Spiritum cognitione vita æterna consistit. 9. Christus celebrat fidem Apostolorum, quæ tamen non solum erat infirma & imperfecta, sed etiam inconstans, à qua brevi illos noverat in fugam & abnegationem prolapsuros. Sic placet Christo infirma fides, modo adhærens infirmitas nobis non place-

placeat, modo etiam in fide perseveremus, eamque augeri quotidie petamus. 10. Qui in Christum credunt, illi soli *ἀληθῶς* cognoscunt, qui à Christo aberrant, opinionibus ducuntur, non autem veritate nituntur. 11. Qui verbum Evangelii fide recipiant, cognoscunt & credunt, quod Christus à Patre exiverit, & quod à Patre in mundum missus ex mandato & beneplacito Patris omnia peragat, inde oritur firma erga Patrem cœlestem cordis fiducia, quod Deus non sit aliter erga nos affectus, quam qualem se in Christo Mediatore revelavit.

Tertia classis rationum, propter quas pro Apostolis se intercedere Christus asserit, desumitur ab ipsius Christi persona. Huic rationum classi præmittit Christus ipsam propositionem. *Ego pro eis rogo.* De hac propositione notandum 1. quod respectu rationum præcedentium à persona Patris cœlestis & statu sive conditione Apostolorum desumatur, sit *συμπέρασμα* sive *conclusio*, respectu rationum sequentium à persona ipsius Christi petitarum sit *πρόθεσις* sive *propositio*. Quia sermonem tuum illis manifestavi, quia tui erant & de mundo mihi eos dedisti, quia sermonem tuum servaverunt, quia cognoverunt, quod omnia quaecunque dedisti mihi, abs te sint, quia verba abs te mihi tradita acceperunt & cognoverunt, quod à te exierim, & crediderunt, quod à te missus sum, inde pro illis rogo. Vicissim, ego pro eis rogo, quia eos mihi dedisti & sunt mei, quia glorificatus sum in eis, quia me ex mundo discedente ipsi in mundo adhuc manent. 2. Quod contineat ipsam petitionem, sed in genere & indefinitè. Dicit Christus, se pro discipulis jam precari, postquam scilicet pro sui glorificatione in primo membro oraverat ac pro credituris per sermonem Apostolorum in tertio membro oraturus erat, postea in v. 11. & seqq. exponit, quid precetur. 3. Quod Christus his verbis sese offerat Mediatorem inter Deum & homines. Sacerdotes Ver. Test. hæctenus sacrificia obrulerunt & pro populo orarunt, sed sacrificia illa in se ac per se non potuerunt esse *ἰλασµά*, oratio illorum utpote peccatorum non potuit vi quædam meritoria mundum sibi reconciliare ac pro peccatis satisfacere. Ergo ego jam venio &c. Singula verò propositionis hujus verba valde sunt emphatica. Ego, inquit, pro eis rogo. Ego, qui sum dilectus & unigenitus tuus Filius, tibi coæternus & consubstantialis ver. 1. cui *de diti potestatem omni carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam* ver. 2. ego qui in ministerio meo te glorificavi super terram, quique jam jam consummaturus sum opus redemptionis, quod dedisti mihi, ver. 4. ego qui sum sanctus & innocens separatus à peccatoribus, Hebr. 7. ver. 26. cujus preces non potes repudiare, sed quem semper audis, Johann. 11. ver. 42. ego, inquam, qui à te exivi & in mundum missus sum, ut essem Mediator & perpetuus Ecclesiæ Sacerdos, pro eis rogo, inde Syrus pronomen *ἐγώ*, ego, bis repetit. *Περί αὐτῶν*, ponitur pro *ὑπὲρ αὐτῶν*, ut Matth. 26. ver. 28. Marc. 1. ver. 44. Johann. 16. ver. 26. &c. Respicit autem pronomen *αὐτῶν* tum ad præcedentia, tum ad sequentia, ut patet ex illis, quæ paulò antè sunt dicta. Intercessionem hanc suam pro Apostolis Christus describit per Verbum *ἐρωτῶν*, quod est *humilitatis*, postea in ver. 24. dicit, *Θέλω, volo, ut ubi ego sum & illi sint mecum*, quod est *majestatis*, quia ut Deus & homo in his precibus loquitur ac Sacerdotalis intercessio secundum utramque naturam ipsi

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

competit, ratione scilicet eâ, quam superius exposuimus. De Christo ad dextram Patris pro nobis intercedente & in statum gloriæ evecto non usurpatur in scripturis verbum *ἐρωτῶν* sed *ἐπιτηδεύων* Rom. 8. v. 34. & *παράκλησιν* sive *παράκλητον εἶναι*, 1. Joh. 2. v. 1. quorum utrumque Spiritui sancto etiam tribuitur, illud Rom. 8. v. 26. hoc Joh. 14. v. 16. & 26. cap. 15. v. 26. cap. 16. v. 7. ut modus intercessionis in statu *humiliationis* intelligatur distinctus à modo intercessionis in statu *exaltationis*. Colligitur autem ex hac propositione. 1. Quod Christus sit unicus Mediator inter Deum & homines, perpetuus Ecclesiæ Sacerdos, qui non solum in ara crucis seipsum *victimam in odorem suavitatis* Patri cœlesti pro nobis obrulit, Ephes. 5. ver. 2. sed etiam pro nobis apud Patrem cœlestem intercedit & fructum sacrificii sui nobis applicat. 2. Hæc intercessio Christi Sacerdotalis, Mediatoria, *ἰλαστική* meritoria ac propitiatoria, quæ nititur personæ dignitate, officii sublimitate & satisfactionis pro nobis præstita valore, toto cœlo distinguitur ab intercessione *συναγωγικῆ*, qua sancti, qui in terris adhuc militant, conjunctis precibus adversus Satanam & ejus organa pugnant. Aug. l. 2. contra Parmenianum cap. 8. *Homines Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est.* 3. Summa hæc est Ecclesiæ & omnium piorum consolatio, quod seint se talem Mediatorem & intercessorem habere, qui causam eorum diligentissimè agat apud Patrem. *Quis est, qui condemnet electos?* inquit Apostolus, *Christus est, qui interpellat pro nobis*, Rom. 8. v. 34. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum iustum.* 1. Joh. 2. ver. 1. *Quamvis ergo diabolus coram Deo nos accuset die ac nocte*, Apoc. 12. 10. quamvis lex propter peccata nos accuset, quamvis conscientia nostra nos accuset, tamen in hujus Mediatoris nostri intercessione Sacerdotali confidamus. Christus Mediator noster à nostris stat partibus, quod ergo per nos ac nostra merita impetrare non possumus, ipsius merito & intercessione obtinebimus. 4. Exemplo Christi non solum pro nobis sed etiam pro aliis oremus, 1. Tim. 2. v. 1. Jac. 5. v. 16. Sumus unius corporis mystici membra. Æquum igitur est, ut mutuis precibus nos invicem juvemus. 5. Cum primis verò pastores pro auditoribus fidei suæ commissis orent. *Absit à me peccatum istud, ut cesset pro vobis orare ad Dominum*, inquit Samuel, 1. Samuel. 12. ver. 23. Paulum Apostolum pro Ecclesiis à se plantatis & auditoribus ministerio suo conversis assidue orasse patet ex 2. Cor. 13. v. 7. Ephes. 1. v. 16. cap. 3. v. 14. Phil. 1. v. 4. & 9. Coloss. 1. ver. 3. 2. Thess. 1. v. 11. &c.

Propositioni jam subjungit Christus rationes à persona sui ipsius petitas & quidem tres. 1. *Apropria sua possessione.* Qui mei sunt, pro illis meritò rogo & illorum curam tu Pater meritò suscipis. Apostoli hi sunt mei. Ergo meritò pro illis rogo & eorum curam tu Pater meritò suscipis. Major est manifestæ veritatis, Christus enim *agnoscit suos*, Joh. 10. v. 14. & 27. *diligit suos*, Joh. 13. 1. ergo etiam meritò pro illis rogat. Pater cœlestis non solum Christum sed etiam eos, qui Christi sunt, diligit Joh. 16. v. 27. ergo illorum, qui Christi sunt, curam meritò suscipit. Minorem Christus primò *amplificat à con-*

Aaaaaa 3

tra-

trario. *Non pro mundo rogo sed pro iis, quos dedisti mihi.* Secundò probat duplici argumento. 1. Quia Pater cœlestis ipsos sibi dedit. Argumentum formari potest hoc modo: Quos Pater cœlestis Christo dedit, illi sunt Christi proprii. Sed Apostolos Pater cœlestis Christo dedit. Ergo Apostoli sunt Christi proprii. 2. Quia sunt Patris. Argumentum proponi potest hoc schemate indutum: Qui sunt Patris cœlestis proprii, illi etiam sunt Christi proprii. Apostoli sunt Patris cœlestis proprii. Ergo etiam sunt Christi proprii. Majorè probat Christus ex generali *non vultis cum Patre. Omnia mea tua sunt & tua mea sunt.* Ergo Apostoli, qui tui sunt, etiam mei sunt. Ex hac *avayvōs* manifestum est, Christum non repetere hoc loco priorem rationem in v. 6. propositam, *tui enim & mihi eos dedisti*, sed novam afferre rationem ex priore illa deductam. Quia Apostoli, pro quibus rogo tui sunt, idè etiam mei sunt. Et quia mei sunt, idè pro illis meritò rogo. Expendamus verò singulas argumenti partes. Amplificatio argumenti à contrario sic habet. *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi.* Calviniani negantes Christum pro omnibus esse mortuum in his verbis præceptum erroris sui fulcrum quærunt, perpetuò ingeminantes illud suum argumentum: *Pro quibus Christus non oravit, pro illis etiam non satisfecit.* Jam verò pro mundo, hoc est, finaliter impenitentibus & incredulis sive pro reprobis non oravit. Ergo pro mundo non satisfecit. Piscat in hunc locum: *Quia pro solis electis oravit, etiam pro solis electis sese Patri obtulit.* Resp. 1. perspicua sunt Scripturæ dicta & Solis quasi radiis scripta, quod Christus pro omnibus seipsum dedit precium redemptionis, Rom. 5. v. 8. 2. Cor. 5. v. 14. 1. Tim. 2. vers. 6. Hebr. 2. v. 9. quod sit mundo datus, Joh. 3. v. 9. quod sit mundi Salvator, Johan. 4. v. 42. quod sit agnus Dei tollens peccatum mundi, Johann. 1. v. 29. quod sit propitiatio non tantum pro nostris sed etiam totius mundi peccatis, 1. Joh. 1. v. 2. quod pro illis etiam sit mortuus, qui suâ culpâ pereunt, Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 1. Petr. 2. v. 1. &c. 2. Eius contrarium non potest ex his Christi verbis colligi, quod tam evidens est, ut quidam ex ipsis adversariis illud agnoscant. Musculus in hunc locum sic commentatur: *Mortuus quidem est Christus pro omnibus & propitiatio est pro totius mundi peccatis, verum ea gratia non recipitur nisi ab electis, à reprobis respuitur. Sicut ergo non sunt propitiationis huius capaces, qui illam per incredulitatem respiciunt, sic etiam orationis Christi capaces esse non possunt, qui mundo huic non regno Christi adherent.* Gualtherus in 1. Joh. 2. *Procul facestant omnes cogitationes, quæ Christi meritum ad paucos modo extendi persvadere conantur.* 3. Argumento ex verbis Christi formato diversimodè ab orthodoxis responderetur, quæ tamen responsiones non sunt contrariæ, sed subordinatæ, nec pugnant cum fidei analogia, sed ei exactissimè congruunt. 1. Quidam nomine mundi intelligunt cœteros omnes homines præter Apostolos, cum Christus peculiariter hoc loco pro Apostolis oret, qui soli in cœnaculo aderant, qui fuerant præcipui Christi sectatores peculiari amore ab ipso dilecti, quos missurus erat in totum orbem futuros totius mundi doctores & Ecclesiæ fundamenta. Hanc hypothésin si amplectamur, manifestum est, & ne ipsi quidem adversarii negare poterunt, nullam esse argumenti huius vim vel nervum. Ipsimet enim concedere coguntur,

Christum pro aliis etiam, quàm pro Apostolis esse mortuum, videlicet pro electis per sermonem Apostolorum in Christum credentibus. 2. Distingvendum ergo inter duplicem Christi Mediatoris intercessionem. Una est generalis, quæ totum mundum spectat, sicut etiam Filius Dei eo fine in mundum venit, ut in assumpta carne pro totius mundi peccatis satisfaceret ac totum mundum Deo reconciliaret, Ef. 5. v. 12. Luc. 23. v. 34. altera est specialis, quæ Christus vel pro omnibus verè credentibus & dilectis suis discipulis, vel pro solis Apostolis, vel pro Petro in individuo orat, ut hoc loco & Luc. 22. v. 32. Sic summus Veter. Test. Sacerdos Christi typus interdum pro toto populo, interdum pro quibusdam in specie oravit, sicut etiam distincta fuere sacrificia pro peccatis totius populi & pro certarum personarum peccatis oblata. Proinde non potest ita concludi. Christus hoc loco in specie orat pro Apostolis & pro illis, qui per sermonem eorum erant credituri. Ergo nullum unquam tempore oravit etiam pro aliis. Posset enim eodem modo concludi. Christus in specie oravit pro Petro. Ergo nullo unquam tempore pro reliquis Apostolis oravit. Quanto melius Areius in hunc locum: *Speciales hæc preces ad Apostolos solum pertinent, alias pro amicis, pro inimicis, pro hostibus, aliisque omnibus orat Filius Dei.* 3. Eo modo, quo Christus hic orat pro Apostolis ac pro credentibus, non oravit pro mundo, id est, pro incredulis & impenitentibus, sed non sequitur, ergo nullo planè modo pro incredulis & impenitentibus oravit. Christus eo modo pro Apostolis & omnibus per Verbum ipsorum credituris orat, ut in agnita veritate & concordia unanimitate conferventur, v. 11. 17. 21. & 22. eo modo non rogavit pro impenitentibus & incredulis. Quomodo enim pro illis orare posset, ut in agnita veritate & in bono conferventur, cum tenebris peccatorum & errorum adhuc toti sint immerfi & in maligno positi? *Quomodo* (inquit Stapulensis in hunc locum *pro idololatriis & persecutoribus posset sic rogare. Pater serva eos in nomine tuo, quomodo posset de illis dicere tui erant, tu mihi eos dedisti, ego glorificatus sum in eis?* Interim alio modo pro ipsis orat, videlicet ut ad agnitionem veritatis perducantur, ut convertantur & credant &c. Pro iis rogat, ut in bono persistant; pro impiis & peccatoribus, ut à malo desistant. Pro piis rogat, ut in fide conferventur; pro impiis, ut ad fidem perducantur, non autem ut in sua incredulitate conferventur. Lutherus in h. l. tom. 5. Witteb. p. 198. *Pro mundo rogare & pro mundo non rogare utrumque est bonum & rectum. Mox enim in sequentibus dicit Christus, non pro eis tantum rogo, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum. Hos certè, priusquam ad fidem convertuntur, de mundo esse oportet, idè pro mundo ipsi orandum propter eos, qui adhuc sunt convertendi. Sanctus Paulus haud dubiè etiamnum de mundo erat, cum persequeretur & occideret Christianos: ait amen S. Stephanus rogabat pro eo, ut converteretur: ita Christus quoque rogabat in cruce. Pater, ignosce illis. Ita verum esse videmus, quod pariter pro mundo roget & non roget, hoc autem inest discriminis. Non rogat pro mundo hoc modo, quo pro suis Christianis rogando utitur. Pro Christianis ita rogat, ut penes rectam fidem maneant, inque ea proficiant ac pergant, neque ab ea desistant, pro convertendis orat, ut relicta priori vitâ ad fidem accedant.* 4. Huic respon-

sioni

stioni affine est, quod quidam distinguendum esse dicunt inter officium Christi *Sacerdotale & Propheticum*. Respectu officii Sacerdotalis Christus tanquam summus Nov. Testam. Pontifex pro omnibus deprecatus est, cum seipsum in ara crucis tanquam victimam pro totius mundi peccatis Deo Patri offerret: respectu officii Prophetici Christus impoenitentibus & reluctanter peccatoribus clavigigante peccata retineri voluit. Luther. in gloss. marg. h. l. *Non rogo, ut mundi & incredulorum actionibus delesteris*, perinde ut Moses Num. 16. v. 15. orat: *Non acceptes sacrificium Coreb*, ac David Psalm. 59. v. 6. *Non miserearis omnibus operantibus iniquitatem &c.* quin & Christus ipse dicit, Pf. 16. v. 4. *non ero memor nominum eorum per labia mea*. 5. Quidam distinguunt inter orationem Christi *sufficientem* sed non *efficacem*, & inter orationem *sufficientem ac simul efficacem*. Priore modo ut pro omnibus est mortuus, ita quoque pro omnibus oravit, posteriore modo pro illis tantum orat, qui credunt & per fidem salvantur. Sed hæc distinctio rectè explicanda est, ut causam illius (ut sic dicam) inefficaciam non statuatur in Christi passione & intercessione, sed in ipsis hominibus salutarum precum Christi fructu & efficaciam seipsum privantibus. 6. Simplicissima responsio colligitur ex toto contextu. Christus inter causas, propter quas pro Apostolis roget, etiam hanc affert, quod non roget pro mundo, sed pro talibus, quos Pater ipsi dederit, & qui sermonem ejus servaverunt. Ostendit igitur iustitiam & aqvitatem suarum precum, neque enim pro omnibus quævis sunt petenda, cum nec impoenitentibus quamdiu tales manent, peccatorum venia, nec incredulis, quamdiu tales manent, salus æterna sit petenda. Inde Christus Apostolos suos Patri commendans dicit. *Non rogo pro mundo*, id est, pro impiis & perditis hominibus, qui sermonem tuum repudiaverunt, ac me in mundum à te in commodum ipsorum misum persecuti sunt, sed pro iis, quos dedisti mihi, qui sunt proprii & dilecti mei discipuli. *Mundi enim nomine hic intelliguntur pertinaces verbi contemtores & discipulorum Christi persecutores, qui sacrificium pro peccatis ipsorum in ara crucis oblatum & doctrinam Evangelii, in qua beneficia Christi nobis offeruntur præfractè repudiant, qui patiuntur se regi à Principe mundi, ut Spiritui sancto resistant & ad Christum converti nolint, de quibus Joh. 14. v. 17. Christus dixerat: *Mundus non potest accipere Spiritum sanctum, quia non videt eum nec scit eum*. & cap. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, scitote quod me prius quam vos odio habuerit*. Cum qua expositione non pugnat, quod alii nomine mundi intelligunt eos, qui corde suo mundo adhærent, qui carnis desideria liberè perficiunt, qui mundi amicitiam verbo Christi præferunt &c. inde enim atque ideo Evangelium Christi repudiatur & ejus confessores odio habentur, quod homines à mundo segregari & carnis suæ concupiscentiis resistere, & crucem cum Evangelio conjunctam suscipere renuunt, Aug. tract. 107. in Joh. *Mundum vult intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi & non sunt in ea sorte gratiæ, ut per ipsum eligantur in mundo*. Simon de Cassia l. 12. c. 16. *Mundi nomine intelliguntur, qui tam dulci vinculo mundo colligati sunt, ut nolint ab eo dissolvi*. Albert. in h. l. *Mundus hic sumitur pro affectu mundano cum voluntate permanendi*. Hic mundus non est dignus exauditione & contra orationem operatur. Colligitur*

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

autem ex hac antithesi: 1. Non omnes homines fructum passionis & intercessionis Christi percipere, sed magnum esse eorum numerum, quibus passio Christi nihil prodest & in quibus Christi sanguis quasi sterile scit. 2. Exprimuntur illi nomine mundi, quo intelliguntur amatores mundi, contemtores verbi & persecutores cœtus Christiani. Quotquot enim mundo adhærent, quotquot desideria carnis securè perficiunt, quotquot verbum repudiant ac persequuntur, illi, quamdiu sunt ac manent tales, à Christo & salute æterna manent exclusi. 3. Ecquid verò triftius cogitari posset, quam à fructu passionis & intercessionis Christi exclusum esse? Et qui tales sunt ac manent, illos certissima manet damnatio. Mundus deberet adhæc cohorrescere, sed æstimat ludum ac jocum suum præsentissimo exitio. 4. Quia Christus non orat pro mundo, ergo extra Ecclesiam, ad quam solam specialis Christi oratio pertinet, nec gratia Dei, nec remissio peccatorum, nec vitæ æternæ promissio locum habet. Atque eo ipso vera Ecclesia distinguitur à Synagoga malignantium & omnibus cœtibus gentilium, Turcarum, Judæorum, imò etiam ab hæreticis & hypocritis, qui externam duntaxat societatem Ecclesiæ sunt conjuncti, quod Christus specialiter pro sola Ecclesia & veris ejus membris orat. 5. Mundus justo Dei judicio sibi ac suæ voluntati relictus quotidie in pejora ruit, quia destituitur speciali illa Christi intercessione. 6. Nequaquam igitur per absolutum aliquod reprobationis decretum, sed judiciaria & consequente Dei voluntate ingratitude erga Christi beneficia & contemptum verbi puniente mundus beneficio intercessionis Christi privatur.

Huic amplificationi argumenti à contrario subjungit Christus geminam minoris probationem. Quod enim Apostoli sint ipsius proprii ac proinde merito pro illis oret, illud probat i. ex eo, quod Pater cœlestis illos sibi dederit. *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, &c. & dederas, h. e. & ἐκεῖνας δὲ δέδωκας* per usitatum Græcismum quo etiam & iterum ponitur pro *væp*. Quæ vero ratione Pater cœlestis Apostolos Christo dederit, expositum fuit superius in v. 6. Addit ibidem Christus, quod Pater ipsi dederit Apostolos *de mundo*, qui *ἀποστολοποιούς* hoc loco repetendus. *Non rogo pro mundo sed pro Apostolis, quos dedisti mihi de mundo*, qui propter hanc dationem non sunt de mundo, pro quo me non rogare dixi. Augustin. in h. l. *Non pro mundo sed pro his, quos Pater ei dedit, rogare se dicit, per hoc enim, quod eos Pater illi jam dedit, factum est, ut non pertineant, ad eum mundum, pro quo non rogat*. Quidam existimant, Christum hic respicere ad Patris cœlestis dilectionem, ut sit sensus: Quia Apostolos hosce meos intimo & constantissimo amore complecteris, ex quo factum est, ut eos mihi dederis, & vero hanc tuam erga ipsos voluntatem non mutas, ac quia me hujus tui erga ipsos amoris testem atque interpretem esse voluisti, ideo pro illis rogo. Sed ex analysi superius proposita manifestum est, Christum hoc loco non tam ad fontem dationis, videlicet ad æternam Patris dilectionem & electionem respicere (quò in argumentis à persona Patris petitis in versic. 6. verbis hisce respexit) quam ad dationem ipsam & quidem dationis hujus objectum, videlicet ad seipsum, cujus Apostoli per illam dationem

Aaaaaa 4

tio-

tionem facti sunt proprii, unde Christus pro illis tanquam suis merito se orare asserit. Chryso-
stomus homil. 80. in Johannem. *Ille particula, dedisti
mibi & huiusmodi ostendit, non tanquam alienum se venisse,
ut eos ad se traheret, sed res idcirco accepisse.* 2. Ex eo,
quod Apostoli sint Patris proprii & consequenter
etiam ipsius Christi proprii. *Rogo, inquit, pro iis,
quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Posteriora isthac
verba, *quia tui sunt*, quidam conjungunt cum pro-
ximè præcedentibus, ut intelligatur ratio reddi,
quare Pater illos Filio dederit. Quia enim Apo-
stoli erant Patris proprii, & verò Pater omnia sua Fi-
lio communicat, ideo etiam Apostolos Filio do-
nat. Vel etiam ideo hoc addi, ne quis suspicetur
Patrem per hanc dationem Apostolorum posses-
sione sese abdicasse. *Neque enim quia Pater eos Filio
dedit, amisit eos, quos dedit, ut rectè monet August.
tract. 107. in Joh. Sed quia hanc rationem à propria
Patris possessione defutam in prima classe Christus
proposuit, ideo verba illa, quia tui sunt, rectius
conjunguntur cum propositione. Rogo pro illis, quia
tui sunt, ut sic reddatur ratio, quare peculiariter
pro Apostolis oret & non pro mundo, nimirum
quia Apostoli sint ipsius proprii. Ergo ut ex ver-
bis non rogo pro mundo, extrema mundi, id est, in-
credulorum, impænitentium, Verbi contemto-
rum & Ecclesiæ persecutorum colligitur miseria;
ita ex his verbis, rogo pro iis, quia tui sunt, colligitur
1. Maxima felicitas & dignitas verè credentium in
Christum, quod scilicet sint non solum Patris cœ-
lestis, sed etiam Christi proprii. Vera verè Eccle-
siæ membra sunt Dei peculium *λαός οὐκ ἐστὶν
λαός εἰς ἐπιπέδον*, Exod. 19. v. 6. 1. Petr. 2. v. 9.
Cum enim nondum essent, Filius Dei cum Patre
& Spiritu sancto eos pro suis reputavit & ante *facta
mundi fundamenta* eos ad salutem elegit, Joh. 15, 16.
idem Filius in plenitudine temporis homo factus
proprio suo sanguine eos sibi *mercat* est ex omni &
lingua & populo & gente, & fecit eos Deo Reges & Sacerdo-
tes, Apoc. 5, 9. & 10. fecit eos sibi proprios non na-
turâ sed gratiâ, non procreatione, sed redemptione,
non generatione carnali, sed redemptione spiri-
tuali. Sic ergò verè in Christum credentes sunt proprii
Patris, qui eos in Christo ad vitam æternam elegit
& ad Christum per vocationem traxit: sunt proprii
Filii, qui eos proprio suo sanguine redemit & my-
stico suo corpori inseruit: sunt proprii Spiritus sancti,
qui eos illuminat & tanquam spirituale & prop-
rium suum templum inhabitat. 2. Quod solis illis
passio & intercessio Christi prosit, qui sunt Christi
proprii, hoc est, quos Deus ab æterno in Christo
elegit, ac in tempore vocat & justificat, qui Chris-
to verâ fide constanter adherent, *qui à mundo sese
incontaminatos custodiunt*, Jacob. 1. v. 27. 3. Quod
Deus nulla re magis ad misericordiam flectatur,
quàm quod simus ipsius proprii. Ergo in precibus
nos & nostram salutem Deo commendantes ac gra-
tiam & auxilium ab ipso petentes hoc præcipue ur-
geamus, quod non simus alieni & extranei, sed ip-
sius proprii ac domestici, Eph. 2, 19. quod simus ipsi
peculium, per Christum redempti, in filios Dei ado-
ptati, & mystico corpori Christi insiti, Esa. 64, 8. *Et
nunc, Domine, Pater noster es*, vers. 9. *Populus tuus omnes
nos*, Sap. 15, 2. *Si peccaverimus, tui sumus*. 4. Quod ex-
emplo Christi peculiari amore illos complecti, &
pro illis speciali fiducia orare debeamus, qui sunt*

Christi proprii, qui sunt dilecti Patris Filii, Christi
fratres & Spiritus sancti templa. Sicut beneficien-
dum quidem omnibus, maximè tamen *fidei domesti-
cis*, Gal. 6, 10. ita in precibus in genere oremus, ut
Deus omnium misereatur, interim in specie & pec-
uliariter pro salute & incolumitate Ecclesiæ ora-
re debemus. Nec est, quod quis regerat, *exemplo
Christi non esse rogandum pro mundo, id est, pro impi-
tentibus, contemtoribus, & persecutoribus, sed pro sola Ec-
clesiâ & ejus membris*. Est enim hic diversa ratio inter
Christum & nos. Christum in luce divinæ suæ om-
nificentiæ exactissimè novit, quinam in sua im-
pœnitentiâ & incredulitate ad finem usque vitæ
permanfuri erant, pro illis ergò non oravit, nobis
autem dum in hac vita adhuc perfidem ambula-
mus, non constat hoc in individuo, igitur ex cari-
tate pro omnibus, etiam pro ipsis persecutoribus
oramus, Matth. 5, v. 44. Luc. 6, v. 28. interim quan-
do rogamus, ut *sanctificetur nomen Dei, adveniat re-
gnum Dei, & fiat voluntas Dei sicut in celo, ita quoque in
terra, simul petimus interitum præfractorum & ob-
stinatum Ecclesiæ hostium*, Psal. 59, v. 6. *Non
misereris omnibus qui operantur iniquitatem*, Eflh. 14, v.
13. ut ipse pereat & ceteri, qui ei consentiunt. Ne-
que enim rogandum pro persecutoribus, ut in suis
conatibus sint felices & consilia ipsorum prosperè
succeedant, sed ut vel convertantur, vel si converti
nolint, & in sua crudelitate pertinaciter perseve-
rent, evertantur 1. Johann. 5, versic. 16. *Est pecca-
tum ad mortem, non dico, ut pro illo quis roget.*

Connexionem majoris in argumento postero-
re. Qui sunt Patris proprii, illi etiam sunt mei, jam
porro Christus probat generali assertionem de sua &
Patris *κοινωνία*, subjungens: *Et omnia mea tua sunt, &
tua mea sunt*. Vocula *κοινωνία* non solum ad prius, sed
etiam ad posterius membrum pertinet, *omnia mea
tua sunt, & omnia tua mea sunt*, ut evidenter colligi-
tur ex loco parallelo, Joh. 16, v. 15. *omnia quæcumque
Pater habet, mea sunt*. Particula *καὶ* in priore membro
ponitur *ἀπὸ τοῦ πατρὸς*, Gen. 20, v. 4. Ps. 60, 12. Psal.
108, 13. Ef. 5, 3; 11. 1. Joh. 1, 2. &c. ratio enim red-
ditur, cur Christus dixerit se pro Apostolis tanquam
sibi propriis orare, idque probaverit ex eo, quia sint
Patris. Ideò verè dicere possum ipsos & tuos &
meos esse, quia *omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*. Ly-
ranus hæc verba accipit *de inseparabili divina & humane
nature in Christi unione, & ex ea orta idiomatum divino-
rum communicatione, per quam humana adscribuntur
Christo Deo & divina Christo homini*. Sed Christus in
his precibus Patrem cœlestem alloquitur, ac inter
Patrem & Filium non est unio *personalis*, sed unitas
essentialis, nec ob communicationem idiomatum
ea, quæ sunt Christi hominis, directè tribuuntur
Patri, nec ea, quæ Patris sunt, directè tribuuntur
Christo homini, sed ut ipsa unio *personalis*, ita quo-
que ex ea orta idiomatum communicatio inter di-
vinam & humanam Christi naturam versatur. Er-
go *proprie & principaliter* hic loquitur de sua secun-
dum divinam naturam cum Patre *κοινωνία*, de
qua etiam superius dixerat, Johann. 16, versic. 15.
Omnia quæcumque Pater habet, mea sunt, interim
non negamus, Christo etiam secundum huma-
nam naturam potentiam, gloriam & maje-
statem verè divinam competere, non tamen
essentialiter sed *personaliter*, per & propter hyposta-
ticam

ticam humanæ naturæ cum divina unionem, ejusdemque ad dextram Patris collocationem. Photiniani negantes Patris & Filii *ὁμοουσίαν* tantum de Apostolis voculam *ἁπλῆ* accipiendam esse statuerunt, utpote de quibus hoc loco unice sit sermo. Catech. Racov. pag. 127. Sed quod tum hic ipse locus, tum alter ei parallelus, Johann. 16. versic. 15. non possit nec debeat aliter accipi quam de divinæ essentia in Patre & Filio unitate, compluribus argumentis in cap. proxime præcedente, in explicatione loci paralleli fuit demonstratum, & ad Photinianorum argutias responsum. Hoc loco illud urgemus, quod juxta hanc Photinianorum hypothesein ἀδόξα quædam in verbis Christi statueretur, quam absit, ut concedere velimus. Scopus Christi est demonstrare, quod Apostoli sint sui proprii. Probat illud ex eo, quia sunt Patris. Argumentum ergo ipsius sic habet: Qui sunt Patris proprii, illi etiam sunt mei proprii. Sed Apostoli sunt Patris proprii. Ergo & mei. Majorem confirmat ex sua & Patris *ὁμοουσία*. *Omnia mea sunt Patris, & omnia Patris sunt mea.* Finge vocabulum *ἁπλῆ* de folis Apostolis agere, sequetur Christum idem probare per idem, quod absit. Per *τὰ ἁπλῆ* igitur non tantum intelliguntur Apostoli, pro quibus Christus specialiter tunc orabat, nec tantum doctrina Christi, quod illa per omnia doctrinæ & voluntati Patris sit conformis, nec tantum bona creata sensu eo, quod sicut omnia creata sunt opus & possessio Patris, ita etiam sint opus & possessio Filii, imò Patrem & Filium esse unum creatorem & possessorem omnium creaturarum, & totius naturæ Dominum, sed etiam ipsa essentia & essentialia attributa, increata & infinita Patris & Filii opulenta, quia Pater per æternam generationem suam essentiam & omnia attributa essentialia Filio communicavit, & vicissim Filius ab æterno à Patre genitus unam & eandem cum Patre habet essentiam, quam explicationem non tantum series textus, fidei analogia & locorum parallelorum collatio, sed etiam unanimis piorum veterum testificatio confirmant. Athanas. in disput. cum Ario coram probo iudice. *Dona divina hoc modo intelligenda sunt Filio attributa. Dedit enim Filio Pater omnipotens omnipotentiam, majestatem majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudenti, præscientiam præscienti, æternitatem æternitati, divinitatem divinitati, œqualitatem œqualitati, immortalitatem immortalitati, invisibilitatem invisibilitati, Regi regnum, vitam vitam, & non aliam ab ea, quam habet, dedit, & quantum habet, tantum dedit, vel si quæ alia, quæ Pater indivisibiliter, & inseparabiliter contulisse monstratur. Sed hæc omnia nascenti potius quam indigenti dedisse probatur, cui à Filio dicitur. Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt. Si ista omnia, quæ prohibetur Pater Filio contulisse, alia in eo, & alia videntur esse in Filio, mendacem sine dubio facimus Filium, qui dicit, sua esse quæ Patris sunt.* Hilar. lib. 2. de Trin. *Neque pars Patris est in Filio, testatur enim Filius mea omnia tua sunt, & tua mea. Perfectus à perfecto est, quia qui habet omnia, dedit omnia, neque ideo existimandus est non dedisse, quia habeat, vel non habere, quia dederit.* Basil. lib. 2. contra Eunom. *Illud vero cui non patet, quod nulla Filii operatio à Patre divisa est? nec est aliquid in rebus, quod Filio in se, & à Patre alienum fuit. Omnia, inquit, mea tua sunt,*

& tua mea, libr. 4. contra Eunom. Si Filius creatura Patris solus, cuncta verò cetera Filii, cum dixerit, mea omnia tua sunt, quod rectè dicere poterat Filius, ad hæc autem intulerit, & mea tua sunt, Eunomii ratione non rectè id intulit. Nam ipse sui ipsius esse non potest. Quare videtur de similitudine ac identitate ipsorum in omnibus similitique substantia, non de creaturis verba illa dixisse. Epiphani. contra Sabellium. *Τὸ δὲ ἐστὶ, τὰ τῆ Πατρὸς, ἀλλ' ἢ Θεὸς ὁ Πατὴρ, Θεὸς ἐμὶ, ὡς ὁ Πατὴρ, ὡς ἐμὶ. Πάντα τὰ τῆ Πατρὸς ἡμεῶν, ἐμὰ ἐστίν: Quid verò est ea, quæ Patris sunt? nisi quod Deus est Pater, Deus ego sum. Vita est Pater, vita ego sum. Omnia quæ Patris mei sunt, ea sunt mea.* Amb. libr. 5. de fide cap. 3. *Ut scires magnum Deum, & salutarem & omnipotentem Dei Filium, indicium sue majestatis admisit, dicendo, Et mea omnia tua sunt, & tua mea.* Nazianzen. lib. 4. de Theolog. *Nec fieri potest, nec concedendum est unquam, Filium aliquid facere, quod non faciat Pater. Omnia enim quæ Pater habet, Filii sunt sicut vicissim, quæ Filii sunt, eadem & Patris sunt. Nihil ergo proprium, quia omnia communia. Quando ipsum illud esse commune est, & in eodem dignitatis gradu utriusque, tamen si Filio est à Patre.* August. tract. 107. in Johann. *Non est fas, ut sancti, de quibus hæc locutus est, cujusquam sint, nisi ejus à quo creati & sanctificati sunt, ac per hoc & omnia, quæ ipsorum sunt, necesse est, ut ejus sint, cujus & ipsi sunt. Ergo cum & Patris & Filii sint, æquales eos esse demonstrat, quorum equaliter sunt. Gaudetius de promiss. Paracleti serm. 14. tract. 14. *Tua omnia mea sunt, & mea tua sunt, per unitatem scilicet divine substantiæ, quæ nescit aliquid habere suum, quod naturæ suæ non sit.* Cyrill. lib. 1. in Johann. cap. 3. *Filius ad Patrem versatoratione, omnia mea, inquit, tua sunt, & tua mea. Si ergo minor Patre Filius est, & Filio Pater major, ut heretici sentiunt, quoniam quæ Filii sunt, Patris sunt, & quæ Patris, Filii, minus ipsum quod in Filio est, Patri etiam in heretico majus ipsum, quod in Patre est, Filio quoque necesserit accommodabitur. Nihil ergo prohibebit Patrem quoque Filio minorem credere, & Filium Patre majorem. Quæ omnia cum absurdis sint, necesse est, æqualem omnino Patri Filium esse, cum omnia, quæ Patris sunt, communia sibi cum Filio sint.* lib. 11. cap. 19. *Omnia mea tua sunt &c. Ubi summa identitas naturæ persulget, ibi gloria perfectionum incommutabilis est, nec divisa, sed una & eadem. Nam cum perfectionum Patris substantialiter Filius heres sit, omnia ipse quæ genitoris sunt, possidet & Patrem sua rursus omnia habere ostendit. Hunc credendi modum divina nos Scriptura edocuit. Albert. in hunc locum: *Omnia mea tua sunt per inseparabilitatem substantiæ tibi unita, & omnia tua mea sunt per generationem substantialem mihi communicatam. Plura hujusmodi adducta sunt superius in explicatione Joh. 16. 15. Ex eo jam facile apparet, quæ ratione hæc verba cum superioribus conjungantur. 1. Principalis Christi scopus est demonstrare, quod merito oret pro Apostolis, cum illi non solum sint Patris proprii, sed etiam sui. Illud efficaciter demonstrat ex eo, quia omnia cum Patre habeat communia. *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Sed si Apostoli, pro quibus rogo, sunt tui, ergo etiam sunt mei, ac proinde eorum curam merito suscipio & pro illis oro. 2. Ut sciam cum Patre *ὁμοουσίαν* ex qua confirmatio argumenti deducitur, evidenter exprimeret, non solum dicit *tua mea sunt*, sed etiam *mea sunt tua.* Clarissime igitur demonstrat, se ut Deum non esse creaturam vel servum, sed Patri***

Patri per omnia æqualem. Theophyl. in hunc locum: *Si Filius Patre minor esset, quomodo ausus fuisset dicere: Omnia tua mea sunt? Nam Dominus quidem omnia habet, quæ sunt servi, servus autem non omnia quæ sunt Domini.* 3. Inest etiam his verbis alia orationis Christi confirmatio. Ideò merito impetrare debeo, quod rogo, quia omnia tua bona sunt mea. Ut tu Pater omnipotens, ita & ego Filius sum omnipotens. Item quia omnia mea tua sunt, id eò etiam Apostoli mei sunt tui, proinde quia pro tuis illos agnoscis, nec alienos, sed proprios tibi commendo, id eò æquum est, ut à te exaudiar & voti compos reddar. Quia inter nos est essentialis, voluntatis, potestatis, gloria & rerum omnium communio; & verò ego Apostolos præ cæteris elegi, ut essent mei, id eò etiam tui sunt, ac proinde eorum merito ut tuorū curam suscipis. Sed ad hunc scopum verba illa, *tui erant, & mihi eos dedisti*, in v. 6. præcipuè sunt directa. 4. Quoniam dixerat, eos qui sibi à Patre erant dati, esse Patris, querere quis poterat, quomodo Patris sint, si à Patre ipsi dati sint? id eò addit, *& mea omnia tua sunt*. Vicissim ne quis cogitaret, eos qui ipsi à Patre dati erant, ab ejus dominio & possessione aliquando fuisse alienos, vel ex universa Patris possessione eos solos ipsum à Patre accepisse, id eò addit *& tua omnia mea sunt*. Chrysost. homil. 80. in Joh. *Ut pravam suspicionem tolleret, ne quis novum ipsius arbitrareretur imperium, & nuper eos accepisse, inquit, mea omnia tua sunt. Ecce equalitatem. Ne enim audiendo, quos dedisti mihi, aut sub Patris voluntate non esse, aut nihil ante ad Filium pertinuisse arbitrareris, utrumque his verbis tollit, quasi dicat: Noli, quia audis, Patrem mihi eos dedisse, existimare, alienos jam à Patre esse, mea Patris sunt, neque quod dixerim Patris esse, alienos à me ducas, nam quæ Patris sunt, mea sunt.* Cyrillus in hunc locum. *Qui Christo dati sunt, Patris erant, sed à Christo propterea non fuerunt alieni, regnat enim cum Patre simul, cumque unum regnum sanctissime consubstantialisque Trinitatis sit, ipse Pater per Filium in Spiritu regnat. Ita quicquid Filii est, gloriæ Patris subjicitur, & quicquid Patris subjicitur, in eo Filius dominatur, id eò ait: Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Simon de Cassia lib. 2. cap. 16. *Ne inter Patrem & Filium credatur in possessione diviso, adjectum est: Et mea omnia tua sunt.* Sic ergo utrumque his verbis Christus præcavit, tum ne Pater cogitetur ullo unquam tempore aliquid habuisse, quod non haberit Filius, tum ne putetur Pater Apostolorum possessione & dominio se abdicasse, ut jam sint ab ipso alieni, quando eos Filio dedit. 5. Quia ut homo dixerat, *tui erant, & mihi eos dedisti*, siquidem Christo, ut homini datur, quicquid in tempore ei datur, id eò ut Deus jam subjungit. *Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt*, conjungit enim semper hujusmodi sententias, ut in personæ unitate & verus Deus & verus homo credatur. Colligitur ergo ex his verbis 1. *vera Christi Deitas*. Nisi esset verus cum Patre Deus, non posset dicere ad Patrem, *omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt*. 2. *Summa Ecclesiæ & verè piorum felicitas*. Si omnia, quæ sunt Filii, etiam sunt Patris, ergo etiam credentes in Christum sunt Patris proprii. Quomodo verò Pater, quod sibi proprium est, negligeret? Si omnia, quæ sunt Filii, sunt etiam Patris & vice versa, omnia quæ sunt Patris, sunt etiam Filii, ergo Patris & Filii est una voluntas, una & æqualis po-

tentia in servandis credentibus. Ecquid ergo illos ex manu Christi, quæ etiam est manus sive potentia Patris, eripere poterit? Hanc consolationem inculcat nobis Christus, Johann. 10. versic. 28. *Oves meas non rapiet quisquam de manu mea*, versic. 29. *Pater meus, qui dedit mihi, major est omnibus, & nemo potest rapere de manu Patris mei*, versic. 30. *Ego & Pater unum sumus*. 3. *Maxima piorum opulentia ac dignitas*. Sicut Pater & Filius omnia habent communia per *κοινωνίαν* & unitatem naturæ essentialis: ita quoque verè pii redduntur divinæ naturæ *κοινωνοί* per unionem spirituales 2. Petr. 1. vers. 4. unde Johannes dicit, *κοινωνίαν nostram esse cum Patre & cum Filio ejus, Jesu Christo*, 1. Epist. 1. vers. 3. In Christo habemus omnia, quia Patrem, & omnia quæ Patris sunt, certà ratione in illo habemus, 1. Corinth. 3. versic. 21. *omnia vestra sunt*. Confer dicta in cap. præced. pericop. priore circa finem.

Atque hæc est *prima ratio* à sui ipsius personâ ducta, propter quam Christus pro Apostolis se orare aasserit, nimirum quia sunt propria ipsius possessio. *Altera ratio* petita est à Christi in Apostolis glorificatione. *Et glorificatus sum in eis*. Connexio est pulcherrima. Nam 1. sicut Christus in *prima* rationum classe hæc duo conjunxerat, quod Apostoli sint Patris proprii, & quod Pater per manifestationem nominis sui in Apostolis fuerit glorificatus; ita quoque in hæc *tertia* rationum classe hæc duo conjungit, quod Apostoli sint ipsius proprii, & quod ipse in eis fuerit glorificatus. 2. Dixerat Christus, Apostolos à Patre sibi datos esse, jam subjungit, quod ipse in eis glorificetur. Ostendit igitur se in eis, qui à Patre sibi dati sunt, glorificari, & vicissim eos, in quibus glorificatur, esse ex numero sibi à Patre datorum. 3. Stapulensis talem profert connexionem. *Hæc claritas, quâ me clarificaverunt, & quos dedisti mihi, credendo mihi, me amando & sequendo, mea jussa capessendo, tuum munus est, quod etiam tibi acceptam refero*. 4. Dixerat Christus *tui sunt*, jam subjungit, *& glorificatus sum in eis*. Docet igitur, quod Pater illos tantum pro suis agnoscat, qui Filium glorificant, imò quod soli illi Patrem verè glorificent, qui Filium glorificant, Joh. 5. v. 23. 5. Dixerat Christus, se Patrem apud Apostolos glorificasse nominis ipsius manifestatione, jam subjungit, se in Apostolis esse glorificatum. Docet igitur apud illos Patrem glorificari, in quibus Filius glorificatur, ac Patrem aliquando cum Filio illos glorificaturum, apud quos Pater & Filius fuere prius glorificati. De his omnibus nos monere potest connexio, ex qua etiam apparet, per Pronomen *αὐτοῖς* intelligi Apostolos, pro quibus Christus hic specialiter orat. Augustinus tractat. 107. in Johann. per *αὐτοῖς* intelligit fideles per Apostolorum prædicationem post Christi resurrectionem demum ad ipsum convertendos, vel certè Apostolos, non quales tunc erant, sed quales aliquando futuri erant, ut sic præteritum *dedisti* proponatur pro futuro. Nunc, inquit, summam clarificationem tanquam facta sit, dicit, cum adhuc esset futura, superius autem à Patre posebat ut fieret. Sed utrum ipsa sit clarificatio, de qua dixerat, & nunc clarifica me, Pater, apud te ipsum &c. utique revolvendum est. Si enim apud te, quomodo in eis? an cum hoc ipsum innotescit eis, ac per ipsos omnibus, qui credunt eis testibus suis? Possimus plane intelligere, sic dixit.

dixisse Dominum de Apostolis, quod clarificatus sit in eis. Dicendo enim esse jam factum, ostendit jam fuisse prædeterminatum, & certum haberi voluit, quod esset futurum. Sed contextus manifestum facit, Christum de Apostolis & de præsentibus eorum statu proprie præcipue loqui, ita tamen ut non excludatur, sed potius includatur glorificatio ipsorum ministerio post Christi resurrectionem adhuc futura. Ut enim verba præteriti temporis in v. 6. 7. & 8. retinent nativam suam significationem, ita quoque Verbum *dedisti* in hoc v. 10. in propria significatione accipiendum. Euthymius Pronomen *αὐτοῖς* refert ad proximè præcedens membrum. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Et glorificatus sum in eis scilicet omnibus, quæ tua sunt. Eodem etiam abire videtur Theophyl. quando in hunc locum sic commentatur: *Glorificatus sum in eis, hoc est, potestatem illorum habeo, ut Dominus, qui in eis glorificor, sicut & Regis filius æqualem cum Patre potestatem habens ac regnum, glorificatur in eo, quod tantum a habet, quanta Pater &c. Glorificatur igitur Filius in his, quæ sunt Patris. Tantam enim omnium potestatem habet quantum & Pater.* Sed Chrysof. homil. 80. & Cyrillus l. 11. c. 19. rectius ad Apostolos referunt, cum statim jungatur. *Et jam non sunt in mundo, scilicet illi mei, pro quibus rogo, & in quibus sum glorificatus. Novam igitur Christus hic assert rationem, quare pro Apostolis oret, nimirum quia in eis fuerit glorificatus. Non pro mundo rogo, sed pro iis, in quibus sum glorificatus. Mundus me odit, blasphematur & persequitur, sed in his Apostolis meis glorificor, in quibus igitur pro illis oro. Quomodo verò Christus fuit in Apostolis glorificatus? Chrysof. d. l. exilimat, Christum ratione potestatis & domini fuisse in Apostolis glorificatum. Si non similiter, inquit, clarificatus est in eis, non iam ipsius essent, quæ illius. Nemo enim, in quibus non habet potestatem, clarificatur. Sed idem Chrysof. alium glorificationis modum subiungit, qui propius ad textum accedit. *Clarificatus sum in eis, vel quod in mea potestate sunt, vel quod glorificant me, cum tibi & mihi credunt, & similiter clarificant.* Glorificatus ergo fuit Christus in discipulis, 1. *Ratione fidei & salutaris agnitionis.* Tunc enim Christus à nobis & in nobis glorificatur, quando ipsius personam & officium ex verbo rectè agnoscimus, ac in ipsam credimus. Quemadmodum contemtores verbi, qui in Christum non credebant, ignominia ipsam afficiebant, ita è converso Apostoli, & alii in ipsum credentes eum fide sua glorificabant. *δοξάζειν* τὴν εἰς est honestam & eximiam de aliquo habere existimationem. Ergo Apostoli Christum glorificabant credentes ipsum esse promissum Messiam & Dei Filium, unde dicuntur *vidisse gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, Joh. 1, 14.* Hanc expositionem suppeditat ipse Christus, quando in præcedentibus de Apostolis dicit v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. 7. Nunc cognoverunt, quod omnia quæcunque dedisti mihi abs te sunt. 8. Quia Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & verè cognoverunt, quod à te exivi, & crediderunt, quod tu me misisti. 10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea, & glorificatus sum in eis, id est, quia me agnoverunt verum & unigenitum tuum Filium, qui tecum omnia sine exceptione habeam communia, & crediderunt, me esse promissum Messiam, ideo glorificatus sum in eis.* Posset huc referri locus Apostolicus, 2. Cor. 3, 18. in quo verè pii in Christum credentes gloriam Do-*

mini dicuntur *ναὶ δοξάζειν* εἰς αὐτὸν velut specula quedam recipere, ut sic gloria Christi in eorum mentibus velut in speculo quodam reluceat. 2. *Ratione Confessionis.* Non solum in me crediderunt, sed etiam fidem suam professi sunt, dicentes: *Tu es Christus, Filius Dei vivi, Matth. 16, 16. Nos credimus & cognovimus, quod sis Christus Filius Dei viventis, Joh. 6, 69. Scimus, quod scias omnia & in hoc credimus, quod à Deo exivisti, Joh. 16, 30.* Quemadmodum enim Christum ignominia afficiunt, qui eum abnegant: ita è converso illum glorificant, qui eum confitentur. Matth. 10, 32. 3. *Ratione constantis adhesionis.* Non solum in me crediderunt, & fidem suam professi sunt, sed etiam *permanserunt mecum in tentationibus meis, Luc. 22, 28.* cum alii magno numero abirent, ipsi constantes manserunt, dicentes: *Domine, pro quibus? verba vitæ æternæ habes, Joh. 6, 68.* sic ergo sua fide, charitate, comitatu & constantia me glorificarunt, cum reliqui me hostiliter persequerentur, ipsi me sunt secuti. Proinde ut Dominus in fidelibus servis, Magister in morigeris discipulis, ita ego glorificatus sum in his meis Apostolis, mihi, ut Domino ac Magistro suo constanter adherentibus. 4. *Ratione ministerii & prædicationis.* Non solum amplexi sunt meam doctrinam, sed etiam ad prædicandum Evangelium à me ablegati suo ministerio gloriam meam in mundo illustrarunt, ut etiam alii per ipsorum prædicationem ad mei cognitionem perducerentur. Matth. 10, 7. Luc. 9, 6. Ergo etiam hoc modo glorificatus sum in eis, i. e. per eos, per ministerium eorum, quia præpositio *ἐν* respondens Hebræorum *ἐν* sæpè usurpatur pro *διὰ* Deut. 32, 21. Ps. 10, 10. Es. 45, 22. &c. Quinimò non solum me glorificarunt per Evangelii prædicationem in angustiis Judææ limitibus, sed etiam ac vel maximè post resurrectionem meam in toto terrarum orbe me glorificabant, Evangelium meum prædicantes omnibus gentibus, Matth. 28, 19. Marc. 15, 15. ac lucem Evangelii in Judææ angulo à me accensam in mundum univèrsam propagantes. Nec solum Evangelii prædicatione, sed etiam sanctam totius vitæ conversationem & sanguinis sui profusione me glorificabant. Initium glorificationis in ipsis & per ipsos factum, sed complementum accedet, quando per passionem & mortem in gloriam meam intravero. Hisce modis omnibus Christus in Apostolis fuit glorificatus. Ut enim Pater cælestis glorificatur in Filio, quando agnoscitur in Filio, quod ipsum miserit in mundum, Joh. 1, 33. 1. c. 14. v. 13. ita Christus glorificatur in Apostolis, quando agnoscitur in Apostolis, quod ipsos in mundum miserit ad prædicandum Evangelium, unde Christus v. 18. subiungit: *Sicut tu me misisti in mundum: ita & ego eos misi in mundum, quo fere sensu Apostolus dicit, Galat. 1. versic. 24. glorificabant Deum ἐν τῷ σώματι,* agnoscetes meum ministerium & celebrantes gratiam à Deo mihi præstitam. Pater in filio glorificatur nominis sui manifestatione, Filius in Apostolis glorificatus est fide & confessione. Quemadmodum etiam pii dicuntur Deum glorificare *ἐν τῷ σώματι,* quando corpore & anima Deo serviunt, ut omnia ipsorum opera ad Dei gloriam cedant, 1. Corinth. 6. versic. 20. ita Apostoli dicuntur Christum in se glorificare, quando omnes in ministerio suo actiones ad ipsius gloriam unicè referunt, ac in vita & morte gloriam nominis ipsius illustrare satagunt. Posset etiam haud absurde cogi-

cogitari, Christum *secundario* respicere ad glorificationem sui coram tribus Apostolis in transfiguratione factam, Matth. 17. v. 5. tunc enim viderunt, Christum *a Patre accipere honorem & gloriam*, 2. Petr. 1. v. 17. ac per Evangelii prædicationem gloria hujus nuntium post Christi resurrectionem ad alios perferentes suo modo etiam ipsi Christum glorificaverunt. Colligitur autem ex his verbis, 1. Christum pro iis orare, & eos pro suis agnoscere, in quibus & per quos glorificatur, ac proinde Ecclesiam esse cœtum eorum, qui Christum glorificant. Illorum salutem Christum non negligit, sed fidelem eorum curam agit, & ad dextram Patris sedens pro illis intercedit. Quia enim promovendæ & propagandæ Christi gloriæ unicè student, ideò Christus etiam ipsorum salutem curat. 2. Deum non glorificari, nisi ab illis, qui Christum glorificant, nec posse Ecclesiæ nomine illos gloriarī, qui Christi gloriam obsecrant. 3. Glorificari autem Christum à piis fide personam & officium ejus rectè agnoscere, in quæ ipsius meritò unicè acquiescente; confessione gloriæ veritatis ipsius verbo tribuente; invocatione & gratiarum actione; obedientiâ & sanctis operibus in ipsius agnitione & fide præstitis, Matth. 5, 16. 1. Petr. 4, 11. prædicatione Evangelii, per quam etiam alii ad agnitionem Christi perducuntur, Johan. 16. v. 14. patientia in cruce, sanguinis profusione propter constantiam in confessione Evangelii &c. Joh. 21. v. 19. 4. Quamvis hæc glorificatio Christi in nobis, & per nos facta sit in hac vita tantum inchoata & imperfecta, hæc ipsa tamen initia glorificationis Deo probari. Complementum & perfectio aliquando sequetur in vita æterna, Apoc. 4. v. 10. cap. 5. v. 8. &c.

Tertiam petitionis rationem desumit Christus à sua ab Apostolis discessione. Et jam non sum in mundo, & ii in mundo sunt, & ego ad te venio. Quidam hæc referunt ad rationem proximè præcedentem. *Glorificatus sum, sive glorificabor in eis; & jam non sum in mundo; & ii sunt in mundo; hoc est, ego jam jam relinquo mundum, hi manebunt adhuc aliquandiu in mundo, & me glorificabunt, triumphum meum super peccatum, mortem & infernum toti mundo in Verbo Evangelii annunciantes. Ergo meritò pro illis rogo. Sed rectius accipiuntur ut novæ ac peculiaris petitionis ratio à priore distincta: Brevi futurum est, ut ab his dilectis meis discipulis decedam, ac ipsos aliquandiu adhuc in mundo relinquam, ideo tuo præsidio & patrocinio eos fideliter commendo. Postquam Christus varias petitionis suæ rationes adduxerat, quarum quædam à Persona Patris celestis, quædam à persona Apostolorum, quædam à persona sui ipsius sunt desumptæ, jam in hoc ultimo argumento cum sua persona Apostolorum personam conjungit, & ab utraque persona petitionis necessitatem sibi afferri docet, à sua quidem persona, quia per mortem ab Apostolis sit discessurus, ac per ascensionem visibilem suam præsentiam illis subtracturus; ab Apostolorum vero persona, quia illi in mundo velut oves in medio luporum aliquandiu adhuc sint relinquendi, Matth. 10, 16. ut proinde vel maximè servatore & gubernatore indigeant. Cæterùm copulativa *et* in membro posteriore hic ponitur pro *adversativa*, Gen. 42, 10. Prov. 21, 1. Matth. 11, 19. &c. ac præsens in utroque membro juxta usitatum Hebraïsmum ponitur pro*

mox futuro. *Jam non sum in mundo*, id est, paulò post non ero in mundo, non diu amplius ero in mundo, non converlabor cum eis in mundo eo modo, quo hæcenus in carne visibili & mortali cum ipsis sum versatus, sed jam jam *relinquam mundum*, Johan. 16. versic. 28. in de Syrus particulam *et*, hoc loco reddidit per *et*, deinceps, ab hoc tempore non amplius sum in mundo. August. tract. 107. in Joh. Si horam prorsus illam, qua loquebatur, attendas, utique adhuc in mundo erant, & ipse scilicet & illi, de quibus hæc dicebat. Non enim secundum proventum cordis & vitæ id accipere possumus vel debemus, ut illi propterea adhuc esse dicantur in mundo, quod mundana adhuc sapiant, ille autem jam non esse in mundo, sapiendo divina. Positum est hic enim verbum unum, quod nos ita intelligere omnino non sinat, quia non ait, & non sum in mundo, per hoc ostendens, fuisse se in mundo, jam non esse. Nunquid ergo fas est, ut cum credamus aliquando mundana sapuisse, & ab hoc errore liberatum jam illa non sapere? Quis tam impio sensu induerit? Restat igitur, ut secundum id, quod ipse etiam in mundo prius erat, in mundo se dixerit jam non esse, profecto præsentiam corporali à mundo scilicet, absentiam suam jam citò futuram, illorum autem tardius per hoc ostendens, quod se jam non hic esse, illos autem hic esse dixit, cum & ipse hic & illi adhuc essent. Sic enim locutus est homo congruus hominibus ut mos loquendi esse habet & humanus usus. An non quotidie dicemus, jam non est hic de aliquo quæ antequam abiret? & maxime hoc de morituris dici solet, quanquam & ipse Dominus tanquam prævidens quid lecturus movere posset, adjecit. Et ego ad te venio, sit exponens quoddammodo, cur dixerit, jam non sum in mundo. Commendat ergo eos Patri, quos corporali absentia relicturus est. Adde, quod jamdum passionem & mortem, per quam præsentiam suam corporalem ipsis subtracturus erat, inchoaverat, jamdum à proditore erat venditus, inde dicit, jam non sum in mundo. De Apostolis eodem sensu dicit *ii in mundo sunt*, h. e. aliquandiu adhuc erunt, non sunt mecum statim morituri vel in cœlum ascensuri, sed in hac vita aliquandiu permansuri, ut per prædicationem Evangelii in mundo me glorificent. Ego ex intempesto mundi mari in portum venio ac litoris stabilitati appropinquo, illi aliquandiu adhuc in medijs hujus mundi fluctibus versabuntur, ac innumeris periculis post meum ex hoc mundo discessum propter Evangelii prædicationem erunt subiecti. Quid enim aliud est esse in mundo, quam infirmitatibus humanis, laboribus, periculis, tentationibus, persecutionibus, ac hominum mundanorum malitiæ in carne mortali obnoxium esse? in quo statu cum Apostoli aliquandiu adhuc futuri essent, ideò Patris celestis præsidio ac patrocinio tantò impensius eosdem commendat. De se vero dicit: *Et ego ad te venio*. Particula *et* ponitur hoc loco *adversativa*, ideo jam non sum in mundo, quia ad te venio, i. e. consummato opere, propter quod in mundum me misisti, ad te redeo per passionem & mortem in gloriam intraturus, Luc. 24, 26. Posset etiã accipi posita *et*, ut, quid sit, non esse in mundo, per hæc verba explicetur, Gen. 35, 12. 1. Sam. 17, v. 40. &c. Matth. 13, 41. Col. 2, 8. Piscator, Toffianus & alii Calviniani hunc locum opponunt doctrinæ nostræ de Christo secundum utramque naturam omnia in cœlo ac terra præsentissimè gubernante. Sed ostendimus in capite præcedente in explic. Joh. 16.

Joh. 16, 28. per τὸ relinqueret mundum & vadere ad Patrem nequaquam intelligi absolutam omnium omnino præsentiam, sed tantum visibilis & familiaris conversationis, quæ Christus in diebus carnis suæ Apostolis adfuit, negationem. Ac ipsa antithesis hoc loco vim phraseos, non esse in mundo, facit perspicue explicat. Apostoli adhuc sunt in mundo, i. e. variis periculis & adversis in mundo adhuc sunt obnoxii, ego autem jam non sum in mundo, eâ scilicet ratione, ut in carne visibili & mortali cum ipsis converser, in familiari convictu & consortio vitæ necessaria ipsis procurans. B. Luth. in h. l. sic commentatur. In mundo esse, significat versari in statu externo ac sensibili h. e. in illa vita, quæ mundus utitur & vivit, videlicet in vitâ naturali, quæ cibi, potus, somni, laboris & c. indiga. Eo modo Christus hodiè non amplius est in mundo, sed visibilem & corporalem (ratione modi sic dictam) præsentiam mundo subtraxit, interim non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam suam naturam τὸ λόγῳ personaliter unitam & ad dextram Dei exaltatam in terris adhuc præfens est omnia regens & implens, Matth. 28, 18. Eph. 1, 2. I. c. 4, 10. quæ est præsentia majestatis. Apparet autem ex hac ratione, 1. Christum morti jam vicinum non deposuisse Apostolorum suorum curam, sed de illis potius quam de se sollicitum fuisse, ne passione & morte, vel etiam persecutionibus, sibi imminentibus offensi penitus à fide deficerent. Eodem adhuc animo est erga omnes credentes. Ut enim gloria, in quam per passionem & mortem ingressus, naturam humanam in ipso non abolevit, ita nec φιλανθρωπίαν in ipso extinxit, Hebr. 4, v. 15. 2. Maximam precum necessitatem ex eo nobis imponi quod adhuc in mundo sumus, i. e. diaboli insidiis, carnis illecebris, mundi odii ac innumeris omnino periculis obnoxii. Nondum in portu navigamus, sed in medio mundi mari inter Scyllam & Charybdin vehimur, apprehendamus igitur anchoram fidei & precum. Ambros. in cap. 5. Rom. Peregrini hominis improbabilis est origo in terra aliena. 3. Pios in morte non relinqueret vitam spiritualem & coelestem, sed mundum, id est, vitam animalem & naturalem, ac impiorum in mundo consortium, nec transire ad inferorum Principem, sed ad Patrem coelestem.

Expendimus hæcenus priorem hujus pericopes partem, in qua Salvator noster exponit rationes, propter quæstam sollicitudinem pro Apostolis suis orat. Succedit jam posterior, quæ continet petitionem ipsam, quidnam scilicet morti jam vicinus Apostolis suis à Patre coelesti precetur. Antequam verò precum suarum materiam exponit, præmittit repetitionem objecti, quando scilicet solum illum verum Deum, quem precibus suis compellat, vocat Patrem, & quidem sanctum, Pater sancte, serva eos. In prima parte v. 1. ac 5. ut & in tertia v. 24. simpliciter illum vocat Patrem, in parte tertia appellat ipsum Patrem justum, hic verò in parte secunda vocat eum Patrem sanctum. Ratio videtur ea, quod ut hoc loco petit ea, quæ Patris sanctitati, ita inferius ea, quæ ipsius justitiæ ac bonitati sunt convenientia. Sanctitatis nomine Deo attributo intelligitur absolutissima naturæ ejus puritas ab omni peccati labe penitus immunis, omnis vitii & defectus expertus, ut & justitia ejus universalis, quæ immutabiliter talia vult & approbat, facit ipse, & in aliis operatur, quæ

Harn. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

sunt justa & sancta, quæ scilicet sunt legi divinæ omnium justitiæ & sanctitatis normæ contraria, atque omnia, quæ cum hac regula pugnant, nec vult, nec probat, nec efficit, nec adjuvat, sed odit, detestatur & punit, quæ explicatio colligitur ex dictis Scripturæ, quæ sanctitatem Deo tribuunt, Lev. 11, 44. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, (& sanctitatem approbo ac requiro) cap. 21, 8. Ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico vos. Jos. 24, 19. Deus sanctus est, & zelator, non ignoscet sceleribus vestris. Pf. 145, 17. Deus sanctus in omnibus operibus suis. Es. 5, 16. Deus sanctus sanctificabitur in justitia. Græcum ἅγιος deducunt ab α & γαῖα quæ etymologia itidem Deo convenit, qui terrenæ molis & corruptionis expertus summè purus est & puritatem in creaturis rationalibus amat. Alii ab ἀγὼ veneror vel ἀγῶ veneratio illud deducunt, quia Deus est omni veneratione & cultu dignus. Nomen Latinum sanctus quidam dictum censent à sancio, ut sanctum sit idem, quod sancitum ac firmum, quod ipsum quoque Deo competit, cujus voluntas est sancta, i. e. in bono immobilis, immutabilis & firma, non quidem ab alio sancita & confirmata, sicut Angelorum sanctorum voluntas in bono confirmata est, sed in seipsa & per seipsam sancta & firma. Sanctus etiam interdum est idem, quod benignus, Jer. 3, 12. Non avertam faciem à vobis, quia sanctus sum, quo sensu Deum itidem vocari sanctum nemini potest esse dubium. Vocatur autem sanctus 1. ἁγιωδὴς quia ut essentialiter est ipsa bonitas, justitia & misericordia, ita quoque essentialiter est ipsa sanctitas. Proinde etiam absolutè & propriè solus est sanctus, omnis vitii & defectus expertus, 1. Sam. 2, 2. Nullus est sanctus, ut Jehovah, unde ἀγιομαστωδὴς vocatur sanctus, Job. 6, 10. Of. 11, 9. & c. Sanctus Israelis Es. 40, 25. c. 41, 20. & c. Angeli boni, sancti quidem sunt, sed participativè, solus Deus originaliter & essentialiter sanctus est. Omnes homines post lapsum solo Christo excepto in peccatis concipiuntur & nascuntur, ideo per naturam non sunt sancti, sed quando in Christum, qui est sanctus sanctorum, Dan. 9, 24. Luc. 1, 33. verè credunt, tunc sanctificantur, tum imputativè propter Christum Mediatorem, sancti in conspectu Dei reputati, tum inchoativè Spiritu sancto donati. 2. διακριτικῶς, ut distinguatur non solum ab immundis spiritibus, sed etiam à falsis gentilium Diis, quos ipsimet gentilium Prophetæ impuros & immundos esse fatentur. 3. ἐνεργητικῶς effectivè, quia sanctitatem in creaturis rationalibus operatur, unde vocatur non solum sanctus, sed etiam sanctificans. 4. ἐδοξαστικῶς approbativè, quia delectatur sanctitate, contra verò impuritatem detestatur, Lev. 11, 44. 1. Thess. 4, 3. & c. Quando ergo Christus in his precibus suis pro Apostolis eum, quem compellat, vocat Patrem sanctum, tunc 1. blando & gratioso Patris nomine benevolentiam elicere cupit non propter se, sed propter discipulos. 2. Innuit eum, qui ab omni prorsus vitio & pravo affectu alienus est, petitionem hanc & justam & necessariam non posse rejicere. 3. Quia Apostolos in veritate à Patre sanctificari petit, ideo meritò Patrem sanctum vocat. 4. Admonet etiam ipsum benignitatis, quæ est omnium precum fundamentum. Consideratio hujus sanctitatis essentialiter & effectivè Deo competentis. 1. Confirmet fidem nostram, quod invocemus & colamus verum Deum à falsis gentilium Diis distinctum, sanctitatis

Bbbbbb

in crea-

in creaturis rationalibus autorem, & omnis impunitatis osorem. 2. Opponenda est blasphemis eorum, qui Deum autorem peccati faciunt, Hab. 1, 13. & fastui Antichristi, qui se *sanctissimum* vocari patiuntur. 3. Admoneat nos de peccati foeditate in nobis omnibus per naturam hærente, fiduciam in propriam sanctitatem in nobis deprimat, & humilitatem in precibus maximè necessariam nobis commendat. El. 6, 5. 4. Excitet nos, ut ipsi quoque sanctitati ex animo studeamus ac studiosè caveamus, ne sanctum ipsius nomen sceleribus polluamus, Lev. 19, 2. c. 20, 26. 1. Pet. 1, 15. 5. Consoletur nos, quod Ecclesiam, à qua nomen ipsius sanctificatur, contra omnes hostium furores conservaturus sit, nec perditurus eos, quos Spiritu suo sanctificare cœpit, Os. 11, 9. Hab. 1, 12. Sed promissa sua sanctè servaturus, Pl. 22, 4. ac nihil eorum, quæ petimus, modò sancta & iusta sint, ac voluntati ipsius conformia, nobis denegaturus.

Huic Patris cœlestis compellationi jam subjicitur ipsa precum materia, quam aliqui ita ordinant, ut statuant, Christum Apostolis precari. 1. *Conservationem à malo.* 2. *Perfectionem in bono.* Quidam dicunt Christum petere duplicem unitatem. 1. *Doctrina.* 2. *Vita,* & ad hæc duo capita omnia revocari posse. Sed præstat ipsius Christi vestigiis insistere, & quoad fieri potest, verba ipsius formalia retinere. Christus duo precatur Apostolis, 1. *Servari eos in nomine Patris.* 2. *Sanctificari in veritate.* De priori beneficio agit à v. 11. usque ad v. 17. de posteriore à v. 17. usque ad 20. De utroque eo modo agit, ut non solum exponat, quid petat, sed etiam rationes suæ petitionis denuò subjungat. *Propositi* prioris membri sic habet. *Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut nos.* Per *περὸς διότι μόνον*, quos dedisti mihi, manifestum est describi Apostolos, de quibus jam antè aliquoties dixerat, quod sibi à Patre dati sint. v. 6. & 9. Sanè multi Codices antiqui, omnia exemplaria Parisiensium, editio Complutensis, Interpres Syrus, Euthymius & Theophyl. pro accusativo plurali *ἀς δέδωκας* scribunt dativum singularem *ᾧ*, relatum ad proximè præcedens nomen *ὁ νόματι*, ut sit sensus: *Serva eos in nomine tuo, quod dedisti mihi.* Cyrill. in commentario, prout Latine versus extat, constanter explicat neutrum singulare, quamvis textus juxta vulgatam versionem redditus habeat plurale. *Conserve*, inquit, ipsos in nomine tuo, quos dedisti mihi, id est, in nomine Deitatis. Deitas autem nomen datum sibi à Patre ait, non quia cum non esset Naturæ Deus ad Deitatis dignitatem vocatus sit, sed quia ut Scripturæ testantur, homo factus est, quæ ut Deus naturaliter habet semper, ut homo in novissimis temporibus accipit. Sed præferenda est lectio, quæ habet plurale *ἀς*, cui suffragantur non solum probatissimi Codices, sed etiam versiculus proximè sequens. *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos nomine tuo. Quos dedisti mihi custodiri.* Quid verò accipiendum sit per hanc phrasin, quæ Christus petit Apostolos in nomine Patris servari, de eo variant Interpretum sententiæ. 1. Quidam ex veteribus putant Christum hoc petere, ut Pater cœlestis Apostolis nomen suum communicet, sicut illud Filio communicaverat, & quidem vel nomen Dei, ut vocentur *Dii*, Psal. 82, 6. quæ Theodor. Heracleotæ est sententia, vel nomen Patris, ut illos paterno favore complectatur, quæ Theodori Mopsuestani est expositio. Sed

neutra est probabilis, quia aliud est *την ὄνομα*, aliud *τοὺν ὄνομα*, ac nomen Dei eo modo, quo Filio per æternam generationem communicatum, nulli hominum communicatum. Nec satis commodè dicitur, Patris nomen illis communicari, quos Deus Paterno favore prosequitur, sed illi potius in filios recipiuntur, ac proinde nomen filiorum ipsis communicatur. 2. Rupertus sic progreditur. *Servari proprie dicuntur, qui capti in bello, cum jure belli possint occidi, victoris miseratione vitæ donantur: Sic in isto mundo Dei inimico Apostoli justè damnandi fuerant, sed victoris Dei gratiâ dimissi servantur.* At hoc modo Apostoli jam antè erant servati, quando per fidem in regnum Christi sunt translati. 3. Simplicissima expositio colligitur ex scopo & contextu. Quia Christus non amplius cum discipulis visibili & familiari modo erat conversaturus, ideò petit eos à Patre in posterum servari, & custodiri. *Cum essem cum eis in mundo, inquit, v. seq. ego servabam eos. Quos dedisti mihi, custodiri, & nemo ex illis perit, nunc autem ad te venio, & illi adhuc manent in mundo, ergo, sancte Pater, serve eos.* Nec nobis divindum Christus reliquit, quid per τὸ *την ὄνομα* intellectum velit, sed mentem suam clarissimè exposuit, tum in v. 12. quando dicit, *quos dedisti mihi, custodiri, & nemo ex illis perit, tum in v. 15. ubi dicit, rogo ut serves eos à malo.* Ergo quando Christus dicit, *serve eos, quos dedisti mihi, tunc petit, ut Apostoli custodiantur in bono, & præserventur à malo, hoc est, ut in statu gratiæ conserventur, ne eâ finaliter excidant & pereant, ne vel Satanæ tentationibus, vel mundi persecutionibus evertantur, & quamvis ex carnis infirmitate ad horam cadant, tamen non penitus collidantur Patre cœlesti manum illis supponente Pl. 37, 24. sed iterum erigantur & convertantur. *Serva, inquit, illos in bono, ne deficiant; serve eos à malo ne in tentationibus succumbant; serve eos si ceciderint, ne desperent.* Inde etiam emphaticè addit, *serve eos, quos dedisti mihi, quasi dicat, quia mihi eos dedisti, ideò serve eos mihi, ne mei esse desinant.* Probat hanc interpretationem collatio loci paralleli, Luc. 22, 32. *Quemadmodum enim ibi pro Petro in specie Christus orat, ne fides ejus deficiat: ita hoc loco idem pro omnibus Apostolis in genere orat. Potest & hoc notari, quod Christus omnipotentis suo verbo paulò post in præsentissimo vitæ discrimine salvum conductum discipulis impetrat, Joh. 18, 8. ac quod eo modo eos à Patre servari petit, quo modo ipsemet hæcenus illos servaverat, cap. 17, 12. Jam verò Christus non solum in vera Dei cognitione discipulos instruxerat, & in fide eos conservaverat, sed etiam in periculis ab hostium furore eos tutos præstitit. Ergo etiam hoc loco petit non solum ut Apostoli in fide perseverent, sed etiam in periculis incolumes conserventur, uti rectè monet Chrysostomus homil. 81. in Joh. *Serva eos in vita, ne à Judæis tecum occidantur, serve eos in fide, ne ab eo finaliter excidant, serve eos in gratiâ, ne in tentationibus succumbant.* Primario tamen ac principaliter Christus orat, ut in vera veri Dei agnitione & fide serventur, unde addit. *Serva eos in nomine tuo.* Variis modis hic *περὸς διότι μόνον* exponitur. 1. Quidam statuunt, Christum per nomen Patris intelligere seipsum. *Serva illos in nomine tuo, hoc est, in me, qui nomen tuum gero, qui sum & vocor verus Deus.* Gloss. interlin. *Serva eos, sed non sine me spirituali potentia, sicut ego servabam eos, sed non sine te spiritali custodia.* Hæc expositio confirmari posset ex eo, quod de Chri-**

Christo dicitur, Exod 23, 21. *Nomen meum est in medio eius.* 2. Quidam volunt ad conditionem, & statum discipulorum respectum haberi. *Serva eos, quia tui sunt, quia nomini tuo consecrati sunt, & quia nomen tuum super illos est invocatum, Jer. 14. v. 9.* 3. Quidam per nomen Dei nihil aliud intelligendum censent, quàm ipsum Deum, divinam scilicet potentiam & virtutem, divinam bonitatem & veritatem. *Serva eos in nomine tuo, hoc est, in teipso, in virtute nominis tui.* Nomen Dei est ipse Deus, Dei potentia, bonitas, veritas, misericordia &c. ex quibus Deus cognoscitur, qualis sit, sicut homo ex suo nomine. Nomen Dei est, quod sit omnipotens. Ergo petit, ut serventur Dei virtute, potentia & auxilio. Nomen Dei est, quod sit verax. Ergo petit, ut serventur juxta veritatem promissionis. 4. Quidam existimant significari modum conservationis. Nomen Dei est, quod sit sanctus. Ergo petit, ut Deus eos servet modo sancto, non externo auxilio, sed interno solatio, sicut paulò post additur v. 15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* 5. Quibusdam placet causam finalem vel etiam impulsivam verbis hisce exprimi. *Serva eos in nomine tuo, hoc est, non propter ipsorum dignitatem vel merita, quæ nulla, sed propter nominis tui gloriam, Ezech. 36, 22. Non propter vos, sed propter nomen meum faciam.* Nomen Dei est, quod sit gloriosus. Ergo petit, ut propter gloriam Dei serventur. Stapul. in h. l. *Quid est serva eos in nomine tuo, nisi propter teipsum.* Ex hac expositione Salmeron tom. 9. tract. 77. p. 572. utilem depromit doctrinam, quod Deus non liberet nos à peccato, vel hujus vite molestiis propter ulla justitia nostra merita, sed propter nomen suum sanctum. Potest enim talis institui accommodatio. *Serva eos propter nomen tuum, ut per illorum predicationem illud in mundo agnoscat & celebretur.* 6. Hasce expositiones, præsertim posteriores non repudiamus, interim addimus, per nomen Dei simplicissimè hic intelligi *veram nominis divini agnitionem.* Nomen enim Dei juxta usitatum Scripturæ phrasin (cujus exemplum in hoc ipso capite v. 6. & 26. proponitur) non solum appellationes & attributa Dei significat, sed etiam Verbum divinitus patefactum, Dei essentiam & voluntatem hominibus revelans. Et quia eo sine Deus hominibus in verbo sese revelavit, ut ab ipsis rectè agnoscat, invocetur & colatur, doctrinæ cœlestis puritas conservetur, & salus hominum promoveatur, ideò quando Christus orat, Apostolos in nomine Patris servari, tunc petit, ut in vera Dei agnitione & fide conserventur, ut in confessione doctrinæ Evangelicæ constantes permanent, nec ullis vel persecutorum odiis, vel carnis illecebris ab ea sese abstrahi patientur, ut in solo Christo Dei gratiam, peccatorum remissionem, justitiam & vitam æternam quarant, quia nomen & gloria Dei hæc est, ut talis à nobis agnoscat, quod ex mera gratia propter Christum peccata nobis remittat, & vitam æternam donet. Qui hoc modo in nomine Patris servantur, illi spiritualis unitatis participes fiunt, unde Christus statim subjicit. *Serva eos, ut sint unum, sicut & nos.* Quidam hoc accipiunt tanquam novam & à priore diversam petitionem, ut cum antea petierit illos servari in nomine Patris, jam porrò petat, illis dari suam unitatem. Sed quia in sequentibus versiculis Christus in explicanda illa, quàm modo petierat, conservatione

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

occupatur, ac binis adhuc vicibus Verbum *servandi* repetit, v. 12. & 15. ideò rectius ad priorem petitionem hoc membrum refertur. Juxta hanc hypothesein membrum illud accipi potest duobus modis, videlicet vel *ειδικώς* vel *τελικώς*. Si *ειδικώς* καὶ ἐξ ἡρητικώς accipiatur, erit sensus, tunc servabis Pater in nomine tuo meos Apostolos, si largitus eis fueris ut sint unum. Theophyl. in h. l. *Quid est custodia, ut sint unum? Nam si caritatem inter se habuerint, & non fuerint discordes, invicti erunt, & nihil eis prevalebit.* Si *τελικώς* sive ἐκ κατακώς accipiatur, erit sensus. Si o Pater servaveris illos in tuo nomine, futurum erit, ut sint unum. Sed hæc sententia non adversantur sibi invicem, verum utraqve expositio conjungi potest. Christus enim precatur Apostolis tum unitatem *fidei & doctrine* (quâ ratione vocula *in* ponitur *ειδικώς*) tum unitatem *caritatis & vitæ* (quâ ratione vocula *in* ponitur *τελικώς*) Sensus igitur est. *Serva eos o Pater cœlestis in nomine tuo, ut sint unum consensu veræ doctrinæ & concordia voluntatum, ut eandem Evangelii doctrinam uno Spiritu doceant, ut sint & maneant unum corpus spirituale sub uno capite, uno Spiritu gubernatum, ut sint concordēs in vera de Deo doctrina & conjuncti mutua animorum benevolentia.* Albertus quinque unitatis species recenset, quas Christus Apostolis precatur, videlicet unitatem *fidei*, Eph. 4, 5. *concordiæ*, Cant. 6, 8. *pacis*, Psal. 4, 9. *dilectionis*, Act. 4, 32. & *doctrinæ*, 1. Cor. 1, 10. sed hæc species omnes reduci possunt ad duas paulò antè enumeratas. Stapulensis videtur Verba Christi exponere de unitate beatorum in vita æterna. *Nisi, inquit, Pater eos servaret in hoc mundo, ne aut à mundo, aut à carne, aut à malignis potestatibus victi superarentur, non possent unum in altero effici seculo.* Sed sicut ipsa petitio, ut Apostoli serventur in nomine Patris, pertinet ad hanc vitam: ita quoque consequens illius petitionis, *ut sint unum*, ad hanc vitam referandum, interim non negamus, spirituale illam Apostolorum, ut & aliorum verè credentium unitatem in hac vita inchoari, in futura verò consummari, unde ipse Stapulensis postmodum subjungit. *Sed ad eam in vita revelata unitatem non possumus pervenire, nisi hinc prius & caritate ipsi fide jungamur.* Quidam censent, Christum respicere ad unitatem *fidelitatis in officio*, quasi dicat, unum sumus ratione officii, *ut enim tu me misisti, ita ego ipsos ad docendum misi v. 15.* Fac ergo ut etiam unum simus ratione fidelitatis in hoc officio ministrando. Sicut ergo munere abs te mihi demandato ita functus sum, ut in omnibus tibi grata dixerim ac fecerim: ita quoque ipsi in administratione muneris sibi à me commisi à tua ac mea voluntate unice pendeant &c. Sed hæc unitas ratione fidelitatis in officio unitatem fidei & doctrinæ præsupponit. Cæterum quia spiritualis illa fidei unitas sine Spiritu sancto locum habere nequit, ideò orando pro Apostolorum unitate Christus simul petit dari Apostolis Spiritum sanctum, qui facit ut sint unum corpus mysticum, ac unicum templum à Spiritu uno gubernatum & inhabitatum, uno caritatis glutine compactum. Hanc unitatem ideò tam sollicitè Christus Apostolis, & in ipsorum persona fidelibus Ecclesiæ ministris, ac in parte tertia omnibus fidelibus precatur. 1. Quia prævidebat Satanam omnibus modis hoc acturum, ut animos docentium mutuis dissidiis sejungeret, proinde ut contra illas tentationes & infidias

Bbbbbb 2

diās

dias Satanicas ipsos præmuniret, non solum in
 valedictorio sermone mutua caritatis præceptum
 ipsis inculcare, sed etiam pro unitate Apostolorum,
 & ipsorum in ministerio successorum orare voluit.
 2. Quia probè novit non tam dextram necessariam
 esse sinistram, quam docentibus in Ecclesia mu-
 tuam concordiam, Ecclesiam ex unitate & concor-
 dia docentium proficere, ex eorum verò dissidiis
 & discordia plurimum deficere. 3. Quia extrema
 naturæ nostræ corruptio ipsi cognita, quod ad dis-
 cordias & dissidia ex superbia nobis omnibus con-
 nata propendamus, ac nisi Spiritu unitatis divini-
 tatis conservemur nec fidei nec caritatis unitatem
 factam tectam retinere possimus. 4. Noverat Ec-
 clesiam graviter oppugnandam, tum *exteriùs* à Ty-
 rannis & hæreticis, tum *interiùs* à falsis fratribus &
 hypocritis, ideò postquam doctrinæ cœlestis veri-
 tatem in Ecclesia retineri petiit, concordia peti-
 tionem subjungit, quâ pii contra omnes hostes
 externos & internos sese tueri possunt. Neque
 verò absolute & simpliciter Christus orat, ut Apo-
 stoli sint unum, sed addit, qualem unitatem illis præ-
 cetur, ut sint unum, sicut nos, ego scilicet & Pater.
 Ostendit igitur se petere unitatem non quamvis,
 sed *spiritualem*, quæ consistat in unitate Spiritus.
 Quemadmodum enim in super benedicta Trinitate
 Spiritus sanctus est *ineffabilis quædam Patris & Filii
 communitio*, Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 11. *firmis-
 simum & indissolubile Trinitatis vinculum*, Bernh.
 ferm. 3. in fest. Pentec. col. 164. ita quoque idem
 Spiritus credentes cum Christo capite, & cum aliis
 mystici illius corporis membris conjungit, ut sic
 fidei, & caritatis mutua vinculo in uno Spiritu col-
 ligentur, juxta dicta Apostolica, 1. Cor. 6. v. 17.
Qui adheret Domino, est unus Spiritus. cap. 12. v. 13.
*in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, & om-
 nes in unum Spiritum potati sumus.* Eph. 4. v. 3. *Solliciti
 servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* v. 4. *unum cor-
 pus & unus Spiritus &c.* Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 20.
*Servari in benevolentia & caritate discipulos vult animo &
 Spiritu & pacis certissimo vinculo sic ad unum copulatos, ut
 hæc voluntaria unio naturalis in Filio & Patre unitatis ima-
 go quædam esse videatur.* 2. *Summam & ærteissimam.*
 Quemadmodum enim inter Patrem & Filium est
 summa unitas, consistens non tantum in consen-
 sus, sed etiam essentiæ unitate: ita quoque inter
 credentes vigere debet summa unitas, quæ in Spi-
 ritu unitate consistit. Sicut nulla major caritas
 quàm ea, quâ Pater & Filius sese invicem comple-
 ctuntur: Sic nulla major unitas, quam in Patre &
 Filio. Ut ergo superiùs suo exemplo summam car-
 ritatem, ita hic summam exigit unitatem. 3. *Con-
 stantem & indivulsam.* Ut enim unitas inter Patrem
 & Filium est indissolubilis, ita quoque inter cre-
 dentes vigere optat constantem & indissolubilem
 unitatem. Athanas. orat. 4. contra Arian. *Quem-
 admodum unitas Patris & Filii est indivisibilis, nec un-
 quam separari invicem possunt: ita apud fideles maneat con-
 cordia, & unio pacis perpetua, ut maneant conjuncti & indi-
 visi.* Cyrillus d. 1. *Discipulos sic ad unum vult copulatos,
 ut nullo modo, nullâ vi voluptatis aut periculi frangi debili-
 tarive possit, sed conservetur in pietatis atq; sanctificationis
 unione caritatis virtus intemerata.* 4. *Sanctam & sinceram.*
 Est quædam concordia in malo, quæ rectius con-
 spiratio dicitur, quàm unitas, Prov. 1. versic. 11.
 Esai. 5. versic. 18. est etiam quædam unitas inter

eos, qui humano sed honesto amore sese diligunt.
 De neutra hoc loco Christus agit, sed de sancta
 illa concordia, quæ fidei unitatem prærequirit.
 Inter Patrem & Filium in divinis est sanctissima &
 purissima concordia, talis etiam debet vigere in-
 ter pios. 5. *Ordinatum.* Quemadmodum unitas
 Trinitatis non confundit ordinem personarum:
 ita unitas caritatis non confundit ordinem Eccle-
 siæ & graduum in Ecclesiastico Ministerio, 1. Cor-
 inth. 12. versic. 28. 29. &c. Ariani ex hoc loco e-
 vincere voluerunt, *in Patre & Filio non esse unitatem
 essentiæ, sed tantum voluntatis & concordia, cum inter
 pios non sit essentiæ, sed voluntatis unitas.* Huic Arianorum
 argumento diversimodè respondetur.
 1. Quidam putant pronomen *nos* demonstrare
 Patrem & Christum quatenus homo est, cum
 Christus secundum humanitatem in precibus se-
 coram Patre humiliter. Eodem ferè abit Calvi-
 nus, quando ad versic. 21. sic annotat: *Quoties
 Christus in hoc capite se unum cum Patre esse docet, sermo
 habetur non simpliciter de divina ejus essentiæ, sed unum
 vocatur in persona Mediatoris & quatenus caput nostrum
 est.* Sed quo sensu, Johann. 10. versic. 30. Chri-
 stus dicit: *Ego & Pater unum sumus*, eodem sen-
 su etiam hoc loco dicit se cum Patre esse unum.
 Jam verò ibi loquitur de sua cum Patre *oppositiva* si-
 ve unitate essentiali, ut in disputat. postea
 ex dicto, 1. Johann. 5. evidentibus argumentis
 demonstravimus. Ergo etiam hoc loco, Mo-
 nuimus etiam superiùs, Christum in his precibus
 modò ut hominem, modò ut Deum loqui.
 Augustin. tract. 107. in Johann. *Quoniam una
 eademque persona est Deus & homo, intelligimus homi-
 nem in eo quod rogat, intelligimus autem Deum in eo
 quod unum sunt, & ipse & ille quem rogat.* 2. Atha-
 nas. orat. 4. contra Arian. pag. 264. multis probat,
 particulam *καθ' ἑαυτῶν* non esse hoc loco *æqualitatis*, sed
similitudinis, quo sensu etiam vocula *ὡς ἑγὼ* usurpa-
 tur, Matth. 5. versic. 48. Nequaquam ergò Chri-
 stus innuit, esse prorsus eandem inter pios unita-
 tem, quæ est inter Patrem & Filium, sed dun-
 taxat *similem*, ut in sancta piorum concordia
 quasi quædam imago reluceat utcumque adum-
 brans perfectissimam illam unitatem, quâ Pater
 & Filius essentiæ & voluntatis unitate sunt unum.
 Epiphani. contra Arian. *Duo sunt perfecta Pater &
 Filius, unum autem propter æqualitatem, propter
 Deitatem, & unam vim sive potestatem, & unam se-
 militudinem.* In Deitate igitur Pater & Filius unum.
 In assumpta natura humana Filius & discipuli unum, dum
 ipsi vocatione dignati discipuli adducuntur ad ineffabile
 bonum ipsius erga genus humanum amoris ad unam unita-
 tem adoptionis in filios per Patris & Filii & Spiritus sancti
 beneplacitum. Ambros. lib. 4. de fide cap. 2. *Nos u-
 num erimus, Pater & Filius unum sunt.* Nos secundam
 gratiam, Filius secundum substantiam. Alia enim per
 conjunctionem, alia per naturam unitas. Innocentius 3.
 in Conc. Lateran. Hoc nomen unum pro fidelibus qui-
 dem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro
 personis verò divinis, ut attendatur identitatis unitas in na-
 tura, quemadmodum alibi veritas ait: *Estote perfecti,
 sicut & Pater vester perfectus est, ac si diceret manife-
 stius. Estote perfecti perfectione gratia, sicut Pater ve-
 ster perfectus est perfectione nature, utriusque videlicet
 suo modo, quia inter creatorem & creaturam non potest
 tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimili-
 tudo,*

tudo notanda. Stapulens. in h. l. Pater & Filius sunt unum caritate, voluntate, vita. Neque enim alia caritas Patris & Filii, sed idem individuus amor. Neque alia voluntas Patris & Filii, sed eadem voluntas. Neque alia est Patris & Filii vita, sed eadem. Rogat ergo omnes unum fieri in se & in Patre, ut omnes in ipsis unum sint caritate, voluntate, vita &c. Quando Deus accipit nostram dilectionem, voluntatem & vitam, & dat nobis suam, tunc unum cum Deo efficitur, ut Pater & Filius unum sunt. Hoc tamen interest, quod Pater & Filius semper sunt unum caritate, voluntate, vita & insuper unum essentiali ac natura. Nos autem non semper sic unum sumus cum ipsis, neque unquam unum essentiali & natura esse possumus. 3. Augustin. tractat. 107. in Johann. monet hanc differentiam inter unitatem Patris & Filii ac mutuam piorum unitatem ipso loquendi modo insinuari. Non enim dicit Christus, ut nobiscum sint unum, aut sumus unum ipsi & nos, sicut unum sumus nos, sed ait, ut sint unum sicut & nos. Ipsi utique in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum sumus, quia non sunt ejusdem nature cum Deo, sicut Filius secundum quod Deus est, cum Patre unum est. 4. Ambros. lib. 4. de fid. cap. 2. respondet, hunc locum potius contra Arianos pugnare, cum inter discipulos sit non solum voluntatum, sed etiam essentiali unitas. Pro testimonio fidei (inquit) hoc positum est, licet ab Ariano ad argumentum perfidie derivetur. Etenim quoniam toties letam negare non queunt unitatem, extenuare conantur, ut talis videatur divinitatis unitas inter Patrem & Filium, qualis est inter homines unitas devotionis & fidei, licet etiam inter ipsos homines unitas nature sit ex communitate nature. Sed in quo unitas illa natura consistat, de eo variant sententia. Ambrosius decurrit ad naturam communitatem, quam Thomas lect. 3. in c. 17. Joh. sic explicat. In Patre & Filio est duplex unitas, altera nature, de qua, Ego & Pater unum sumus; & altera amoris, quae sese in Spiritu sancto ab utroque procedente mutuò diligunt: ita utraque in nobis existit, non quidem per equiparantiam, sed per similitudinem quandam. Nam ut illi sunt unum in eadem numero natura, ita nos idem sumus in eadem specie, id est, humana natura, sed manifestum est, Christum hoc loco non precari Apostolis unitatem *divinam* naturalem, quae in omnibus hominibus locum habet, sed *divinam* spirituales, quae solis verè credentibus in vicem intercedit. 5. Hilarius lib. 8. de Trinit. refert ad Eucharistiam, quasi oret Christus, ut per sumptionem corporis sui Apostoli unum & secum, & ipsi inter se verè & realiter fiant quemadmodum ipse cum Patre verè & naturaliter unum sit. Eodem etiam abijt Cyrillus lib. 10. in Joh. cap. 13. &c. 6. Epiphanius harel. 69. refert ad incarnationis mysterium, quasi oraverit Christus, ut discipuli, qui propter carnis humanæ susceptionem ejusdem secum nature erant, sicut ipse & Pater unum sunt natura, etiam unius sint voluntatis, sicut ipse & Pater sunt. 7. Quod si omnino Arianorum argumentum inverteat ac pios non solum concordia, sed etiam quodammodo essentiali unum esse statuere velimus, posset hoc urgeri, quod pii non tantum concordēs sint in doctrina & vita, sed etiam sint unius corporis mystici membra, unum spirituale corpus, 1. Cor. 10. v. 17. cap. 12. Galat. 3. vers. 28. &c. Jam verò inter diversa unius corporis membra est quædam essentiali unitas. 8. Sed hæc unio corporis mystici nulla est alia quam spiritualis & *divina* essentiali & *divina* Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

ac quæcunque tandem essentiali unitas in piis statuatur, semper tamen addendum est, quod unitas essentiali in Patre & Filio toto genere differat ab unitate essentiali in piis, cum illa sit una numero, hæc verò tantum specie, ac proinde simplicissima, eademque tutissima est Athanasii responsio, quod particula *καθ' ἑαυτὸν* non æqualitatem & omnimodam identitatem, sed aliquam duntaxat similitudinem notet, quodque de unitate fidei & caritatis, non autem essentiali sermo sit, quando Christus orat, ut Apostoli unum sint. Notandum verò hoc loco 1. Quia Christus tam sollicitè petit, Apostolos & consequenter ipsorum in ministerio successores *servari in nomine Patris*, idè tacitè innuit, magnis eis in mundo impendere pericula, ac metu *intra-ores* ipsos in hac vita nondum esse liberatos. Quoad posterius peculiaris quædam ratio fuit Apostolorum, quam aliorum Ecclesiæ Doctorum. Nam post visibilem Spiritus sancti effusionem ita fuere in cognitione veræ doctrinæ confirmati, ut non potuerint amplius in fundamento errare, vel in peccata contra conscientiam prolabi. 2. Quando Christus morti vicinus hoc loco pro unitate Apostolorum, & postea in genere pro omnium fidelium unitate obtinenda precatur, idè significat se idè in hunc mundum venisse, & jamjam passionem adire, ut ad unitatem, sive ut Apostolus loquitur, Eph. 1. v. 10. ad unum caput omnia reduceret. Primus homo & in eo totum genus humanum ad unitatem & stabilitatem à Deo creatum fuit, ut cum Angelis unum corpus mysticum constitueret, & in unitate illa stabile permaneret, sed per peccatum non unitatem solum, sed etiam stabilitatem perdidit, ac in maximam mutabilitatem incidit, ut nunquam in eodem statu constans permaneat. Filius Dei suo adventu, oratione, suâ passionem & morte hoc quæsit, ut ad unitatem fidei & caritatis in hac vita, & ad stabilitatem æternitatis in futura vita humanum genus reduceret. Hoc enim verè est unum esse, semper idem esse, & nunquam deficere. Nyssenius in dictum Apostoli, *Tunc Filius subijcietur &c.* Qui in Patre est, & inter homines versatus est, in hoc exequitur, & implet mediationis atque intercessionis suæ munus, quod secum omnes unit, & per se cum Patre. 3. Quia Christus morti jam vicinus pro unitate petit, idè ostendit, unitatem tum fidei & doctrinæ, tum caritatis & vitæ non Apostolis solum, sed etiam omnibus verbi ministris, imò toti Ecclesiæ esse maximè necessariam ac salutarem. *Ens & unum convertuntur*, dicunt Metaphysici. Id certè ratione ad Ecclesiam, quæ est unum per aggregationem accommodare possumus, quod videlicet ipsius conservatio & incolumitas ab unitate fidei, doctrinæ & Spiritus vel maximè dependeat. Ut in *συμμετρίαι* membrorum & concordii humorum dispositione præcipua valetudinis causa statuitur: ita ab unitate & concordia salus Ecclesiæ præcipuè dependet. Tanta est unitatis vis, ut Apostolorum conservationem Christus hoc loco ei tribuat. Ergo è contrario tanta est dissidiorum pestis, ut si illa docentes occupet, Ecclesiam misere pestundet. 4. Ergo non videatur leviculum ac jocularium, unitatem Ecclesiæ contentionibus non necessariis scindere, pro qua Christum morti vicinum tam sollicitè orasse videmus. *Sint unum, doceant unum, factentur & unum, unum qui Christi nomen habere volunt.*
Bbbbbbb 3 Cave-

Caveant docentes, ne vitiosis carnis suæ affectibus indulgeant, ambitione & odiis certent, Ecclesia alioqui plus satis afflictæ & ab externis hostibus oppugnata tranquillitatem turbent, sed precibus & piâ animorum conjunctione ejus salutem promoveant. Summa crudelitas est, filios Ecclesiæ in matris viscera sævire velle. Cyprianus libr. de orat. Domin. *Rogantis desiderium videre, quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater & Filius, sic & nos in ipsa unitate maneamus, ut hinc quoque possit intelligi, quantum delinquit, qui unitatem scindit & pacem cum pro hoc & rogaverit Dominus, volens scilicet sic plebem suam salvam fieri, & in pace vivere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire.* Theophyl. in h. l. *Nihil ita offendit discipulos, ut divelli & non idem sentire Doctores. Quomodo enim persuadebunt, qui non idem sapiunt.* 5. Quia Christus pro unitate precatur, ideò ostendit, eam esse bonum Deo & doctori nec obtineri humanis viribus. In concione valedictoria suo exemplo ad dilectionem & concordiam Apostolos fuerat exhortatus: nihilo tamen minus in hac oratione *ἡ ἑαυτῶν ὁμιλία* pro eadem obtinenda orat. Hisce Filii Dei precibus etiã nostros gemitus jungamus, ac fideles Ecclesiæ Doctores, imò nos omnes in unitate fidei & vitæ conservari petamus. 6. Christus non minus orat, ut Apostoli inter se invicem sint uniti, quàm ut secum & cum Patre cœlesti uniantur. Ergo non solum fidei & doctrine, sed etiã caritatis & vitæ unitatem necessariam esse docet. Qui caritatis & vitæ unitatem pedibus protervè conculcat, symmystas & fratres contemnit, non potest fidei & doctrinæ unitate Deo adherere. 7. Unitas Ecclesiæ maximam in se continet consolationem. Cum enim omnes verè in Christum credentes sint unum corpus mysticum, cujus caput est Christus, ideò certò statuere possumus, in omnibus persecutionibus, afflictionibus ac tentationibus nostris totius Ecclesiæ precibus, imò ipsius Christi intercessione nos juvari. Ecclesia est communio sanctorum. Quod si ergo unum ex membris hujus mystici corporis persecutores adoriuntur, totum corpus, imò etiã caput ejus Christum adoriuntur, perinde ut uno digitulo læso totum corpus naturale commoveatur, Zach. 2. v. 8. Act. 9. v. 4 & c. Insuper quia pii unum sunt non solum inter se, sed etiã in Deo, ideò nihil quicquam à caritate Dei ipsos separare, & ex manu Dei excutere poterit, Joh. 10. 29. Rom. 8. v. 39. 8. Ut inter homines non est absolutissima & summa naturæ unitas, quia inter ipsos est tantùm unitas specifica, non individualis: ita spiritualis piorum unitas in hæc vita non est numeris omnibus absoluta. *Supportemus igitur nos invicem & condonemus nobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam,* Col. 3. 13. ne concordia & pacis vinculum temerè dissolvatur. 9. Quod Christus hoc loco petit, illud impetravit. Quia ergo Apostoli in fidei unitate sunt unum, h. e. quia est exactissimus doctrinæ Apostolicæ in eorum scriptis propositæ consensus, ideò doctrinam Apostolicam tanquam veræ & salutaris in Ecclesia concordia fundamentum firmiter retineamus, ita futurum, ut inter nos etiã vera unitas vigeat. Si servamur à Patre in ipsius nomine, h. e. si constanter adheremus doctrinæ à Patre Christo, & à Christo Apostolis tradita, si in vera Dei agnitione servamus, tunc ad spirituales & Deo gratam unitatem aspiramus. 10. *Pater sancte,*

inquit Christus, *serva eos, ut sint unum.* Ergo quæ major & arctior cum Deo sancto unio, eò etiã major sanctitas.

Priori huic speciali petitioni, quæ Apostolos in nomine Patris servari precatur, ut sint unum, subjungit Christus 1. *Rationem.* 2. *Expositionem.* Ratio duplex est: Prior petita est à Christi ex hoc mundo abitione. Posterior ex Apostolorum in mundo reliquorum conditione. Sic ergo duplicem petitionis suæ necessitatem aperit: 1. *Suum discessum.* 2. *Mundi adversus Apostolos odium.* Priorem rationem Christus eo modo tractat, ut primò fructum suæ in mundo commorationis & familiaris cum Apostolis conversationis recenscat. Deinde imminente suam abitionem & causam recitata hujus ante abitionem orationis exponat. Prius membrum continetur in his verbis: *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, discipulos, & nemo ex illis perit, nisi filius ille perditus, ut Scriptura completeretur.* 1. Principalis horum verborum scopus eò spectat, quod Christus rationem reddat, quare tam sollicitè oret, Apostolos in nomine Patris servari. Ratio desumpta est ex imminente sua è mundo abitione, per quam ab Apostolis ratione familiaris & visibilis conversationis sejungatur, ut non amplius eo modo, quo antea, præsens eos servet & custodiat, videlicet visibili præsentia, corporali ministerio & familiari conversatione. 2. Simul etiã per quandã prolepsin exponit causam, cur non prius Apostolos patrocinio cœlestis Patris per preces externâ & audibili voce prolata commendaret, videl. quod familiariter & visibiliter cum ipsis hæctenus conversatus eos servaverit & custodiverit. 3. Quia ex hoc mundo ad Patrem abiturus erat, ideò fidem suam in custodiendis Apostolis à Patre sibi traditis, & in docendi munere adhibitam commendat. Quod se eos servare dicit, fidelitatis est, quod custodivisse, diligentia & pietatis. 4. Insinuat etiã Apostolorum infirmitatem. Ea fuit illorum, quos dedisti mihi, infirmitas, ut in tanto Satanæ furore, mundi malitia & carnis corruptione, per se & suis viribus in veritate agnita persistere non potuerint, ideò mei fuit officii, ut eos in nomine tuo servarem. Præstiti illud fideliter, sed jam ab illis discedo, ideò eos tibi servandos commendo. *Cum essem, inquit, cum eis in mundo, ego servabam eos & c.* Atqui adhuc cum Apostolis in cœnaculo erat, cur ergo sic loquitur, ac si non amplius cum ipsis sit? innuere voluit, se brevi ab illis discessurum, quo sensu etiã paulò antè dixerat, *jam non sum in mundo.* v. 11. & Joh. 16. v. 4. *Hæc vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Quidam peculiarem in eo emphasin quærunt, quod Christus non dicit, cum essent illi mecum, sed cum essem cum illis, *In cœlis, inquit, Christus non dicitur esse, nobiscum, sed nos cum illo erimus tanquam cum autore ac Principe verae felicitatis,* Phil. 1. v. 23. 1. Thefl. 4. v. 17. *in hoc mundo Christus fuit & est cum suis, propter quos servandos è cœlo in terras descendit.* Sed quantum huic observationi tribuendum sit, patet ex eo, quod Joh. 15. v. 27. Christus de Apostolis dicit. *Ab initio mecum fuistis, quod & Apoc. 21. v. 3. de felicissimo beatorum cum Deo in cœlis consortio dicitur. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis. Cum essem cum eis in mundo, servavi eos.* Quid per *in mundo esse* intelligendū sit, in præcedentis versiculi 11. expositione fuit declaratum; quid per *in mundo esse* accipiendum sit, Chri-

Christus ipse exponit, quando statim subjungit, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis perivit. Ergo servare est à perditione & interitu custodire, ut sit sensus. Ego servavi eos in bono, ne retrocedent, Joh. 6. v. 66. Servavi eos à malo, ne ab eo laderentur. Servavi eos speciali curâ, quâ non tantum ab omnibus corporis & animæ malis fuere præservati, sed etiam de necessariis ipsis fuit prospectum, Luc. 22. 35. Servavi eos in tempestate maris periclitantes, Matth. 8. 25. servavi eos à tentationibus, calumniis & persecutionibus Phariseorum, Matth. 9. 12. servavi eos tanquam gallina pullos suos congregat & servat, Matth. 23. 36. servavi eos à Satanae infidiis expentis eos erubere instar critici, Luc. 22. 31. Servavi eos doctrinâ & monitis, exemplo vitæ & sanctæ conversationis, ac corporalibus officiis, ne quid deesset, neve quid noceret. Addit autem seipsum servasse in nomine Patris. 1. Quidam exponunt tuâ potentia & virtute. Servavi eos non humana potentia vel carnali meâ præsentia, sed virtute tuâ divinâ. Simon de Cassia lib. 12. c. 17. Omnem susceptam curam refert in paternâ se fecisse virtute. Hæc expositio ad petitionem sic accommodari potest. Quia tuâ potentia & virtute, hæcenus eos servavi, ideo æquum est, ne propter meum discessum priventur nominis tui custodia. Quia in mea præsentia tuâ virtute sunt servati, utiq; convenit, ut eadem etiam in mea absentia serventur, cum major tunc futura sit servandi causa. Necessariò tamen addendum, quod Christus non neget se divinam illam virtutem, quâ discipuli hæcenus servati fuerant, cum Patre communem habere, sed ad Patrem eam referre, tum quia per æternam generationem eam à Patre accepit, tum ut discipulos magis confirmaret, quod eâ tem virtute etiam in posterum sint servandi. Theophyl. in h. l. Ego servabam eos in nomine tuo, dicit. Non quod ipse non valeat aliter, nisi per nomen Patris, sed infirmis ac consulit auditorum & nondum magnum quiddam de se sentientium. Propter hoc dicit, in tuo auditorio eos servabam. Insuper & bene sperare facit, quem admodum cum essem vobiscum præsens, servabamini in nomine & adiutorio Patris, ita nunc quoque credite vos à Deo servandos, solet enim vestri curam habere. 2. Quidam exponunt tuâ autoritate, mandato & voluntate, quâ sum constitutus Mediator, Redemptor & Doctor humani generis. Servavi eos in tuo nomine, quia vices tuas in docendi officio hæcenus gessi. Hæc expositio ad petitionem hoc modo accommodari potest. Quia tuo nomine, tuâ voluntate ac tuis auspiciis tanquam Legatus eos servavi ideo æquum est ut ipse quoque eorum curam suscipias, quorum custodiam & curam mihi demandasti. 3. Quidam sic accipiunt: In tuo nomine scilicet Dei, quia sum tuus Filius & verus Deus, quia tuum nomen & naturam habeo. Huic expositioni accommodari posset lectio Codicis Regii, quæ sic habet, ἐτηρησάμενος ἐν τῷ ὀνόματι σου, ὃ δὲ δόξα καὶ μοῖρ ἐφύλαξα, cui lectioni etiam favet Cyrillus. Sed probatores & antiquiores Codd. legunt ἐς δόξαν καὶ μοῖρ ἐφύλαξα, quo modo etiam Syrus h. l. legit, quamvis in priore versu legat ὃ δὲ δόξα καὶ μοῖρ. 4. Quidam exponunt tuo nomine, id est, quia tui erant nominis, nomini tuo consecrati & à te mihi dati. Ad hanc expositionem referri posset, quod Christus notanter dicit: Quos dedisti mihi, custodivi, id est, quia eos mihi dedisti, ideo illos custodivi. 5. Quidam accipiunt respectu causæ finalis. Servavi eos propter nomen tuum, ad gloriam, Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

nominis tui per Evangelii prædicationem illustrandam. 6. Expositiones illas non simpliciter repudiamus, interim iudicamus ad textum proximè accedere eam, quâ per nomen Patris intelligitur vera Dei agnitio & recta fides divini nominis, ut in expositione præcedentis verè demonstravimus. Servavi eos in tuo nomine, id est, proposui ipsis veram doctrinam de tua essentia & voluntate, plantavi notitiam tui nominis in cordibus ipsorum per verbum Evangelii, confirmavi eam miraculis, ut firmiter servaretur, nec solum exterius docendo, monendo, exhortando, consolando, increpando exemplo vitæ præluendo, sed etiam interius per gratiam efficaciter operando eos conservavi, ne salutaris illa Θεωγνωσια lux in ipsis iterum extingueretur. Quia ego jamjam ab illis discedo & ad te venio, ideo in hoc tuo nomine ipsos ulterius servandos tibi trado, ut opus bonum, quod meo ministerio in ipsis coeptum, tuâ gratiâ & virtute in ipsis conservetur, augeatur & consummetur. Quod autem Christus discipulos hæcenus à se servatos esse dicit, ac Patri eos in posterum servandos tradit, nequaquam eo sensu accipiendum est, quasi Pater ab hoc opere servandi hæcenus fuerit exclusus vel Filius in posterum ab eo excludendus, nec cogitandum quod Filius munus custodiendi & servandi æterno Patri penitus resignet, ita ut illud à se alienet, vel quod Pater discessum Filii expectaverit antequam Apostolis succurreret, sicut Schmaltz. contra Smiglec. p. 117. scribit, quod Christus jamjam moriturus gubernationem discipulorum suorum ideo Patri commendat, ut se ad eos regendos & tuendos, tunc per id tempus potestatem non habiturum significet, ac Socinus in explic. quorund. Script. locor. annexa explic. c. 1. Joh. p. 76. scribit, Christum ideo sic loqui, quia munus & potestatem gubernandi. Apostolos nondum adeptus fuerat, sed loquitur Christus de visibili & familiari illa præsentia, quâ hæcenus eos in diebus carnis suæ servaverat, quæ in morte proximè instante finem erat habitura. Et quia discipuli eâ maximè nitebantur, ideo Patri eos servandos tradens, quos se hæcenus servasse asserit, utrumque significat, tum quod Pater simul cum ipso hæcenus servaverit, tum quod unâ cum Patre eos in posterum servaturus sit. August. tract. 107. in Johann. In nomine Patris servabat discipulos suos Filius homo, cum eis humanâ præsentia constitutus, se detiam Pater in nomine Filii servabat, quos in nomine Filii penitentes exaudiebat. Neque hoc tam carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos servet Pater & Filius, amborum in nobis custodiendis alternante custodia, quasi succedat alius, quando discesserit alius, simul enim nos custodiunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui est unus verus & beatus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi ad nos descendat & c. Intelligamus personas eum distingvere, non separare naturas. Quando ergo servabat discipulos suos Filius præsentia corporali, non expectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti, sed eos ambo servabant potentia spiritali; & quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiam spiritualem, quia & custodiendos, quando Filius homo accepit, custodie paternæ non eos abstulit, & cum Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso cui dedit, sed dedit homini Filio non sine Deo eodem ipso utique Filio. Voluit etiam Christus hac ratione animos & oculos discipulorum à visibili & externa illa custodia, quæ in morte finem jamjam erat habitura, sensim abducere, ut

externis adminiculis destituti ad Patrem in cœlis oculos suos unice attollerent, & ab eo se in posterum servatos iri firmiter statuerent. Ex quo jam facile apparet, an secundum divinam tantum, an verò secundum humanam tantum, an verò secundum utramque naturam Christus Apostolos in diebus carnis suæ servaverit. Dionys. Carthuf. in h. l. sic commentatur. *Christus secundum humanam naturam servavit discipulos quasi instrumentaliter, docendo, honorando, exemplariter conservando, increpando. Secundum divinam naturam servavit eos efficienter & principaliter operando intus per gratiam quâ in servatione non differt à Patre & Spiritu sancto. Sed neutrum accipiendum est exclusivè. Quando enim Christus docuit, tunc ab illius doctrina non potest excludi divina natura, quippe quæ divinam virtutem convertendi & illuminandi hominès illi addidit; & quando Christus interiore gratiâ & operatione Apostolos servavit, ab illo opere non potest excludi humana natura divinæ personaliter unita, quippe quam ut miraculorum operatione, ita quoque in Apostolorum conservatione, quando & quoties voluit, tanquam efficax organum adhibere potuit. Cæterum salutarem illam Apostolorum in nomine Patris servationem ulterius Christus declarat & amplificat, quando subjicit. *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis perivit, nisi filius ille perditus, ut Scriptura completeretur. 1. Quia dixerat, cum essem cum eis in mundo, servabam eos &c. ideo addit conservationem illam fuisse efficacem & sufficientem, nec fructu nec effectu destitutam. 2. Repetit petitionis rationem, eiq; inserit, quod Pater eos sibi dederit, quos hactenus tantâ curâ servaverit, ex eo infert, æquum esse, ut Pater eorum fidelem curam suscipiat, quos ab eo sibi concreditos ipsius voluntate & mandato ad finem ministerii & vitæ suæ hactenus servaverit. *Serva eos, quos dedisti mihi, hoc est, tuum tibi trado depositum, æquum igitur est, ut salvum & incolumè illud tuearis. 3. Ad consolationem discipulorum jam quintâ vice repetit, Apostolos sibi à Patre esse datos, ut ex eo intelligant, quod Patris cœlestis sint, ipsiq; curæ sint futuri, tanquam ipsius proprii. Item, quod non ut alienus veniens eos rapuerit & humano arbitrio ad se pertraxerit, sed à Patre datos acceperit. 4. Quia obijci poterat, fidelitati in servandis Apostolis adhibita adversari horribilem apostasiam & interitum Judæ, ideo scandalo huic occurrit, quando utrumque in Scripturis jam antè prædictum fuisse tradit. Hæc omnia Christus complectitur, quando dicit. *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis perivit, nisi filius ille perditus, ut Scriptura completeretur. Possêt τὸ Φυλάττειν à τηρεῖν eo modo distingui, ut τηρεῖν referatur ad conservationem in bono, Φυλάττειν ad præservationem à malo; τηρεῖν ad media, Φυλάττειν ad finem; qui enim ab exitio præservari debent, illos oportet in vera Dei agnitione & fide servari; τηρεῖν ad Christi fidelitatem, Φυλάττειν ad ipsius diligentiam. Præcipuè tamen ac principaliter Christus eò respicit, ut per hoc membrum ἐξηγητικῶς priori subjectum ostendat, conservationem illam Apostolorum sibi à Patre datorum non fuisse frustraneam aut inefficacem. Ita eos in nomine tuo servavi, ut nemo ex illis perierit. Omnes adhuc verâ fide mihi adhærent, custodivi eos ut fidelis pastor suas oviculas; ut pius doctor suos discipulos; ut sollicitus dominus suos servos; ut benignus parens suos****

liberos custodit, ne pereant. Usurpatur enim Φυλάττειν de pastoribus apud Homerum οὐδ' αὖτ' ἄρ' ἔτι & Luc. 2. v. 8. Gen. 30. v. 31. &c. Qui animam suam in hoc mundo odit, dicitur eam Φυλάττειν in vitam æternam, Joh. 12. v. 25. Fidelis Dominus dicitur nos Φυλάττειν ἀπὸ τῆς ᾠστῆς, 2. Thess. 3. v. 3. ac depositum dicitur Φυλάττειν 1. Tim. 6. 20. 2. Tim. 1. 12. Noahum justitiæ præconem Deus in diluvio dicitur custodivisse, 2. Pet. 2. 5. Hæc significationes omnes huc accommodari possunt. Christus enim Apostolos à Patre sibi traditos velut præclarum aliquod depositum ab omni malo custodivit, ne in universali penne totius mundi exitio perirent, sed in vitam æternam conservarentur. LXX utuntur Φυλάττειν προ 17, in Hiphil vivificavit, ad vitam conservavit, Ez. 18. v. 27. pro נצח ac נשח, quo etiam Syrus h. l. utitur, custodivit à corruptione, 2. Sam. 17. v. 9. cap. 18. v. 8. ac usitatissimè pro שמר, summi à circumflectione custodivit, Gen. 2. 15. c. 3. 2. 4. quæ significationes itidem ad custodiam Christi Apostolis impensam applicari possunt. Tantâ enim curâ ac sollicitudinè eos custodivit, ut nemo ex illis periret, nisi unus proditor. Verbum ἀπολλυμι de temporali & æterno, corporali ac spiritali interitu usurpatur. Quamvis vero ab utroq; interitu Christus suos Apostolos præservaverit, ac contra hostium infidias etiam corporalem ipsorum vitam custodiverit, tamen de Spirituali & æterno exitio potissimum hic agitur, quod Christus in vera nominis divini cognitione & fide eos ita custodiverit, ne æterno exitio involverentur. Quod nemo ex illis, quos Pater Christo dederat, perierit nisi solus Judas, videri posset adversari illi, quod Joh. 6. 66. multi discipulorum dicuntur abiisse retrorsum, ut non amplius cum Christo irent. Qui per datos Christo à Patre intelligunt prædestinatos, respondent illos ἀπολλυμι; non fuisse ex numero prædestinatorum. Qui enim per electionem Christo à Patre dati, illorum nullus finaliter perit. Atqui hac ratione etiam Judas non fuit Christo à Patre datus, ut ad vitam æternam esset prædestinatus. Quomodo igitur Judas excipere posset? Chrysostomus eò abire videtur, quod ἀπολλυμι illi suâ culpâ perierint, sic enim in h. l. commentatur: *At non ille tantum perditus est, sed multi postmodum, quomodo ergo inquit, non perdam? quantum in me erit, non perdam, quod Job. 6. v. 37. aperius significavit, non ejiciam foras. Nam me a causa non expellam, non derelinquam, quod si sponte sua resiliunt, vi eos non traham. Atqui etiam Judas propriâ culpâ perierat, quorsum ergo illum solum exciperet? Quidam respondent, voculam εἰ μὴ non esse accipiendam exceptivè, quasi Judas fuerit in numero datorum Christo, sed adversativè, ut opponatur datis Christo à Patre. Particulæ enim exclusivæ ἢ δὲ, εἰ μὴ, nisi, præterquam &c. in Scripturis sacris quandoque pro conjunctione adversativa sed ponuntur, Genes. 24. 38. 2. Reg. 5. 17. Es. 59. 2. Matth. 12. 4. Luc. 4. v. 27. Joh. 5. 19. 1. Cor. 7. 16. Gal. 1. 6. c. 2. 16. Sic ergo foret sensus. *Quos dedisti mihi electos ad vitam æternam custodivi, & nemo ex illis perivit, h. e. ita eos custodivi, ut nemo ex illis periret, nisi filius perditionis, h. e. sed filius ille perditionis perit, quippe qui in numero electorum haudquam fuit. Sed ostendimus superius per datos Christo à Patre propriè & peculiariter hic intelligi Apostolos ad munus Apostolatus ab æterno electos, & in tempore Christi**

re Christo erudiendos atque informandos à Patre
 cœlesti datos. In illorum datorum numero icidem
 fuit Judas; quamvis non fuerit in numero electo-
 rum ad salutem ita à Patre Christo datorum, ut det
 eis vitam æternam. Cumq; ipse verborum sonus ac
 series textus ostendat, Christum hic *exceptivè* loqui,
 ideo ex eo manifestè constat, Christum propriè &
 peculiariter de Apostolis adhuc agere, ex aliis enim
 qui Christum vocantem ad temp⁹ secuti sunt, lon-
 gè plures perierunt. Sed Apostolos peculiariter à
 Patre sibi ad munus Apostolatus datos ita custodi-
 vit, ut nemo ex sancta illa unitate exiret, nemo ex
 sancto illo consortio secessionem faceret; nemo à
 præceptore ac domino retrorsum iret & in incre-
 dultate sua periret præter solum Judam Iscarioten.
 Illam jamdum perivisse dicit, cum tamen nondum vi-
 tam suam suspensio finivisset & in locum suum abiisset,
 Act. 1. 25. quia per nefarium prodicionis scelus in
 mortem animæ jamdum incidit & æterno exitio
 proximus erat. Dionys. Carthus in h. l. *Sicut de se lo-
 quitur tanquam non amplius esset in mundo, ita loquitur de
 Juda tanquam jam perivisset, quia mox periturus erat
 temporaliter & æternaliter, imo jam perierat gratiam amitte-
 tendo, mortem animæ incurrendo, & penam æternam pro-
 merendo.* Inde etiam ipsum vocat *filium prodicionis*.
 Euthymius prodicionis nomine intelligit diabolum
 qui propterea vocatur *prodicio*, quia omnes perdit.
 Huic expositioni accommodari posset, quod diabolus Apoc. 9. 11.
 vocatur Hebraicè *Abaddon*, Græcè *ἀπολλύων*, *perdens*,
 quodq; impii dicuntur *filii diaboli*, Joh. 8. 41. Qui-
 dam nomine prodicionis intelligunt peccatum, quod
 in extremam perniciem homines deducit, Prov.
 14. 34. Simon de Cass. lib. 12. c. 7. utramq; expo-
 sitionem conjungit: *Erat filius prodicionis, h. e. diabo-
 li, qui omnem animam nititur seipsum perdere in gehennam,
 sicut ipse non alius perdidit semetipsum & peccati filius, quo
 quis à Deo deficiens perditur.* Alii exponunt *abstrè*.
 Filius prodicionis, quia Filium Dei suâ prodicione vo-
 luit perdere. Sed rectius accipitur *passivè* filius pro-
 dicionis, h. e. perditus, unde Luth. h. l. reddit *das
 verlorene Kind*, qui tamen 2. Thess. 3. 3. Hebraïsmum
 retinens vertit *das Kind des Verderbens*. Simplicis-
 sima igitur explicatio petitur ex idiotismo Hebræo,
 de quo Basilus in Pl. 7. sic scribit: *Ipsa Scriptura con-
 suetudo pejores à peccato magis censere quam à Patribus so-
 let, meliores vero filios ex aliqua insigni & eis conveniente
 virtute. Sic filios sapientie vocat, qui in Dei cognitione
 sunt informati.* Nimirum filii nomen apud Hebræos
 multas habet significationes, inter quas etiam ea
 est, quâ accommodatur ad homines alicui rei incum-
 bentes, in hærentes, deditos ac destinatos. Sic filii ro-
 boris Deut. 3. 18. 2. Sam. 2. 7. 1. Reg. 1. 52. sunt vi-
 ri robusti ac militares; filii percussoris, Deut. 25. 2.
 est dignus, qui percussatur, ut Targum ibidem ex-
 ponit; filius mortis, 1. Sam. 20. 31. est dignus morte
 ac mortis reus, qui ad mortem traditus est, ut Tar-
 gum Pl. 102. 21. exponit; filii Belial sive iniquitatis,
 Deut. 13. v. 13. sunt *שׂוֹנוֹת* iniqui, ut LXX. ibi-
 dem exponunt. Beza in annot. ad h. l. disputat, *em-
 phasim hujus phrasæ non exprimi, quando filius prodicionis
 dicitur filius perditus, unde etiam castigat Erasmus,
 qui sic verterat: Qui perditum, inquit, hominem dicit,
 ipsum duntaxat eventum ac miseram conditionem declarat.
 At Judas dicitur filius prodicionis, non modo quia pe-
 riit, sed etiam quia huic exitio erat destinatus ac devotus,*
 Act. 1. vers. 16. cap. 4. vers. 27. & 28. Hæc sano

sensu explicari possent; nisi procederent ex falsa
 hypothese de absoluto decreto, quo Judas & om-
 nes reprobos ex absoluto Dei odio non solum ad
 æternum exitum, sed etiam ad causas exitii, vide-
 licet peccata destinatos esse Beza & alii Calviniani
 docent, id quod cum evidentissimis Scripturæ o-
 raculis pugnat, ut suo loco demonstratur. Dicitur
 ergo Judas *filius prodicionis* sive perditus. 1. Quia a-
 mavit prodicionem, ac suâ sponte peccatum pro-
 dicionem secum afferrens elegit, Pl. 109. vers. 18.
*Noluit benedictionem & elongabitur ab eo, v. 19. & induit
 maledictionem sicut vestimentum.* 2. Quia per pro-
 dicionem ac desperationem seipsum perditum ivit.
 Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 21. *Prodicionis filium ap-
 pellavit, quia pravitate periit suâ. Non enim divino inex-
 pugnabili judicio in diaboli laqueum proditorem incidisse
 credendum est. Nam si sic esset, nullo modo culparetur,
 cum Deo nemo resisteret queat. & c. Nulla necessitate, sed pro-
 prio judicio fecit, quod fecit. Quare merito prodicionis
 filius nuncupatur, qui prodicionem elegit.* Simon de Cas-
 sia d. l. *Non periit ex impotentia paternæ virtutis, nec
 ex negligentia filii humanati, sed quia filius prodicionis e-
 rat, non creatus, non à creatore factus, aut prodicioni addi-
 ctus, sed à seipso depravatus.* 3. Quia fuit homo pro-
 ditissimus & deploratè impius, qui nullis admoni-
 tionibus vel interpretationibus à nefario suo pro-
 posito se deterreri fuit passus. 4. Quia justo
 Dei judicio & consequente voluntate propter
 prævisam finalem impietatem & incredulita-
 tem ab æterno fuit reprobatus & exitio addictus.
 Non dicimus, quod absoluta & omnes causas ante-
 gradiente voluntate reprobatus fuerit, sed quod
 judiciariâ sive consequente voluntate reprobatus
 & exitio addictus fuerit, quod posterius est Scri-
 pturis conforme, cum prius manifestè pugnet
 cum Dei misericordia, justitia, merito Christi,
 prædicatione Evangelii & totius religionis Chri-
 stianæ fundamento. Conc. Arausican. can. 2. cap.
 25. *Ab quos divinâ potestate prædestinatos ad malum
 non solum non credimus, sed etsi sunt, qui tantum malum
 de Deo credere velint, cum omni detestatione illis, anathe-
 ma dicimus.* Sed Calviniani pro se interpretantur,
 quod Judas periisse dicitur, ut Scriptura impleteretur.
 Quod si namq; propter Scripturæ complementum,
 h. e. propter decretum Dei in Scripturis patefa-
 ctum Judas periisse oportuit, utique absoluto &
 invariabili Dei decreto periit. Quidam ex Ponti-
 ficis concedunt particulam *ita casualiter* hic poni.
 Toletus in h. l. *Possent quis dicere: Si custodia tua erat ef-
 ficax, cur unus periit? respondet, ut, quod prædixit Pater,
 impleteretur. Nemo periit nisi quem prædixisti periturum,
 quem ego non servavi, non quia non potui, sed quia noluisti.*
*Significavit Deus prædictione se velle permittere eum da-
 mnari & nolle omnino impedire quod posset, idcirco nec Chri-
 stus ut homo impedit, & sicut notat causâ. Maldonatus
 in h. l. Quo magis Christus significare Judam suâ negligenti-
 â periisse, ita loquitur, qui causam prodicionis illius in di-
 vinam prædestinationem, & in Scripturæ testimonium con-
 ficere videatur, ideo ut non solum consecutionem & even-
 tum, sed etiam causam declamât, non tamen causam veram,
 sed apparentem.* Quamvis verò expositio illa, quâ
 particula ut dicitur denotare causam non veram
 sed apparentem; non decretum, sed permissio-
 nem, sit tolerabilior, quam Calvinianorum,
 qui absolutum & immutabile decretum ac
 causam propriam & adequatam eâ signifi-
 cari statuunt, tamen tutissima & simplicissima,
 utpote

utpote analogiæ fidei & aliis Scripturæ locis conformis responsio est, particulam *in* hoc loco accipi non *αιτιολογικώς*, sed *εκβατικώς*, non *causaliter*, sed *eventualiter*. Ex. 11, 9. Pl. 5, 1, 6. Am. 2, 7. Matth. 5, 16. c. 23, 35. Joh. 5, 20. c. 9, 39. c. 12, 38. c. 19, 24. Rom. 5, 20. c. 11, 32. 1. Cor. 11, 19. Chryf. hom. 80. in Joh. *ἰδιῶτων ἐστὶ τῆς γραφῆς ἐστὶν ὁ τρόπος ὡς αιτιολογίαν τιθεμένης τὰ ἐκ τῆς ἐκβάσεως συμβαίοντα*. Damasc. lib. 4. c. 20. *ἰδιῶ τῆ γραφῆ τῶν ἐκβατικῶς ὀφείλοντα λέγεσθαι, ἀιτιολογικῶς λέγεσθαι*. Confer quæ de hac regula pluribus dicta sunt in expositione Joh. 12, 38. in c. 147. Harm. p. 1333. Christus ergo eo modo à defectione & exitio Judæ sese purgat, ut nec Patri cœlesti, nec Scripturæ, quæ est vox Spiritus sancti causam tribuat, quippe quorum utrumq; maxima secum trahit absurda. Agnoscit hoc ipse Calvin. in hunc locum sic commentatus: *Perperum quispiam inde colligeret, defectionem Jude Deo potius quam illi esse imputandum, quia necessitas ei ex vaticinio imposta fuerit. Neque enim rerum eventus ideo vaticiniis adscribi debet, quia illic prædictus fuerit. Nec sanè aliud denunciant Prophetæ, quam quod illis quoque tacentibus futurum erat. Non est igitur inde petenda rerum causa &c. Nec vero Christi consilium est causam exitii Judæ in Scripturam transferre, sed tantum offendiculi materiam tollere voluit, quod infirmas animas concutere poterat. Tollendi autem ratio est, quia jam olim Spiritus sanctus sic fore testatus esset, nam ferè ad res novas & subitas expavescimus. Christus ergo hunc *προσδιορισμὸν* ideo addidit, 1. Ut ostenderet, in passione nihil sibi temerè aut fortuito obtinere, sed se *ὡρισμένη βελή καὶ προγνωσθῆ τῆ θεῶ* in mortem tradi, Act. 2, 23. ubi *προγνωσθεῖς* respicit ad nefaria Judæ & Judæorum passionem Christo inferentium facinora, *βελή* vero ad salutarem passionis à Christo toleratæ finem & fructum. 2. Ut occurreret scandalo, quod ex defectione uni⁹ ex ipso Apostolorum Collegio oboriri poterat. 3. Ut significaret suam in perferenda Judæ proditione ac universa passione obedientiam & patientiam, ut hac occasione in mortem traditus pro totius humani generis peccatis satisfaciat. 4. Ut animos Apostolorum à Judæ proditione & Judæorum crudelitate ad Dei consilium, in Scripturis patefactum, quod per Messiam mortem genus humanum redimi debeat, eveheret. Quia enim absolute dicit, *ut Scriptura impleteretur*, ideo non ad unum aliquem locum Propheticum, sed ad omnia Scripturæ vaticinia, tum in genere, de sua passione, tum vel maxime in specie de Judæ proditione & exitio edita ipsos remittit. Pl. 41, 10. Pl. 69, 9. & 26. Pl. 109, 3. &c. 5. Ut ostenderet, Judam nefarium illud scelus haud impune laturum, sed dignas defectionis suæ pœnas daturum. Ubicunq; enim in Scripturis Judæ defectio prædicitur, ibi etiam horribile ejus exitium prædicitur. Colligitur autem ex hoc. v. 12. 1. Christum esse verum cum Patre Deum, quippe cum quo opus servandi & custodiendi Apostolos sibi commune esse testatur, Joh. 7, v. 20. Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 21. *Cum petierit, ut à Deo Patre serventur, ipse se id fecisse affirmat, æqualis se virtutis cum Patre imo verò subsistentem Patris virtutem demonstrans. Nam qui eadem facere potest, quæ Deus faciat verus, quomodo & idem naturæ & æqualis potestate non erit? & qui ut Deus in nomine Dei eos servavit, Deitatisque gloriam ab operibus consecutus est, quomodo alterius quam Patris erit naturæ? aut quomodo Deus verus non demonstrabitur? Nulla enim res, quæ propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter**

Deus sit. 2. Christum esse fidelem pastorem, benignum doctorem & omnipotentem Dominum. Cum docendi officio in terris fungeretur, nihil eorum prætermisit, quæ ad Apostolos in nomine Patris servandos requiri videbantur, docuit, monuit, correxit, defendit, ac de omnibus necessariis ipsis prospexit, unde merito se *bono pastori*, Joh. 10, v. 14. & *gallina pullos suos congreganti* comparat, Matth. 23, 36. Quod si in statu exinanitionis, antequam in regnum & gloriam suam ingressus esset, dilectos suos tantâ fidelitate conservavit, quanto majorem eorum curam geret in statu exaltationis ad dextram Patris sui collocatus, Heb. 4, 15. tam non potest suorum curam abjicere, quam fidem Patri datam non servare, Joh. 6, v. 37. tam non possunt ex Christi manu oves ejus rapi, quam ex Patris manu rapi non possunt, Joh. 10, 28. Quamvis verò non amplius tueatur suos externâ præsentia & familiari ministerio, quo in diebus carnis suæ usus est, tamen præstô ipsis est invisibili præsentia, & divinâ suâ potentia carni communicatâ ipsos defendit. Quamvis etiam in cruce & persecutionibus suos videatur ad tempus deserere, ea tamen non est omnimoda derelictio, sed tantum faciei ad tempus absconditio, Ef. 5, 4, 7. & 8. sicut hoc loco Apostolos videtur relinquere, interim Patri cœlesti eos servandos tradit. 3. Illos, qui divinam vocationem secuti fide Christum amplexi sunt, per peccata contra conscientia commissâ gratia & fide iterum excidere posse. Quorum enim tam sollicitè Christus rogaret eos servari, quos perire planè erat *ἀδύνατον*, ac quæ esset virtus & gratia custodientis, si custoditi perire nullo modo possent? 4. Credentes in Christum non posse se suis viribus adversus exitii periculum tueri, sed divinâ conservatione opus habere, quamdiu in lubrico hujus mundi itinere versantur, Iudæ. v. 24. Hieron. lib. 2. adv. Pelag. *Christus non dixit, de diu liberi arbitrii potestatem, ut ipsi se suo labore salvarent, sed ego servavi eos, ego custodivi eos*. Stapul. in hunc locum. *Quicumque non percutit, id suæ potestati ac arbitrio non tribuant, sed divine circa nos providentiæ, quæ nos circumvallat, tuetur & ambit*. 5. Deum Patrem & Filium ejus Iesum Christum variis modis nos custoditum immediate per se ipsum, tum mediatè per Angelos Pl. 91, 11. ac per homines, quibus nostri custodiam demandavit. Custodit etiam nos per Verbum Prov. 4, 6. verâ fide in corde custoditum, Luc. 11, 28. quoniam & pii seipfos custodiunt, 2. Pet. 3, 17. 1. Joh. 5, 21. non naturalibus suis, sed novis à Spiritu sancto in regeneratione ac renovatione donatis viribus. 6. Omnibus verè piis, cum primis verò Ecclesiæ ministris incumbere, ut exemplo Christi diligentissimam eorum curam gerant, quorum salutem à Deo sibi concreditam esse noverunt. Ez. 3, 20. Hebr. 13, 17. &c. Hieron. in Ezech. *Non solum de nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis & nequaquâ de eorum salute sumus solliciti*. Greg. in moral. *Quot regendis subditis præstet Sacerdos, tot solus, ut ita dicam, animas habet reddende apud Deum rationis tempore*. 7. Nullum Ecclesiæ cœtum esse tam sanctum, qui non habeat admixtos aliquos non sanctos. Si inter Christi discipulos fuit proditor, non debet nobis mirum videri, in Ecclesia simul bonos & malos inveniri, sicut in arca Noaitica animalia munda & imunda, pius Semus & hypocrita Chamus conjungebantur, etiam si ministri Ecclesiæ de summa diligentia nihil reliquum faciant. 8. Iudam fuisse typum

typum Antichristi, quippe qui 2. Thess. 2. v. 3. itidem vocatur *perditionis filius*. Sicut Judas vili precio Christum vendidit: sic in Synagoga Antichristi locum habet illud Baptistæ Mantuani:

Venalia nobis ignis, thura, preces, altaria, sacra, corone, Templi, Sacerdotes, caelum venale, Deusque.

Discrimen tamen in eo est, quod Judas seipsum duntaxat perditum ierit: Antichristus verò & se & alios perdit, unde *perditionis & filius & pater* merito vocatur. 9. Judæ vestigia illos sequi, qui veritatem Christi pro vili quæstu produnt, qui *pietatem esse quæstum æstimant*, 1. Tim. 6. v. 5. qui propter temporale commodum Evangelium amplectuntur &c. Quem admodum igitur Judas inde atq; ideo perit, quia non ex animo Verbum curavit, nec Christum propter Christum quæsiuit, sed sub ipsius nomine ditescere voluit, ita quoque qui cum Juda eidem viæ insistant, in unum cum ipso hospitiūm perveniunt. 10. Judam perditionis filium Christum & Ecclesiam ejus perdere quidem voluisse, sed seipsum perdidisse, Christo autem & Ecclesiæ ejus magis profuisse. Quod enim Christum attinet, ille per *passionem & mortem* proditione Judæ procuratam *intravit in suam gloriam*, Luc. 24. v. 26. Ecclesiæ itidem Judas profuit, quia per passionem & mortem Christi redemptio humani generis & salus mundi fuit procurata, veritas Scripturæ, quæ proditionem prædixit, demonstrata, & Ecclesiæ filii hoc exemplo fuere admoniti, ut *cum timore & tremore salutem suam operarentur*, Phil. 2. v. 12. Pari ratione persecutores, hæretici ac falsi fratres Ecclesiam perdere cupiunt, sed seipsum perdunt, Ecclesiæ verò salutem promovent. Neque tamen commodum illud ex Judæ proditione & Tyrannorum persecutione in Ecclesiam redundans pessimæ ipsorum voluntati, sed divinæ sapientiæ ac bonitati ad bonum finem ea, quæ pessima sunt, dirigenti, unice tribuendum. 11. Quæ de piorum salute & impiorum exitio in Scripturis traduntur, ea immota esse certitudinis & infallibilis veritatis, proinde non possunt fieri irrita, sed omnia tandem implentur, cum *Scriptura non possit solvi*, Joh. 10. v. 35. Discamus ergo ex Scripturis Dei voluntatem, ut ei obsequiamur, tum in bonis faciendis, tum in malis culpæ cavendis, tum in malis pœnæ ab impiis nobis illatis patienter ferendis. Neque tamen hæc infallibilitas prædictionum, quæ in Scripturis de peccatis & exitio impiorum annotatæ extant, eo sensu accipienda, quasi Scriptura peccandi & pereundi necessitatem illis afferat, sed quod ex aliis causis infallibiliter secuturum Deus prævidit, illud in Scripturis annotari jubens infallibiliter idem prædixit. Cyrillus in h. l. *Non quia scriptum est de Juda, quod periturus esset, propterea eò nequitia processit &c. Verum quoniam malignitate suâ periturus omnino erat, idcirco id omnino futurum Scriptura prædixit, quam falso quicumque dicere impossibile est. Deus enim ipse per Scripturam loquitur, qui mores & vitam omnium novit &c. Quare qui novit omnia, qui futura quasi presentia videt, per Scripturam nobis hoc etiam prædixit. Non autem omnia, quæ futura Deus novit, aut vult, aut imperat, nec prædictio ad malum hortatur magis quam deboretur. Simon de Cassia lib. 12. c. 17. Scriptura non necessitas, quod est sciendum; sed necessitatur ex futuro, h. e. non ideo aliquid fit, quod in Scriptura prædictum extat, sed ideo aliquid in Scriptura prædicitur, quia illud futurum Deus prævidit.*

In posteriore hujus argumenti membro Christus im-

minentem suam abitionem & causam recitatæ hujus ante abitionem orationis exponit: *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Verba priora hujus versiculi pendent ex præcedentibus: *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo, nunc autem mundum relinquo, & ad te venio.* Ergo ipsos in nomine tuo servandos tibi trado. In posterioribus verbis Christus causam explicat, quare ante suum exitum ab mundo sonora & audibili voce hanc orationem recitare voluerit, videlicet propter consolationem Apostolorum. At quomodo hæc cum superioribus connectuntur? 1. Quia Christus mentionem sui ex mundo abitus & proximi instantis discessum ab Apostolis fecerat, ideo hac occasione causam subjungit, cur ante suum exitum, adeoque nunc potius quam antea pro Apostolis orare voluerit. 2. Explicat finem, propter quem oraverit, ut Pater eos in suo nomine servet, imò propter quem omnia superiora in precibus hisce dixerit, videlicet ut intelligerent, quanto in precio apud Patrem cœlestem habeantur, ne propter visibilibus præsentia Christi subtractionem plus æquo contristarentur. Chrysost. homil. 80. in Joh. *Cum multis adhibitis consolationibus nondum acquiescerent, iam Patrem alloquitur, ut suum in illos amorem declararet, ut gaudium meum habeant impletum in semetipsis. His verbis ad eorum recreationem & letitiam hæc omnia se locutum ostendit.* 3. Simul etiam causam explicat, cur tam prolixè hætenus non solum pro se, sed etiam pro Apostolis oraverit, ut sit sensus. Non mei causa tot verba in precibus meis facio, certus enim sum de mea glorificatione, nec ideo tam prolixè oro, quasi dubitem de benignissima Patris cœlestis erga vos voluntate, ipse enim Pater amat vos, Joh. 16, 27. nec quod Pater tam durus & inexorabilis sit, sed unice propter vos hac prolixitate utor, ut solatium & gaudium cordibus vestris instilletur. 4. Quidam putant novam hic contineri petitionis materiam, quæ consolationem & gaudium Spiritus sancti Apostolis suis Christus petat, quæ ex conservatione in nomine Patris, h. e. ex vera Dei agnitione & fide originem trahit. 5. Quidam censent novum prioris petitionis argumentum hic proponi, ut sit sensus. Nullus mei abitus fructus ad illos redire potest, nisi singulari tuâ bonitate & gratiâ in fide conserventur, in tuo ergo nomine eos serva, ut gaudium ex mea passione, morte & resurrectione ad illos redire possit, ut ergo prima ratio ex præterito officio, & ejus fructu est desumpta: sic hæc altera ratio ex præterito officio & ejus fructu desumpta esset, videlicet ex bono interni ac spiritualis gaudii, ad quod sunt servandi. Sed priores connexionis rationes sunt simpliciores. Expendenda verò sunt singularia verba: *Nunc, inquit, ad te venio. Nunc, postquam scilicet venit hora, vers. 1. Postquam te glorificavi super terrâ, ac consummavi opus, quod dedisti mihi, ut facerem, v. 4. postquam manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, v. 6. postquam eos, quos dedisti mihi in tuo nomine hætenus servavi visibiliter & familiariter cum illis conversatus, v. 12. nunc ad te venio, à quo in mundum missus sum, & à quo servandos accepi, quos tibi jam commendo servandos. Quidam illud ἐξ ἑοῦ de ipso orationis hujus actu exponunt, ut sit sensus. Nunc hisce precibus ad te venio, quia oratio est accessus ad Deum. Sed simplicius accipitur eo sensu, quo hæc phrasia ponitur in v. 11. Et hæc, quæ pro mei glorificatione & Apo-*

& Apostolorum conservatione hactenus oravi, adhuc ante meum discessum loquor in mundo. Monuimus superius ex verbo λαλῆν non posse colligi, quod Christus hic non oret, sed concionetur, cum εὐχῆ & λαλιᾷ non sint opposita, præsertim si de precibus sonorâ & audibili voce prolatis, quales hæ ipsæ erant, sit sermo. Ideo vero Christus Verbum λαλῆν quam ἐρωτᾷν (qvo v. 9. & 20. utitur) adhibere maluit ut ostenderet, quod quamvis sollicitam Apostolorum suorum curam jam ex mundo abiturus gereret, & devotè pro illis Patrem cœlestem oraret, non tamen tam de eorum statu sollicitus sit, & pro illis oret, quam anxietati & sollicitudini eorum occurrere velit, qvo sine etiam clarâ & sonorâ voce discipulis & præsentibus & audientibus preces hasce recitet. Quod se in mundo hæc loqui dicit, non pugnat cum eo, quod v. 11. dixerat: *Se jam non esse in mundo. Quia enim nondum abierat, in mundo adhuc erat; quia mox abiturus erat, in mundo jam quodammodo non erat, ut argutè responderet, August. tract. 107. in Joh. Pronomini ἐμῶ additur articulus ἀναφορικός, ut habeant gaudium illud meum impletum, de qvo scil. dixi, Joh. 15, 11. vel quod oritur ex unitate, quam ipsis precatus sum in hoc cap. v. 11. Participium ἀποκληρωμένω à parte posteriore construendum est cum verbo ἔχωσιν, non cum nomine gaudium. Sic enim oporteret articulum esse additum τῶ ἀποκληρωμένω. Quodnam vero & quale sit illud gaudium, quod in Apostolis completum haberi Christus precatur, de eo non est una atque eadem Interpretum sententia. Stapulensis refert ad gaudium vitæ æternæ, argumento permotus eo, quod gaudium piorum in hac vita sit duntaxat inchoatum, non completum. Non est, inquit, plenum gaudium in aliquo, si quid adhuc gaudii recipere possit. Est ergo plenum, quandoque cuique sua impleta est capacitas, & tunc est satietas. Ps. 17, 15. Cum autem in hoc mundo gaudio quodcumque sit, aliquid addi possit, & in hoc mundo non sit satietas, in hoc utique mundo gaudium non est plenum. Sed manifestum est ex serie textus, Christum loqui de illo gaudio, quod pii in hac vita sentire incipiunt, quod quamvis non sit perfectum & completum ratione quantitatis, completum tamen dici potest ratione qualitatis, videlicet sinceritatis, soliditatis ac firmitatis. Augustin. gaudium Christi intelligit effectivè, quod Christus in Apostolos contulit, & ad unitatis exhortationem respectum haberi censet. Quod sit, inquit tract. 107. in Johann. hoc gaudium, de qvo ait, ut habeant gaudium meum impletum, jam superius expressum est, ubi ait, ut sint unum, sicut & nos. Hoc gaudium suum, h. e. à te in eos collatum in eis dicit implendum, propter quod locutum se esse dixit in mundo. Hæc est pax illa & beatitudo in futuro seculo, propter quam consequendam temperanter & justè & piè vivendum est in hoc seculo. Cyrill. lib. 11. in Johann. c. 22. gaudium Christi passivè accipit, ut gaudium, qvo de me gaudent, in semetipsis impletum habeant, credentes scilicet me post meum etiam abitum ipsos servare posse: Quod est (inquit) impletum verè atque perfectum gaudium? ut sciamus, firmiterque credamus, non solum hominem illum, sicuti nos, absque peccato, sed verum etiam Deum esse. Hoc enim solummodo pacto etiam carne absens servare suos poterat, qui perfectum habebunt gaudium, cum servitute omnipotentis protegi non dubitent. Quidam putant gaudium illud, quod discipulis Christus precatur, impletum vocari, ac in ipsis*

discipulis i. e. in cordibus ipsorum statui ad differentiam mundani & externi gaudii. Externum gaudium in mundo non habent, ideo modis omnibus hoc ago, ut internum gaudium habeant. Sim. de Cass. lib. 12. c. 17. Dum in mundo erant mundum non diligentes, nunquam ab his, que foris sunt, gaudendi materia eis erit. In interioribus præparandum est gaudium. Ideo hæc loquor, hæc peto; ut gaudium de unitate, de conservatione paterna, quod meum est, impletum sit in ipsis. Simplificissima explicatio colligitur ex contextu, & ex loco parallelo Joh. 15, 11. Hæc loquor in mundo visibiliter Apostolis meis adhuc præsens, ut gaudium, quo de ipsorum in fide constantia gaudeo & quod meo beneficio in ipsorum cordibus accensum est, habeant in semetipsis impletum, ac ut sensus illius gaudii, qvo se à me diligentiunt, in hac vita magis magisque quotidieaugeatur, donec perfectè consummatio in vita æterna sequatur. 1. Quando suâ in fide constantia ac studio unitatis & concordia materiam gaudii mihi exhibebunt, ut quemadmodum hactenus ipsorum fide & unitate delectatus sum, ita in posterum quoque tales sint, de quibus plenè ac perfectè gaudere possim, quod tunc demum fiet, si in vera doctrinâ & vitæ unitate conserventur, Phil. 2, 2. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes unanimes idipsum sentientes. 2. Quando gaudium, quod de me perceperunt, per meum abitum in ipsis non diminuetur, sed magis augebitur & perficietur, quod fiet, si verè credunt, me in abitu meo ipsorum curam nequaquam abjicere, sed benigne eos custodire velle, etiam si visibili & externâ meâ præsentia destituantur. 3. Quando intelligent, qvo in loco sint, tum apud te Patrem cœlestem, videlicet tui proprii & à te mihi dati, tum apud me, ut pote qui paulò ante abitum meum ardentissimas hasce preces pro ipsis obtuli, & in manus tuas ipsorum salutem commendavi, quod non potest non ipsorum animos erigere & exhilarare. 4. Quando scient meâ passione & morte se esse tibi reconciliatos, & in omnibus periculis & adversis tuo patrocinio & præsidio fore tutos, ex quo tranquillitas conscientia & gaudium spirituale in ipsis orietur. 5. Quando in omnibus periculis & adversis harum precum recordabuntur, id enim non poterit fieri absque singulari & serio gaudio, cum sciant me à te semper exaudiri, Joh. 11, 42. 6. Quando verâ fide trepidationes carnis, terrores mundi ac tentationes diaboli superabunt, & ex mea victoria solidum percipient gaudium. 7. Quando ex mea resurrectione & Spiritus sancti missione firmam consolationem percipient ac reipâ experientur, preces hasce meas, quibus Spiritum sanctum omnium veri gaudii originem ipsis precatus sum, non esse frustraneas sed efficaces, Joh. 16, 22. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. 8. Quando eo gaudio in seipsis afficiantur, qvo ego afficior, scientes se divinitus conservatos iri, sicut ego non obstante acerbissimâ passione & ignominiosissimâ morte à te conservabor, ut sic gaudium, qvale in tua erga me dilectione habeo, de mea erga ipsos dilectione etiam ipsi in se habeant, quod in hac vita cœptum, in futura perficiatur & consummetur. Hæc omnia Christus complectitur, quando dicit se per mortem crucis in gloriam cœlestem jam jam ingressurum, nec amplius

plius cum Apostolis in terra visibiliter conversaturum, ante suum abitum sonorâ voce preces hasce recitare, ut gaudium suum habeant in semetipsis impletum. Colligitur autem ex hoc loco 1. *Quantitas verbi divini auditi* *εὐεγγελεῖα*, tanta scilicet ut quamvis ob mœrorem cordis in præsentis ejus vis non statim sentiatur, tamen progressu temporis discussâ paulatim mœroris caligine potenter sese exerat, & conscientiam auditoris tranquillam reddat. 2. *Quis sit scopus*, tum totius doctrinæ Evangelicæ, tum hujus admirabilis orationis Christi, videlicet ut in quibuscunq; adversis verum gaudium & constans solatium habeamus. Rom. 15, 4. *Quoties ergo mala vel ingruunt vel nos premunt*, ex hac ardentissima Christi preceatione velut vivo consolationis fonte aquam vivam petamus, quia Christus non solum pro Apostolis, sed pro omnibus *per verbum ipsorum credituris* oravit, Joh. 17, 20. 3. *Quod verum ac solidum gaudium non nisi in Christo inveniri possit*. Tunc vero gaudium Christi in nobis est & impletur, quando verâ fide ipsius promissiones nobis applicamus, iisq; firmiter adharemus, etiamsi omnia in mundo nobis videantur contraria. Hoc non est mundanum & externum, sed internum, absconditum & perfectum gaudium, est *manna absconditum*, quod nemo gustat nisi qui accipit, Apoc. 2, 17. Exteriùs pii à persecutoribus affliguntur, à Satana tentantur, à mundo odio habentur, sed in his persecutionibus & odiis externis sustentat ipsos gaudium cordis internum, quod non est instabile & caducum, sed constans & perpetuum. 4. *Quod spirituale ejusmodi gaudium sit donum Dei gratuitum in Christo*, unde Christus à Patre cœlesti per preces Apostolis suis illud impetrat, Rom. 15, v. 13. *Deus spei repleat vos omni gaudio & pace*.

Atq; hætenus expendimus *priorem rationem*, propter quam Christus Apostolos in nomine Patris servari petit, quæ fuit *petita à Christi ex hoc mundo abire*; succedit *posterior*, quæ desumitur *ab Apostolorum in mundo relictorum conditione*. *Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo*. Ratio hæc satis efficax est, quæ melioris intelligentiæ causâ sic potest formari. Qui à mundo odio habentur, illos æquum est à te Patre meo cœlesti diligere, & in nomine tuo servari. Jam verò hi Apostoli mei, pro quibus oro, à mundo odio habentur. Ergo illos æquum est à te Patre meo diligere & in nomine tuo servari. Connexio majoris pender à causa illius odii, quam Christus duplicem assignat. 1. *Doctrinæ Evangelicæ professionem*. 2. *A moribus mundi separationem & dissimilitudinem*. Non ideo à mundo odio habentur, quia sunt fures, homicidæ, malefici &c. 1. Pet. 4, v. 15. sed 1. quia *tradidi eis sermonem tuum*, quem fide receperunt, publicè in mundo professi sunt & aliis prædicarunt. 2. *Quia non sunt de mundo*, sed à moribus & vitiis mundi alieni. Æquum igitur est, ut qui à mundo propter tuum sermonem sese segregarunt, seq; totos nobis consecrarunt, tibi curæ sint. Quia odiù mundi, quo laborant, propter tuum sermonem est exortum, ideo tuam erga ipsos benevolentiam illud meritò debet provocare. Sic ergo Christus in his verbis ostendit. 1. *Custodiæ paterne necessitatem*. *Preccatus sum, ut eos in nomine tuo serves*, hæc conservatio & custodia erit eis maximè necessaria. In mundo non habebunt servatores sed oses & per-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

secutores. Ergo tuum patrocinium & præsidium ipsis erit necessarium. 2. *Petitionis sue æquitatem*. *Preccatus sum, ut eos in nomine tuo serves*, hæc mea petitio conjuncta est cum summa æquitate, quia propter te ac tuum sermonem à mundo odio habentur. Justa verò & æqua petitio est, quâ ab eo præsidium & auxilium petitur, propter quem persecutio & afflictio infertur. 3. *Modi*, quo Pater eos in suo nomine servet, *concommunitatem*. Tradidi illis sermonem tuum h. e. doctrinam Evangelii ex sinu tuo prolata, illam fide receperunt & sic facti sunt filii tui & vitæ æternæ hæredes, Joh. 1, 12. Rom. 8, 17. Quòd si in fide illa per verbum Evangelii in cordibus ipsorum accensa eos servaveris, in nomine tuo eos servabis. 4. *Evangelicæ doctrinæ dignitatem*. Denuò illis commendo Verbum, quod abs te acceptum ipsis tradidi, si huic verbo constanter adhæserint, nec per mundi odia & persecutiones ab eo sese avelli patientur, in nomine tuo servabuntur. Quidam putant novam hic exponi petitionem, ut sit sensus. Unum hætenus petii, videlicet ut sint unum in fide & dilectione, jam alterum peto, ut contra persecutiones mundi à te protegantur. Sed quia Christus jam antè rogaverat, ut à Patre serventur & custodiantur, sicut hætenus ipsos servaverit & custodiverit, ideo rectiùs hic versiculus accipitur tanquam prioris petitionis ratio, quàm nova quædam & à priori distincta petitio. Expendenda verò sunt singula membra. Primò inquit Christus, *ego tradidi eis sermonem tuum*. Quòd superiùs dixerat: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, v. 6. *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis*, v. 8. illud jam sic effert: *Ego tradidi eis sermonem tuum*. Tradidit autem Christus sermonem Patris Apostolis 1. per *Externam Evangelii prædicationem*, ut sit sensus. Prædicavi ipsis Evangelium & in eo voluntatem tuam ipsis revelavi, ostendi eis viam salutis, æquum igitur est, ut in ea tuâ virtute dirigantur & serventur. 2. Per *interiorem regenerationem*. Non tantum exterius ipsis prædicavi Evangelium, sed etiam per Spiritum meum interiùs in cordibus ipsorum fidem operatus sum, per quam oblata in Evangelio bona sunt amplexi. *Crediderunt, quod à te exiverim* Joh. 16, 27. *Sermonem tuum servaverunt*, Joh. 17, 6. *Verba, quæ eis dedi, acceperunt & cognoverunt verè, quòd à te exiverim, & crediderunt, quod tu me misisti* v. 8. æquum igitur est, ut in hac fide, quam ipsemet mecum in cordibus ipsorum operatus es, eos conserves. Cyrill. lib. 11. c. 23. *Libenter sermonem tuum h. e. prædicationem Evangelicam ò Pater susceperunt quæ longè à mundo, terrenisq; desideriis credentes amoveret*. 3. Per *ministerii commendationem*. Non tantum prædicavi ipsis Evangelium, sed etiam aliis prædicandum ipsis tradidi, æquum igitur est, ut tuo robore fulciantur & virtute ex alto induantur, quò commisso Evangelii prædicandi munere salutariter fungi possint. Notanter autem dicit, *sermonem tuum ipsis tradidi*, ut argumento majus accedat pondus. *Quia enim Patris doctrina est, quam Apostoli à Christo acceperunt, & propter quam persecutiones in mundo patiuntur, ideo ad patrocinium ipsis præstandum eò magis Pater cœlestis quasi obligatur*. Alterum membrum est, *& mundus eos odio habuit*. Dependet hoc ex priore, ideoq; *regi* accipiendum *illativè*. *Quia sermonem tuum illis tradidi, quem fide acceptum publicè professi sunt & aliis prædicarunt, ideo mundus eos odio habuit*. Aug. tract. 108. in Joh. præteritum pro futuro

Ccccc

futuro

fucuro poni cenfet. *Nondum*, inquit, *id experti fuerant* passionibus suis, *que illos postea sunt secute*, sed more suo dicit ista verbis prateriti temporis futura prænunciare. Quamvis vero odia & persecutiones mundi adversus Apostolos maximè fuerint auctæ, quando Evangelium in toto terrarum orbe prædicarunt, tamen ab illis non fuere penitus immunes, quando in Judæa Evangelii semen mandato Christi obsecuti sparserunt, ut colligitur ex ipsa instructionis formula Matth. 10, 14. 16. & seqq. ac mundus antiquum suum semper obtinet, ut confessores & præcones veritatis odio habeat. Potest igitur prateritum, præsens & futurum tempus conjungi, mundos eos odio habuit & adhuc habet, maximè verò eos odio habebit, quando Evangelii doctrinam, quæ gentibus est stulticia, Judæis verò scandalum, 1. Cor. 1, 24. post meam in cælos ascensionem in toto terrarum orbe prædicabunt. Hoc mundi odium vel maximè benevolentiam & defensionem Patris impetrare ipsis debet. Superius dixerat v. 11. *Hi in mundo sunt*, jam addit, ipsos non solum diutius in mundo permanuros, sed in super etiam odia & persecutiones mundi passuros, ac proinde æquum esse, ut divino patrocínio gaudeant. Tertium membrum est, quia non sunt de mundo. Hoc continet alteram mundani odii causam. Mundus eos odio habet, non solum quia repudiata mundi doctrinam Evangelium meum sunt amplexi & mundo contraria docent, sed etiam à moribus & studiis mundi sunt alieni. Nec doctrinam profitentur cum doctrina mundi consentientem, nec approbant mundi vitia, sed ea potius arguunt, quid ergo mirum, quod mundus eos odio habeat, cum ut morum similitudo amicitia, ita dissimilitudo inimicitiarum & odiorum sit mater? Joh. 15, 19. *Si de mundo essetis, mundus, quod suum esset, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea mundus vos odit.* Superius dixerat, Apostolos adhuc esse in mundo v. 11. hic verò dicit, eos non esse de mundo, quia quamvis in mundo adhuc viverent, de mundo tamen separati erant, 1. Per electionem tum ad Apostolatam, tum ad vitam æternam. Joh. 15, 16. *Ego elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum afferatis.* v. 19. *Ego elegi vos de mundo.* 2. Per vocationem ad regnum gratiæ & in scholam Christi Joh. 17, 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Rom. 1, 1. *Paulus Apostolus segregatus in Evangelium Dei.* Gal. 1, 15. *Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam.* v. 16. *Ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illis gentibus &c.* In quibus dictis electio & vocatio simul conjunguntur, quia electio est præordinata, vocatio & vocatio est executioni data electio. Ipsum quoque Verbum à *Phoq* deducit nos ad terminum à quo facta est separatio, videlicet à mundo. 3. Per regenerationem ac renovationem. Post lapsum naturam omnes homines sunt mundus sive de mundo, sed quando Spiritu Dei regenerantur ac renovantur, tunc non amplius sunt de mundo. Ambr. serm. 14. in Psal. 118. *Non sunt de hoc mundo, quia supra mundum sunt, qui Christum sequuntur, segregati de mundo non solum per æternam electionem, sed etiam per Spiritum sanctum qui non est mundi Spiritus, regenerati per semen illud verbi incorruptibile, ut mundanis omnibus nuncium miserint.* Aug. tr. 108. in Joh. *Quod non sunt de mundo, hoc eis regeneratione collatum est. Nam generatione de mundo erant, propter quod jam eis dixerat.*

Ego elegi vos de mundo. Donatum est ergo eis, ut sicut ipse nec ipsi essent de mundo, eos ipso liberante de mundo. 4. Per glorificationem aliquando omnibus manifestum fiet ipsos non esse de mundo, sed de mundo ad vitam æternam electos ac separatos. Quartum membrum est, sicut ego non sum de mundo. Hoc addit 1. ad consolationem Apostolorum, ne grave ipsis videatur, quod odium mundi experiri cogantur, cum hac ratione imagini Salvatoris & Magistris sui conformentur. Joh. 15, v. 18. *Si mundus vos odit, scitote, quod me prius quam vos odio habuerit.* 2. Tanquam petitionis sue rationem. Commendavi Apostolis hisce meis officium prædicandi Evangelii, ac minus illud post meum abitum ipsis velut hereditarium relinquam. Pro hoc maximo beneficio, quod in verbo Evangelii gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam toti humano generi eis offero, mundus eos summo amore deberet amplecti, sed contrarium profus accidit. Ut enim me propter Evangelii prædicationem odio habuit, ita quoque ipsos eandem doctrinam prædicantes odio habet, æquum igitur est, ut quia mecum eandem in mundo fortunam experiuntur, eodem quoque patrocínio & præsidio fruuntur. 3. Ad discipulorum informationem, ut Magistri sui exemplo studeant mundo esse vitæ & moribus dissimiles, non autem ei conformari. Quod autem Christus se de mundo esse negat, illud quidam ratione divinæ naturæ dictum esse arbitrantur, ut sit sensus. Non sum vulgaris homo, sed in personæ unitate, verus Deus, qui non sum de terra, sed de cælo descendit. Joh. 3, v. 31. *Qui de supernis venit, super omnes est. Qui est de terra, terrenus est & de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est,* ubi Joh. Baptista ostendit discrimen inter Christum & se ratione personæ. Se dicit esse ex terra, i. e. ex hominibus tantum oriundum & nudum hominem: Christum verò dicit esse de cælo, h. e. non tantum hominis, sed etiam Dei Filium. 1. Cor. 15, 48. *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Quidam putant Christum ad conditionem & qualitatem regni sui respicere. Non sum de mundo, h. e. regnum meum non est de hoc mundo, Joh. 18, v. 39. Sed comparatio cum Apostolis ostendit, Christo de studiis, vitæ & moribus præcipue hic sermonem esse. Apostoli non sunt de hoc mundo, sicut ego non sum de mundo, h. e. aliter doceo & vivo, quam mundus desiderat & probat, non sum terreno modo affectus, non quæro mundanam gloriam & terrenas divitias in meo ministerio, sum penitus à mundo dissimilis vitæ & moribus, accuso mundi cœcitatem & injustitiam, unde ipse quoque mundi odia & persecutiones experior. Joh. 7, v. 7. *Mundus me odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Atqui de hac morum & studiorum dissimilitudine itidem potest accipi dictum Johann. Baptiste: *Qui est de terra, terrenus est & de terra loquitur,* ubi elegans antanagoras occurrit, iidem enim verbis ex τῆς γῆς ἐστίν significatur in subjecto substantiæ origo, in prædicato ingenii affectio. Joh. 8, 23. *Vos ex infernis estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de mundo.* 1. Joh. 4, 5. *ex mundo sunt, ideo de mundo loquuntur & mundus eos audit.* Notandum tamen, quod similitudo, quam Christus inter se & Apostolos in eo constituit, quod non sint de mundo, conjunctam habeat quandam dissimilitudinem. Apostoli enim eâ ratio-

eâ ratione non sunt de mundo, ut aliquando fuerint de mundo, quia electi fuere de mundo, Johann. 15. v. 19. Sed Christus eâ ratione est de mundo, ut nunquam fuerit de mundo. Chryf. hom. 81. in Joh. Particula sicut non est ἀπαρὰ δούλου ἀπολείας. Ut enim cum de Patre & ipso dicitur τὸ καὶ δὺς summam indicat æqualitatem propter naturæ cognationem: ita cum de nobis & ipso dicitur, maximam per utriusq; naturæ differentiam indicat diversitatem. August. in h. l. Ipse de mundo nunquam fuit, quia etiam secundum formam servi de Spiritu sancto ipse natus est, de quo illi renati. Nam si propterea illi jam non de mundo, quia renati sunt de Spiritu sancto, propterea ille nunquam de mundo, quia natus est de Spiritu sancto. Albertus in h. l. Sicut non dicit omnimodam æqualitatem, quia Christus natus est segregatus, ita quod nunquam fuit de hoc mundo; Apostoli autem per Sacramentum regenerationis sunt segregati, ita quod aliquando de hoc mundo fuerunt. Quod ergo Christus dicitur segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. non est accipiendum inclusivè eo sensu, quasi Christus aliquando fuerit in numero peccatorum, sed exclusivè quod nunquam fuerit in numero peccatorum. Colligitur autem ex his verbis 1. quæ sit fors Ecclesiæ doctorum in hoc mundo, videlicet quòd non sit eis expectandus favor mundanus, sed odia & exilia in hoc mundo. Cum enim ea doceant, quæ mundo & corruptæ carni displicent, ideò mundus adversus ipsos insurgit, & iniquis odiis eos premit. Cyrillus lib. 11. cap. 23. Non possunt eis esse jucundi, cum terrena omnia contemnant & hujus mundi vitam abominentur, peccata eorum redarguentes, avaritiam undique pellentes, inanem gloriam despuentes & matrem malorum omnium cupiditatem habendi exterminandam esse docentes & demum ab errore atque impietate ad verum Deum revertentes. 2. Quamvis verò mundus potissimum doctores & præcones Evangelii odio prosequatur, tamen etiam confessores Evangelii odit & premit. Mundus deberet odio prosequi falsos doctores & homines facinorosos, sed mutatis rerum vicibus eos odio habet, qui verbum amant ac propagant. Si verus Christi discipulus esse cupis, non poteris mundi odium effugere. 3. Quod si propter confessionem & prædicationem Evangelii mundi odium nobis obtingat, cogitemus, Christum eandem in mundo fortem expertum fuisse, ac proinde per odium mundi nos ipsius imagini conformari. Cogitemus insuper, ideò nobis hoc obtingere, quod sermonem Patris cælestis fide amplexi fuerimus, ac per fidem Christo adherentes à mundo simus separati, proinde etiam patrocinio & præsidio Patris, propter quem & propter cuius verbum talia patimur, tutos & incolumes nos futuros. Cogitemus deniq; Christum in hisce precibus omnes, qui eandem secum & cum Apostolis fortem propter verbum in hoc mundo experiuntur, in manus patris commendasse, quæ preces non futura sint irrita. 4. Si mundus eos odio prosequitur, qui sermonem Patris fide recipiunt, utique de doctrina & Ecclesiæ veritate non est iudicium faciendum, ex mundi consensu & applausu. Præclare Seneca, quamvis in dissimili negotio. Nunquam tam bene agit cum rebus humanis, ut meliora placeant pluribus. 5. Benignitati & φιλανθρωπία Filii tribuendum, quòd se nobis, qui ipsi longè non solum impares, sed etiam dissimilis sumus, comparat, ac nos de mundo non esse asserit, sicut ipse nō est de mundo.

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

Duplici huic petitionis suæ rationi subjungit Christus ejusdem expositionem. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Supra in propositione petitionis generaliter dixerat: Pater sancte, serve eos in nomine tuo, hic specialius exponit, quomodo eos servari velit. Non tamen propter Patrem hanc ἐξήγησεν petitionis suæ subjungit, quasi ipse opus habeat instrui, quid Apostolis præstare vel denegare debeat, nec quasi mentem Christi precantis non satis intelligat, sed propter astantes & audientes discipulos, pro quibus preces fundit, hoc adjicit, ut ipsis constet, quæ ratione à Patre in hoc mundo servandi sint. Consultit igitur ipsorum infirmitati, ut vota ac desideria sua huic normæ attemperent, neq; quidquam contra voluntatem Dei petant vel desiderent. Duæ verò sunt hujus expositionis partes. Prior est ἀρνητικὴ sive negativa, in qua exponit, quid non petat. Posterior θετικὴ sive affirmativa, in qua exponit, quid propriè petat. Prior sic habet: Non rogo, ut tollas eos de mundo. Sensus est, non rogo, ut hoc ipso statim tempore è mundo illos tollas, vel per miraculosam & extraordinariam μετὰ θένον, sicut quondam transfulisti Henochum, Gen. 5. v. 22. & Eliam 2. Reg. 2. v. 11. qui orabat 1. Reg. 19. v. 4. Domine, tolle animam meam, vel per mortem naturalem; non rogo, ut permittas Judæis illos unà mecum per mortem violentam è medio tollere, quo sensu Verbum ἀρῆν usurpatur, Luc. 23. v. 18. Joh. 10. v. 18. cap. 19. v. 15. cap. 21. v. 36. cap. 22. v. 2. hoc enim nec mundo, nec ipsis nec Evangelio esset conveniens. Non mundo, quia illi adhuc sunt necessarii, ut loquitur glossa interlinearis, videlicet ut per Evangelii prædicationem mundus ad fidem & salutem perducatur. Nec ipsis, quia nondum tantos in fide profectus fecerunt, quantos facere debent. Nec Evangelio, quia illud majoris autoritatis & fidei causâ prædicandum per illos, qui fuerunt testes ἀντοπῶν καὶ ἡγῶντων. Joh. 15. v. 27. Act. 1. v. 21. cap. 10. v. 41. 1. Joh. 1. v. 1. Beda in h. l. Jam imminet tempus, ut tollar ego de mundo, ideò necesse est, ut isti nunc non tollantur de mundo, ut te & me primùm annuncient mundo. Constitui illos publicos Evangelii præcones & Catholicos mundi doctores, sunt semen Ecclesiæ ex Judæis & gentibus colligenda, ideò non convenit, ut ante expletum ministerii sui cursum è mundo tollantur. Ipsi sunt lux mundi, Matth. 5. v. 14. ergo non convenit, ut per mortem auferantur, antequam luce Evangelicæ prædicationis mundum collustraverint, alias mundus in perpetuis tenebris maneret. Nec hoc rogo, ut à cruce & calamitatibus in mundo penitus sint liberi, nec experiantur communem cum illis sortem, qui in hoc mundo versantur, quia crux est schola pietatis, fidei & patientiæ, ac quo magis augetur in hac vita tribulatio, eò major aliquando sequetur remuneratio.

Posterior pars θετικὴ hæc est: Sed ut serves eos à malo. Per τὸν σάταν quidam intelligunt diabolum, tum quia articulus additur, serves eos ἐκ τῶν σάταν, tum quia diabolus non solum malus est, sed etiam omnis mali autor, tum quia etiam in aliis Scripturæ locis diabolus per quendam antonomasiam vocatur ὁ σάταν, Matth. 13. v. 19. & 38. Eph. 6. v. 16. 1. Joh. 1. v. 13. & 14. cap. 5. v. 18. Sensus ergo foret. Rogo, ut custodias illos ab insidiis diaboli & omni ejus malitia. Sed nomen τὸν σάταν rectius accipi-

Ccccc 2 tur

tur de malo quocumq; quod fidem & salutem Apostolorum poterat subvertere, in qua generali significatione vox *ωνησ* accipitur, Matth. 6, 13. Luc. 11. v. 4. Ejusmodi malum est 1. peccatum, sive malum culpæ, quod est verum malum, imò fons & origo omnis mali. Si enim absq; peccato esset, diabolus tentandi ac nocendi potestatem non haberet. Si absq; hoc malo esset, quod à summo bono hominem avertit, mala pœnæ locum non haberent, vel mala propriè loquendo non essent. In hac significatione vox *ωνησ* accipitur, Matth. 5. v. 37. cap. 9. 4. c. 12. v. 35. Joh. 3. v. 19. &c. Orat ergo Christus, ne Apostoli in idololatriam, falsam doctrinam & peccata contra conscientiam incidant, ne à fide deficiant, ne magnitudine afflictionum impulsim per impatientiam vel inconstantiam adversus Deum peccent, ne vocationem suam deserant, ne scandala excitent, ne ob persecutiones proximum odisse incipiant, vel si ex infirmitate carnis peccaverint, respiciant, & ad Deum convertantur. Orat, inquam, ne peccatum infidelitatis vel impietatis ipsis dominetur, ne vel Satanæ insidiis supplantati, vel hæreticorum præstigiis fascinati, vel persecutorum rabie compulsim vel mundi exemplis permoti, vel propriæ carnis illecebris victi à fide & pietate deficiant. 2. Diabolus *παις ωνησας δοχέων*. Orat ergo Christus, ne Apostoli inducantur in tentationem, Matth. 6, 13. nec incidant in laqueos diaboli, 2. Tim. 2. v. 26. Quia enim *Satanas expetiverat eos, ut cribraret ipsos sicut triticum*, Luc. 22. v. 31. ideo Christus tam ardentem pro ipsis orat, ut divinitus conserventur à diaboli tyrannide, ne per peccatum fiant ipsius captivi, aut si ex carnis infirmitate ab ipso supplantentur, tamen ex laqueis ejus citò eripiantur. Orat, inquam, ut custodiantur Apostoli à Satanæ insidiis & Tyrannide, ne lupus ille infernalis rapiat eos è manu pastoris. 3. *Mundus*, de quo Johannes dicit, quod *totus sit postus èν τῷ ωνησῶ*, 1. Joh. 5. v. 19. Orat ergo Christus, ut Apostoli custodiantur à mundi furore & mundi Principe, ne persecutionibus suis ipsis prævaleant, sed ut Apostoli divinitus conserventur, donec cursum vocationis suæ in his terris consummaverint. 4. *Mala pœnæ* sive quævis adversa, quæ itidem vocantur *πονηρα*, Matth. 5, 39. Eph. 5. v. 16. Apoc. 16, 2. Orat ergo Christus, non ut Apostoli nullas in mundo adversitates experiantur, sed ut eæ ad malum ipsis non vergant, ut illis non succumbant, ut illis probentur, non perdantur, ut divino auxilio sublevati patienter eas tolerant & fortiter tandem superent. Dionysius in h. l. *Non orat, ut à malis pœnæ in hac vita serventur, cum hoc saluti eorum non expedierit, sed ne per impatientiam, inconstantiam, vel timorem deficiant in adversis*, 5. *Æterna damnatio*, quæ est malorum omnium ilias & consummatio. Orat ergo Christus, ut Apostoli divinitus serventur, ne in æternum pereant, sed *virtute Dei per fidem custodiantur ad salutem*, 1. Pet. 1, 5. Hanc vero expositionem ac quasi correctionem petitionis suæ Christus subjungere voluit 1. ut ostenderet, quâ ratione ac modo Apostolos à Patre cœlesti servari petat. Videri alicui potuisset, Apostolos non potuisse melius in nomine Patris & in confessione hujus nominis servari, quam si Pater cœlestis ipsos omnib; hujus mundi malis citò defunctos ad se in cœlum protinus transtulisset, sed Christus his verbis declarat, se hoc non petere, sed ut è malo serventur. 2. Ut occurreret tacitis Apostolorum cogitationibus. Elias Pro-

pheta persecutionum Jesabelis pertæsus petierat, *animam suam tolli*, hoc est, per mortem ex omnibus periculis & adversis sese liberari, 1. Reg. 19. v. 4. ac licitum est etiam pro aliis preces fundere, ut morte placidè translati, & ex vinculis corporis soluti ab omni peccandi periculo liberi in vera fide & pietate ex hoc mundo discedant. Potuissent ergo Apostoli has preces pro se suas sic interpretari, quasi Christus petat, ipsos unà cum Magistro per mortem statim abripi & in regnum gloriæ transferri, præsertim cum Christus mortis suæ proximè imminentis aliquoties mentionem fecerit ac persecutionem mundi sibi cum Apostolis communem esse dixerit. Proinde ut cogitationibus illis Apostolorum occurreret, & falsam hanc opinionem animis eorum evelleret, ideo subjungere voluit: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos è malo*, 3. Ut demonstraret, quodnam sit proprium suum officium, Christus nequaquam hoc vult, quod in adversis corporalibus non sit petenda liberatio (modo divinæ voluntati liberationis modus in vera humilitate & patientia committatur) sed docet, quodnam sit proprium suum officium, & quæ sint regni ipsius propria beneficia, videlicet non corporalia, terrena & transitoria, sed spiritualia, cœlestia & æterna, quodq; non tam de externa liberatione à malis pœnæ, quam de custodia à malis culpæ solliciti esse debeamus. 4. Ut doceret, Deum variis modis nos posse servare. Ratio humana non novit alium servandi modum quam externum, quo crux à nobis tollitur, sed Christus his verbis docet, Deum etiam tunc nos servare, quando sub cruce nos relinquit, interim vires crucem ferendi suppeditat, ac prohibet, ne per crucem ullum animæ ac salutis nostræ nocumentum obtingat. 5. Ut significaret, se non tantum hoc petere, ut in Apostolis & Ecclesia Apostolorum ministerio ac verbo collecta conservetur lux veræ doctrinæ, sed etiam ut Apostoli & Ecclesia divinitus protegantur ac defendantur, quia si lux veræ doctrinæ conservari debet, utique etiam eos, qui veram doctrinam continentur & propagant, oportet conservari. Id ipsam ostendit series textus: *Quos dedisti mihi, custodi mihi, inquit Christus versic. 12. mundus eos odio habet, inquit vers. 14. Ergo serves illos è malo, id est, tuearis ac protegas ipsos, ne à mundo opprimantur, antequam vocationis suæ terminum attigerint*. 6. Ut petitionis suæ æquitatem ostenderet. Non rogo, ut extraordinario quodam modo cum illis agas, sed ut salutem ipsorum tuo patrocinio ac custodia procures, ad quod propter benignitatem & *φιλανθρωπία* te novi propensissimum. Bonus es, imò solus bonus, imò summum bonum, ergo æquum est, ut à malo illos serves. Hæ sunt præcipuæ causæ, propter quas petitioni suæ hanc *ἐξήγησιν* subjicere voluit, nequaquam verò eâ vel Patrem quid facere debeat instruere, vel ab opere servandi seipsum excludere voluit. Quamvis enim in forma servi & in statu exinanitionis adhuc existens in his precibus coram Patre se humiliare, & ad gloriâ Patris sua omnia referre voluerit, tamen juxta Deitatem cum Patre & Spiritu sancto omnia opera in regno gratiæ & potentia perfectit, & ad dextram Patris exaltatus etiam juxta assumptam humanitatem Apostolos, & Ecclesiam suam adversus omnes hostium furores potentissimè defendit, majesticatem sibi ut homini communicatam plenariorio ulu

rio usu exerens & exercens. Colligitur autem ex hoc loco, 1. Deum singulari consilio vitam quibusdam prorogare, & contra hostium furores defendere, ut ipsorum ministerio ad Evangelii propagationem utatur, ac ipsius potentia magis sit conspicua dum inter medios diabolorum & impiorum hominum furores Ecclesiam, & in Ecclesia suum verbum & verbi præcones servat. Cyrill. lib. 11. cap. 23. *Non à rebus humanis, nec ab hac vita antequam cursum ministerii sui absolverint, antequam virtute pietatis effulserint, tolli Deus sanctos vult, sed postquam virtutibus rutilarint, & multos exemplo & doctrina sua reducerint, tunc ad supernam vocat civitatem & in Angelorum collocat choris.* 2. Aequo igitur animo à nobis ferendum esse, si ob Ecclesiae salutem diutius in mundo detineamur, ut verbo & exemplo alios ad pietatem hortemur. Phil. 1, 24. *Permanere in carne magis mihi necessarium propter vos.* Nimirum preces Christi tantum sunt meritoria & imperatoria, sed etiam paradigmatica, ut ad Christi exemplum preces nostras conformantes non petamus, ut nos Deus ex mundo tollat, antequam vocationis nostrae cursum absolverimus, sed ut servemur à malo, ne à diabolo, carne & mundo evertamur ac salute excidamus. Chrysof. in cap. 1. Gal. *Christus non ob id venit, ut nos excuteret, eximeretq; ex hac vita, sed ut nos in mundo reliquos dignos efficeret, qui in caelis versentur.* 3. Si secundum regulam à Christo præscriptam, ut servemur, petere cupimus, non esse petendam omnimodam à cruce & calamitatibus immunitatem, sed in cruce sustentationem, ne malis victi succumbamus. 4. Sustentationem illam in cruce non esse opus humanarum virium, sed divinæ gratiæ donum. Stapulens. in h. l. *Christus rogat, ut Apostoli serventur à malo. Ergo non est in fidelium Christi potestate, ut à malo se præservent, sed in aeterni Patris potestate & Christi Jesu circa nos indicibili benignitate, ut non est in ovis potestate non errare, non rapi à lupo, sed à pastoris potestate & custodia. Ergo mens nostræ semper ad eum sit intentæ, qui prece Filii sui nos servat à malo, & in ea prece sit tota fiducia nostra.* 5. Virtute harum precum Ecclesiam adversus inferorum portas conservari, ipsiq; frustra renitentibus Evangelium in mundo prædicari. 6. Proinde in odio & persecutionibus mundi hanc nobis suppere consolationem, quod Christus pro Apostolis & omnibus piis oraverit, ut à mundo & mundi Principe serventur.

Petitioni suæ hoc modo expositæ & declaratæ subjungit Christus rationem ab Apostolorum conditione ex v. 14. repetitam, sed aliter applicatam. *De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.* Quidam exilimant hunc versiculum 16. continere nudam ac simplicem repetitionem illius, quod prius dixerat Christus, Apostolos non esse de mundo, Christum verò hoc denuò repetere & Apostolis inculcare, voluisse 1. *Ad gratiæ divinæ commendationem*, quæ dicitur: Magna quidem sed indebita est gratia, quod de mundo non estis, quod de mundo electi estis ac separati, ne cum mundo vobis pereundum esset, ut ergo hanc Dei gratiam eò magis agnoscatis & celebratis, idèò repeto meam assertionem, quod non sitis de mundo, sicut ego non sum de mundo. 2. *Propter obiecti determinationem*, ut evidentiùs appareat, pro quibus has preces Christus fuderit, & quibus illæ futuræ sint salutares, videlicet illis, qui non sunt de mundo, qui animo & voluntate à mundo sunt averfi, qui vitæ & moribus à

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

mundo sese separarunt. 3. *Ob seriam exhortationem*, ut Apostoli probè expendent se non esse de mundo, à studiis mundi sibi temperent, eiq; se conformare reformident, Rom. 12, 2. *Scientes amicitiam mundi esse inimicitiam Dei*, Jac. 4, 4. *contra verò cultum purum & immaculatum esse apud Deum, se ipsum incontaminatum à mundo custodire*, Jac. 1, 27. ac proinde dicentes cum Apostolo: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo*, Gal. 6. v. 14. 4. *Ad exaggerandam prædicationem*, ut denuò moneat, eos in mundo pressuram habituros, Joh. 16, 33. & mundum odio ipsos persecuturum, Joh. 15, 18. c. 17, 14. *cum ipse, cujus ministri sint, cujus vices gerant, cujus verbum prædicent, non aliam in mundo expertus fuerit sortem.* 5. *Ob firmiorem Apostolorum consolationem*, ut in mundi odiis & persecutionibus solatio hoc sese firmiter erigant, quod præter meritum à mundo odio habeantur, sicut & Christus præter meritum à mundo & in mundo iniquis modis fuit tractatus. Enthymius in h. l. *Confirmare voluit discipulorum animos contra odium mundi ne turbarentur, si odio haberentur, scientes omnino contrariam esse virtuti malitiam.* Hæc omnia rectè quidem dicuntur, quia plurimum facit ad patientiam adversitatem in mundo sustinendarum tolerationem & ad serium pietatis studium perpetuò illud expendere, quòd non simus de mundo, sed ad regnum gratiæ & gloriæ ex mundo selecti, quòdque nobis utpotè genuinis Christi discipulis conveniat, vestigiis Magistri ac Domini nostri insistere, ac sicut ipse non fuit de mundo, ita quoque nos à mundo immaculatos custodire. Stapul. in h. l. *Sicut, dicit imitationem.* *Qui vult ergo non esse de mundo, imitetur Christum, qui est verum exemplar & archetypus & vera causa, ut, quicumque non sunt de mundo, de mundo non sint.* Interim tamen si nudè ac simpliciter Christus suam assertionem repetere voluisset, sine ulla ad petitionem applicatione, tunc versiculum hunc 16. cum 14. immediatè conjunxisset, hoc modo: *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia de mundo non sunt, sicut ego de mundo non sum. De mundo, inquam, non sunt, sicut ego non sum de mundo.* Jam verò interfert versiculum 15. petitionis expositionem continentem: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* August. tract. 108. in Joh. & alii referunt hæc verba ad v. 17. sequentem: *De mundo non sunt, sicut ego de mundo non sum, idèò sanctifica eos in veritate*, ut sic ede. *us* particula illativa & , qualis alibi passim & in hoc ipso cap. v. 11. occurrit. Connexionis rationes dari possunt ejusmodi: 1. *Cum hi Apostoli mei de mundo non sint, sicut ego non sum de mundo, cumque sint mei imitatores & me velut exemplar sequantur, idèò peto eos sanctificari, ut sint sancti, sicut & ego sanctus sum*, Lev. 11, 44. c. 20, 7. 2. *Cum ministerium meorum Apostolorum non sit futurum imperium mundanum vel dominatio politica, sed munus Ecclesiasticum in prædicatione Evangelii occupatum, sicut etiam ego non administravi regna hujus mundi, nec affectavi politicum in hoc mundo dominatum, sed prædicavi Evangelium: idèò peto, eos sanctificari in veritate, sicut & ego sanctus sum*, Dan. 9. v. 24. Luc. 1, 36. *Sicut ego tibi sanctus sum, quia de mundo non sum, ita & eos ad Evangelium prædicandum sanctifica, tibi; consecra, cum etiam ipsi non sint de mundo.* 3. *Quia dixerat nec se nec Apostolos esse de mundo, statim subjicit: Sanctifica eos in veritate*, significans, totum genus humanum propter peccatum esse

Ccccc 3

esse

esse inmundum, homines naturâ esse non sanctos, sed *ira filios*, Eph. 2, 3. ac offerens Patri æternam Ecclesiam ex inundo genere humano colligendam, in peculium segregandam & per verbum sanctificandam. Hanc verborum Christi connexionem non repudiamus, interim concinnius & acutus seriei conformius judicamus, si hæc verba: *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo*, cum v. 15. præced. tanquam ejus ratio conjungantur: *Rogo, ut servet eos à malo, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo*. Christus jam ante in v. 14. dixerat, Apostolos non esse de mundo, sicut etiam ipse non sit de mundo; hoc ipsum repetit in præsentem v. 16. sed non eodem fine. In v. 14. hoc adduxerat tanquam causam propter quam mundus Apostolos odio prosequatur; hic verò conditionem illam Apostolorum in mundo relictorum adducit tanquam causam, propter quam eos petat à malo servari, ut significet 1. Apostolos Patris cœlestis custodiâ & præsidio maximopere indigere, cum ipsos è mundo electos, cœli cives & domesticos Dei factos mundus pro alienis & peregrinis habeat. Chryf. hom. 81. in Joh. *Quid significat, non sunt de mundo? ad aliud spectant, nihil cum terra communicant, sed cœli facti sunt cives*. 2. Se propterea petere, ut Apostoli è malo serventur, cum requirat hoc officium, ad quod vocati & è mundo electi sunt, videlicet ut Evangelium toti mundo annuncient. 3. Æquum esse Apostolos à malo peccati & damnationis æternæ servari, cum non sint de mundo, qui totus in maligno positus est, 1. Joh. 5, 19. & judicio damnationis obnoxius, Joh. 3, 19. 1. Cor. 11. v. 32. sed ex mundo pereunte ad vitam electi & separati. Quâ de re autem his verbis admoneamur, superius in explicatione v. 14. fuit expositum.

Atque hæc dicta sint de priore Christi petitione, quâ precatur Apostolos servari in nomine Patris. Succedit posterior petitio, quâ precatur Apostolos sanctificari in veritate. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est*. Connexio est pulcherrima. Christus prius petierat Apostolos servari è malo, jam petit eos in veritate sanctificari. 1. Quia non sufficit aliquem à malo servari, nisi etiam sanctificetur & virtutibus ornetur, ergo in perfectissimis hisce precibus Christus Apostolos suos non solum à malo servari, sed etiam in bono confirmari precatur, Pl. 34. v. 15. 2. Quia non potest quis à malo servari, nisi in veritate sanctificetur. Aug. tract. 108. in Joh. *Sanctifica eos in veritate, sic enim servantur ex malo, quod superius oraverat, ut fieret. Caritas, fides, spes & reliquæ virtutes hominem sanctificantur sunt veluti spiritualia arma, quibus homo protegatur, ne à mundo & mundi Principe vincatur*. 3. Albertus ejusmodi tradit connexionem: *Oraverat præservationem à malo in affectu, jam orat præservationem à malo in intellectu. Confirma eos in veritate doctrine, vitæ, fidei & judicii, tunc error in eis locum non habebit*. 4. Dixerat antea, se nomen Patris Apostolis manifestasse, v. 6. se verba à Patre accepta ipsis dedisse, v. 8. se Patris sermonem ipsis tradidisse, v. 14. jam precatur hanc doctrinam Evangelicam notitiam non esse in ipsis oriosam & in frugiferam, sed excitari in eis novos à Spiritu sancto motus ac doctrinam ipsis concedit in cordibus illorum obsignari. Cæterum in Regio & aliis quibusdam Codd. additur pronomen relativum *et*. *Sanctifica eos in veritate tua*, quomodo etiam legit Interpres Syrus & Lutherus

in versione Germanica, alii verò Codd. illud omitunt, uti etiam latinus Interpres illud omittit, sine ulla sensus jactura. *Sanctificandi* verbum variis modis in Scripturis accipitur, unde etiam diversæ oriuntur hujus loci expositiones. 1. *Sanctificare* est prophanis & privatis ulibus aliquid eximere ac Deo & divino usui consecrare. Gen. 2. v. 3. *sanctificavit Deus diem septimum*, h. e. divino cultui eundem dedicavit. Exod. 13. v. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum*, h. e. à profano usu segrega & cultui divino mancipa. Sic *vultus* dicuntur *sanctificari*, quando ad usum divinum & sanctum consecrantur. Juxta hanc significationem petit Christus Apostolos *sanctificari in veritate*, h. e. ad ministerium Evangelii segregari & consecrari, ut *en ἀληθείᾳ* juxta usitatum Hebraicum sit idem, quod *ἐν ἀληθείᾳ*. Quemadmodum enim Sacerdotes V. T. dicuntur sanctificari, quando certis ceremoniis divino ministerio consecrantur, Ex. 29, 1. Lev. 9, 1. Num. 3, 12. ita Christus petit Apostolos, utpote spirituales Sacerdotes N. T. totos Deo consecrari ac dicari, ut *sacrificent Evangelium Dei*, ut fiat *oblatio gentium accepta*, *sanctificata in Spiritu sancto*, Rom. 15, 16. hoc est, ut ministerio Evangelii inserviant, & in toto terrarum orbe universis gentibus illud prædicent, Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. ut Judæi & gentes ipsorum ministerio conversæ in spirituale sacrificium sese mihi offerant, Rom. 12, 1. Ac veluti Spiritus sanctus Prophetis & doctoribus ministerio publico fungentibus dicit, Act. 13, 2. *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod assumpsi eos*: ita Christus petit Apostolos sanctificari, h. e. segregari in opus ministerii, ad quod eos assumserat. Chryf. hom. 81. in Joh. *Sanctifica eos. Hoc promittit, ut si diceret: Segrega eos & verbo & prædicatione. Potest hæc expositio probari tum ex addito *προς διδασκαλίαν* sanctifica eos in veritate, tum ex subiecta ratione in v. 18. *Sicut me misisti in mundum: ita & ego misi eos in mundum*. 2. Quia ea, quæ ului & cultui divino consecrantur, oportet esse pura & munda, ideo sanctificare est idem quod à peccatorum sordibus emundare & expurgare, & hac ratione ad munus sanctum aliquem idoneum reddere. Ex. 31, 13. Lev. 20, 8. c. 21, 8. *Ego Dominus, qui sanctifico vos*. Juxta hanc significationem petit Christus Apostolos sanctificari, h. e. ab omni inquinamento carnis & Spiritus divinitus emundari, & sanctificationem in ipsis perfici. 2. Cor. 7, 1. pedes ipsorum mysticè sic dictos abluunt Joh. 13, 10. ipsos tanquam palmites purgari, Johan. 15, v. 2. ut ad sanctum Evangelium prædicandum sint idonei. *Sanctifica eos*, h. e. emunda corda ipsorum per Spiritum sanctificantem, ut videant veritatem, quia *mundi corde Deum vident*, Matth. 5, 8. Nec obstat, quod discipuli jam ante erant sanctificati, quia sanctificatio in hac vita quovis die debet crescere, ideo sanctificari eos petit, h. e. sanctos magis magisque effici. Aug. tract. 108. in Johann. *Quare potest, quomodo de mundo jam non erant, si sanctificati in veritate nondum erant? aut si jam erant, cur poscat, ut sint? an quia & sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, sunt que sanctiores? Neque hoc sine adjutorio gratiæ Dei, sed illo eorum sanctificante profectum, qui sanctificavit inceptum*. Cyrillus lib. 11. in Joh. c. 24. *Naturalis in Christo ac supra humanam rationem puritas est. Nam cum Deus verus sit, peccato subjacere non potest, imo verò sors est virtutis atq; sanctificationis. In discipulis verò caterisq; fidelibus puritas, i. e. ne terrenis rebus maculentur, non aliter**

aliter inesse potest, quam per divinam gratiam, quæ peccatorum maculas abstergens sanctificat & vitæ splendorem affert. Cum igitur alienam à mundo vitam discipulis attestatus sit, eis substantialis suæ puritatis conformationem per imitationem servari à Patre rogat. Simon de Cassia lib. 12. cap. 18. Sanctificatio est mundatio à malorum contagio. Græca locutio ἀγιῶς dicit, quod nos sanctum dicimus, id est, sine terra ab a quod est sine ἁγία terra, ut sanctus sine terra sit, videlicet non sine terra, super quam graditur & sine illa, quam in corpore suo portat, sed sine amore terrenorum, quorum affectio sanctitatem fieri semper impedit, & à veris bonis excludit. 3. Huic significationi cognata est ea, quæ sanctificare idem est, quod sanctitatem creaturæ alicui rationali conferre, & sanctificari est gratiam sanctitatis recipere, quò pertinent dicta proximè citata, ut & Ephes. 5. vers. 26. 1. Thess. 5. v. 23. Hebr. 2. vers. 11. &c. Orat ergo Christus, Apostolos donato Spiritu sancto magis magisque renovari & sanctificari, atq; hac ratione ad Evangelii prædicationem præparari, ut separari à malis mundi moribus sint vasa Dei sancta & munda promovenda Dei gloriæ accommodata. Quem admodum enim Sacerdotes V. T. sanctuarium ingressuri non tantum manus & pedes in latere prius abluant, sed etiam splendidis vestibus induentur: ita Christus hoc loco petit, ut Apostoli Evangelium inter gentes sanctificaturi, quibus in ultima cæna pedes abluerat, sanctitate & virtutibus à Deo ornentur. Maldonatus in h. l. mentionem facit cuiusdam Pontificii Scriptoris, qui verba Christi sic exposuerit: Sanctifica eos in veritate, id est, vera non imputata iustitia. At vitiosa est oppositio inter iustitiam veram & imputatam. Juxta Scripturæ ductum sic progrediendum: Sanctificatio perficitur vel sanctitatis imputatione vel inherenti sanctitatis collatione. Ultraque tamen est vera sanctificatio, nec potest una ab altera separari, quamvis & possint & debeant distingui. Sanctificatio per imputationem est ipsa iustificatio & regeneratio. Sanctificatio per inherenti sanctitatis collationem est renovatio. 4. Quia illa, quæ Deo & divino cultui consecrata non possunt nec debent amplius in usus profanos converti, id est sanctificare est idem quod sancire, stabilire & confirmare, ac sanctificatio est confirmatio intellectus vel voluntatis in bono, intellectus quidem per doctrinæ infallibilitatem, voluntatis verò per gratiæ stabilitatem. Juxta hanc significationem orat Christus Apostolos sanctificari, hoc est, per Spiritum sanctum in doctrinæ cœlestis veritate confirmari, per Spiritum sanctum ita regi, ut veritati in Evangelio patefactæ constanter adhæreant, ne in errores vel peccata contra conscientiam prolabantur. Orat, inquam, Spiritum sanctum super ipsos effundi, per quem & intellectus & voluntas ipsorum ita confirmetur, ut in doctrina sint infallibiles, & in bono profus immobiles. Simon de Cassia lib. 12. c. 18. Est & sanctificatio confirmatio seu confortatio animæ & corporis ad actiones arduorum operum, ad tolerantiam adversorum, unde sanctus dicitur quasi sanctus in virtute. Quemadmodum enim columnæ in ædificio totam structuram sustentant, ossa solida in corpore humano carnem suffulciunt, ac duces sive viri fortes belli pondus sustentant: ita Apostoli debebant esse in mystico Ecclesiæ ædificio columnæ, Galat. 2. v. 9. in mystico Christi corpore ossa solida, in spirituali exercitu Duces & Reges, Psal. 68. vers. 13. & 28. ideò

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

Christus petit eos sanctificari, hoc est, confirmari & stabiliri in doctrinæ Evangelicæ veritate, ut eam non solum perfectè accipiant, sed etiam constanter retineant & fideliter aliis communicent. Cum enim futuri essent publici præcones Evangelii & totius orbis Magistri, ideo Christus petit ipsos à Spiritu sancto veritate & virtute instrui: ut ad tantum munus idonei reddantur. Hanc expositionem adducit Chrys. hom. 81. in Joh. Sanctifica eos in veritate tua, id est, fac sanctos per Spiritus exhibitionem & doctrinam rectam, instrue eos, doce eos veritatem. Obsigna & confirma in ipsorum cordibus veritatem cœlestem, quam ex me audierunt, ne unquam ab ea excidant, indue illos virtute ex alto, Luc. 24. v. 49. ut odia & persecutiones mundi fortiter sustineant ac superent. 5. Denique quia inter ea, quæ Deo consecrantur & offeruntur, eminent sacrificia, id est sanctificare est idem quod in sacrificio offerre, Levit. 5. v. 15. cap. 22. v. 7. &c. Juxta hanc significationem orat Christus Apostolos sanctificari, hoc est, fieri sacrificium sanctum in testimonio veritatis, eique tam constanter adhære, ut non dubitent sanguinem suum pro ea profundere & in sacrificium quasi Deo offerre, Phil. 2. v. 17. 2. Tim. 4. v. 6. Hujus expositionis meminit Theophylactus in h. l. sic scribens: Sanctifica eos in veritate tua, h. e. separa eos in verbum & prædicationem, & fac eos sacrificium, quod veritati tuæ ministrer, huic suam vitam consecrent. Eandemque probat ex verbis sequentibus. Subdit enim Christus: Sicut me misisti in mundum & ego pro eis meipsum sanctifico, h. e. offero sacrificium: ita ut illos sanctifica, h. e. separa in sacrificium, in prædicationem, & constitue eos veritatis testes, sicut & me misisti veritatis testem & hostiam. Fac tibi sacrificium odoris suavissimi in prædicanda Evangelii veritate. Rom. 15. v. 16. Hæ expositiones omnes optimâ ratione conjungi possunt, cum ipsæ significationes hujus verbi ita comparatæ sint, ut una semper profluat ex altera. Non autem simpliciter petit Christus Apostolos sanctificari, sed addit, sanctifica eos in veritate, & ut quidam Codd. habent, in veritate tua. Hic ἁγιοποιῶν τοὺς diversimodè exponitur. 1. Quidam ἐν ἀληθείᾳ volunt esse idem quod ἀληθῶς, Sanctifica eos in veritate, h. e. verè. Sic 2. Ioh. v. 1. & 3. Ioh. v. 1. quos diligo in veritate, h. e. verè & sincerè. Sed quia additur: Sermo tuus est ἡ ἀληθεία veritas illa, in qua eos sanctificari peto, idè nomen rectius hic retinetur. Vera est ista expositio, sed non plena. 2. Augustin. per veritatem intelligit ipsum Christum, qui se vocat veritatem, Joh. 14. v. 6. Heredes N. Test. (inquit) cum sanctificantur in veritate, utique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit: Ego sum via, veritas & vita. Item quando ait, veritas liberabit vos, paulò post exponens quid dixerit. Sivos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, ut ostenderet, hoc se prius dixisse veritatem, quod postmodum Filium. Quid ergo aliud & hoc loco dicit: Sanctifica eos in veritate, nisi sanctifica eos in me? Stapul. in hunc locum: Qui sanctificantur in veritate revelata Evangelii, sanctificantur in veritate essentiali, quæ est Filius Dei. 3. Quidam per veritatem intelligunt Spiritum sanctum, qui est Spiritus veritatis, Joh. 14. vers. 17. ac cum veritate nexu archissimo conjungitur, Ioh. 4. 23. Cyrill. lib. II. in Ioh. c. 29. Veritatem non aliam intelligit quàm Spiritus sancti, per quem ad similitudinem suam ineffabili

• CCCCCC 4

virtu-

virtutis animas nostras reformat. 4. Sed Christus ipse satis perspicue exposuit, quid per veritatem intellectum velit, quando adicit: *Sermo tuus veritas est.* August. qui semper per λόγον denuo hic intelligit Verbum hypostaticum, videlicet Filium Dei Joh. 1. v. 1. & 14. sed rectius accipitur de λόγο προφορικό videlicet de verbo Evangelii, quod Apostolis hactenus predicaverat, & aliis predicandum commiserat, ut apparet tum ex serie textus, tum ex collatione aliorum Scripturæ locorum. Nam in v. 6. Christus dixerat: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, & τὸν λόγον σε servaverunt v. 14. dedi eis τὸν λόγον σε, jam ergo subjungit, ὁ λόγος ὁ σὸς, sermo ille tuus, quæ eis tradidisti, est veritas. v. 20. additur, rogo pro eis, qui credituri sunt διὰ τὸ λόγον αὐτῶν per sermonem eorum in me. Joh. 15, 3. dicit Christus: *Mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ut ibi emendationem, ita hoc loco sanctificationem tribuit verbo Evangelii à se predicato. Joh. 8, 37. dicit: *Se idcirco in mundum venisse, ut testimonium daret veritati, id est, ut predicaret Evangelium.* 2. Cor. 6, 7. Eph. 1, 13. Coloss. 1, 5. 2. Tim. 2, 15. Jac. 1, 18. Evangelium vocatur λόγος ἀληθείας. Gal. 2. v. 5. ἀληθεία τὸ εὐαγγέλιον. c. 3, 1. 2. Thess. 2, 10. &c. simpliciter ἀληθεία, quæ omnia ostendunt per veritatem hic intelligi verbum Evangelii à Christo predicatum & Apostolis commendatum. Quando ergo Christus petit Apostolos sanctificari in veritate, tunc 1. docet verbum Evangelii esse medium sanctificationis, ut sic ἐν ἀληθείᾳ sit idem quod διὰ ἀληθείας 1. Tim. 4, 4. *Omnis creatura Dei bona est. v. 5. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 2. Opponit hoc legalibus umbris & ceremoniis. Non sum missurus Apostolos in mundum, ut Levitica sacra peragant, sed ut Evangelium verbum illud veritatis predicent. Ergo non peto, ut ad ministerium eos consecres Leviticis Ceremoniis quibus Sacerdotes V. T. olim consecrandi erant, sed ut eos per Spiritum sanctum veram & copiosam verbi tui cognitione instruas, ac facias ipsos idoneos N. T. ministros 2. Cor. 3, 6. ut docendi ministerio salutariter fungi possint. Huc refertur potest dictum, Joh. 1, 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum nobis contigit.* 3. Petit eos non in externa tantum apparentia, sed in veritate & re ipsa coram Deo esse sanctos ac sanctificari in veritate doctrinæ, justitiæ ac vitæ. 4. Petit eos in professione veritatis Evangelicæ confirmari, & ad ejus prædicationem separari, ut sic ἐν ἀληθείᾳ sit idem, quod εἰς ἀληθείαν, ac per veritatem intelligatur vera eorum, quæ de Dei essentia & voluntate hominibus ad salutem scitu necessaria sunt, cognitio ex verbo unice petenda. Propriè tamen ac principaliter Christus eò respicit, quod verbum sit sanctificationis illius, quam Apostolis precatur, salutare medium, unde statim addit: *Sermo tuus veritas est, hoc est, sermo Evangelii, quem ex sinu tuo prolaturum Apostolis commendavi, est veritas illa, ad quam in mundo prædicandam & propagandam eos sanctificari peto.* Videri posset hoc quodammodo desumptum ex Pl. 119, 142. *Lex tua seu doctrina tua veritas est.* Dicitur autem verbum Evangelii veritas 1. respectu causæ efficientis, quæ est verbum Dei, qui est ipsa veritas, 2. Sam. 7. v. 28. *Nunc Dominus Deus, tu es Deus, & verba tua erunt veritas, hoc est, quia tu es ipsa veritas, idcirco etiam verbum tuum est infirma veritatis.* 2. *Ratione materia, quia continet vera, æterna, & nunquam interitura bona, cum contra bona hujus mundi sint**

fragacia & fallacia, Luc. 16, 11. 3. *Ratione qualitatis, quia est certæ, firmæ, indubitata & infirma veritatis, idcirco verbum, carens omni mendacio, liberum ab omni errore, immune ab omni falsitate, cum contra doctrinæ hominum plurimum falsitatis admixtum habeant.* Es. 40, 6. *Verbum Domini manet in æternum.* Luc. 21. v. 33. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* 1. Pet. 1, 25. *Hoc est verbum, quod in vos evangelizarum.* 4. *Ratione effectus, quia per illud veram lucem & sapientiam Deum rectè agnoscentem, veram justitiam & vitam æternam Spiritus sanctus credentibus impertit, per illud omnem falsitatem arguit ac depellit.* 5. *Ratione oppositionis.* Lex Mosaitica fuit multiplicibus Ceremoniarum umbris ac figuris involuta, sed sermo Evangelii est pura veritas, Quia Evangelium non est res typica & umbratilis sicut V. T. sed est ministerium Spiritus, 2. Cor. 3, 8. idcirco etiam ejus ministros non externis & typicis Ceremoniis, sed verbo veritatis & Spiritu sancto oportet sanctificari. Joh. 4, 23. Aug. tract. 108. in Joh. *Sanctificantur in veritate heredes Testamenti Novi, cujus veritatis umbra fuerunt sanctificationes Veteris Testamenti.* Colligitur autem ex hoc loco, 1. Quod sanctificatio tribuitur Deo tanquam causæ principali, Exod. 3, 1. v. 13. Lev. 20, 8. &c. verbo tanquam salutaris medio & causæ instrumentali. Joh. 15, 3. Eph. 5, 26. 1. Pet. 1, v. 22. &c. 2. Quia verò verbum non prodest absque fide Hebr. 4, 2. & quia cum verbo conjuncta est effectiva operatio Spiritus sancti creaturam rationalem sanctificantis: idcirco causa veræ sanctificationis est Spiritus sanctus & verbum fide apprehensum. Fides promissionem in verbo Evangelii oblatam apprehendens accipit Spiritum sanctum, Gal. 3, 2. qui sanctificat mentes verbo veritatis. In V. T. sanctificabatur populus Israëliticus per asperisionem sanguinis typici, Exod. 24, 8. per aquam expiationis Num. 19, vers. 12. & alias hujusmodi Ceremonias. Sed ea non fuit vera & interna sanctificatio, sed tantum Ceremonialis, externa actypica, Hebr. 9, v. 13. c. 10. v. 4. vera autem sanctificatio fit per asperisionem sanguinis Christi, c. 9, v. 14. 1. Pet. 1, 2, quæ peragitur verbo Evangelii salutaris illo asperitorio, Pl. 51, 9. Quando credis Christum in ara crucis pro te esse mortuum, & sanguinem suum pro peccatis tuis effudisse, tunc anima tua sanguine Christi aspergitur, & hac fide sanctificatur. 3. Cum hac sanctificatione per imputationem & fidem, individuo nexu conjuncta est sanctificatio per renovationem & inhærentis sanctitatis collationem. Quando enim Spiritus sanctus corda illuminat & regenerat fide, statim etiam ea renovat ad serium studium sanctitatis. 4. Hæc sanctificatio per renovationem in hac vita non est perfecta, sed oportet eam quotidie crescere. Christus paulò ante dixerat. *Apostolos non esse de mundo, & tamen petit, ut Pater eos sanctificet, eo ipso innuens, neminem in hac vita adeo sanctum & mundum esse, ut non indigeat amplius mundari & sanctificari.* 2. Cor. 4, 16. Apoc. 22, 11. &c. 5. Proinde etiam ad sanctificationem illam quotidianam requiruntur preces, 1. Tim. 4, 5. sicut Apostoli sanctificati fuerunt per verbum fide receptum, per Spiritum sanctum & per hæc Christi preces. 6. Veritas, hoc est, verbi divini salutaris cognitio, est vera ad ministerium Evangelii consecratio & vera animæ sanctificatio. Chryl. in h. 1. τὰ ὀρθὰ δόγματα πρὸς θεὸν λεγόμενα ἀγαθὰ τῶν ψυχῶν 7. Vera & salutaris cognitio essentiæ & voluntatis divina

divina petenda est non ex doctrinis & traditionibus humanis, sed ex verbo Evangelii, quod est uernica & immota illa veritas, ex qua salus dependet. 6. Querebat Pilatus ex veritatis doctore, quid sit veritas, Joh. 18, 38. hic verissima & certissima veritatis definitio traditur. *Sermo Patris celestis est veritas homines sanctificans & salvans Doctrina gentilium, Judæorum, Turcarum, hæreticorum non sunt veritas, non afferunt veram & salutarem Dei cognitionem, veram consolationem, veros motus cordis à Spiritu sancto accensos &c. sed hoc unice competit verbo Evangelii. Omnes de Deo opiniones, omnes cultus, omnia dogmata extra & præter verbum excogitata sunt fallitas, à Deo abducens, Deum ignominia afficiens, hominum mentes prophanans, homines damnans. Contra vero verbum Evangelii est veritas ad Deum ducens, Deum glorificans, mentes hominum illuminans & sanctificans, homines salvans. Albertus in h. l. Verbum Dei est principium omnis veritatis, cui quicquid commensuratur, verum est, pro certo & falsitatis atq; erroris argui non potest.* 9. Quia celestis illius veritatis columna & firmamentum est Ecclesia, 1. Tim. 3, 15. ideo qui veritatem cognoscere & per eam sanctificari cupit, illum oportet esse membrum Ecclesiæ. Extra corpus Christi mysticum non est Spiritus sanctificans Christi. Lactant. l. 4. Inst. c. ult. *Ecclesia est fons veritatis, domicilium fidei, & templum Dei, quod si quis non intraverit vel à quo si quis exiverit, is à spe vitæ & salutis alienus est.*

Posteriori huic petitioni, quâ Apostolos in veritate verbi sanctificari precatur, subjungit Christus duplicem rationem. Prior desumpta est ab Apostolorum missione. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Theophyl. hunc verficulum cum sequente ita connectit, ut ex utroque una sententia conficiatur: Sicut me misisti in mundum, & pro eis ego sanctifico meipsum, h. e. offero sacrificium, ita & illos sanctifica, h. e. separa in sacrificium in prædicationem & constituere eos veritatis testes, sicut & me misisti veritatis testem & hostiam. Sed rectius accipitur ut peculiaris & à posteriore distincta ratio. Quidam referunt hæc ad priorem petitionem, quâ Christus precatus fuerat, Apostolos in nomine Patris celestis servari. Existimant enim Christum alio argumento ostendere, quod Apostoli digni sint auxilio Patris speciali, cum idem officium ipsis imposuerit, quod à Christo hæcenus gestum fuerat. Jam vero qui onus imponit, illi etiam convenit, ut vires ad onus ferendum necessarias subministrat. Ad salutare quidem & utile opus, sed tamen periculosum munus mittuntur, custodia igitur maximo opere indigent. Rupert. conjungit hæc verba cum v. 15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, quia sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.* Sed textus series ostendit, cum posteriore petitione in v. 17. immediatè præcedente exposita hæc verba ἀπολογισμῶς esse conjungenda & suppleendam particulam causalem quia, more Hebræorum omittam. Christus enim causam exponit quare sanctificatione illâ in verbo veritatis indigeant, nimirum quia ad Evangelium in toto orbe prædicandum sint ablegandi. Sanctifica eos in veritate, quia sicut tu me misisti in mundum, ita & ego eos in mundum misi. Constitui eos post meam ex mortuis resurrectionem ad prædicandam in toto terrarum orbe Evangelii veritatem ablegare, sanctificatione igitur maximo opere indigent, ut Spiritus sanctus confirmati arduum

illud munus dignè & salutariter administrare possint. Mittentur à me in mundum, ut per Verbum veritatis ab ipsis prædicatum nomen tuum in mundo sanctificetur, ergo ipsosmet prius in veritate à te sanctificari oportet. Volo illos esse præcones & testes doctrinæ Evangelicæ in mundo, ergo necessariū est, ut in cordibus eorum salutarem tui notitiā obfignes, & hac ratione in veritate eos sanctifices. Mittentur in mundum & in mundo eis erit verandum, ideò opus est, ut à te sanctificentur, ne mundi consortio corruptantur, sed mundum de peccato potius arguant, Joh. 16, 8. Hic principalis est verborum Christi scopus. Secundario possunt addi aliæ connexionis rationes. 1. Petierat Christus Apostolos sanctificari, h. e. ministerio Evangelii consecrari, jam declarat, ad quod munus eos à Patre sanctificari petat, videl. ad munus Apostolicum, quia in mundum ad prædicandum Evangelium inter omnes gentes mitti, est ad munus Apostolicum mitti. 2. Docet, quibus speranda sit illa, quam à Patre celesti petit, in veritate sanctificatio, illis scil. qui non sunt ἀπίστοι currentes ante quâ mittantur, Jer. 33, 21. sed qui divinitus vocantur. 3. Ostendit petitionis suæ æquitatē. Apostoli hi mei non semetipsos ingererunt muneri Apostolat^o, propter quod maxima in mundo odia & pericula eis erunt sustinenda, nec propria autoritate hunc honorem sibi sumserunt, Hebr. 5, 4. sed ego illos mihi & quidem tuo nomine, tuâ autoritate, quia tu mihi eos dedisti. Ergo æquum est, ut illos huic muneri idoneos reddas. 4. Sicut superius dixerat, verbum suum esse Patris verbum v. 6. 8. & 14. ita hoc loco docet, doctrinam Apostolorum esse divinam & ipsius Dei doctrinam. Cæterū duplicis missionis hoc loco Christus meminit. Prior est, quâ ipse à Patre celesti in mundum fuit missus. Posterior est, quâ ipse Apostolos in mundum misit. Matth. 10, 16. *Mitto vos sicut oves in medio luporum.* Prior missio duplicem propositum habuit finem. Missus enim est Christus à Patre in hunc mundum, primò ut genus humanum à peccato & morte redimeret, opera & regnum diaboli destrueret, & perfectam justitiam adduceret. Matth. 20, 28. Secundò ut Evangelium ex sinu Patris celestis prolatum mundo annunciatet. Ef. 61, 1. Joh. 1, 18. quo respectu vocatur *Apostolus*, h. e. legatus à Patre ad fungendū munere Prophetico & Pontifice nostræ confessionis, h. e. religionis illius, quam profiteamur, Heb. 3, 1. Quando ergo Christus hoc loco dicit, Apostolos à se in mundum esse missos, sicut ipse à Patre in mundum missus est, tunc collationem instituit inter suam & Apostolorum missionem respectu posterioris tantum finis, ut sit sensus. Sicut tu Pater celestis me misisti in mundum ad opus redemptionis perficiendum, ita ego in mundum eos misi ad opus illud per Evangelii prædicationem, mundo annunciandum. Sicut tu me misisti, ut regnum diaboli destruerem, & filios tuos dispersos in unum colligam, Joh. 11, 52. ita ego Apostolos hosce meos in eundem finem misi. Ego quidem præstiti & præstabo illud tum passionis & mortis meæ merito, tum Evangelicæ prædicationis efficaciam, sed Apostoli tantum per Evangelii prædicationem illud præstiterunt ac porro præstabunt, per quam beneficia merito meo parta mundo offerent & credentibus distribuent. Consistit autem collatio inter missionem Christi & Apostolorum præcipuè in his membris 1. Pater celestis misit Christum ex iussu φιλανθρωπία & desiderio salutis humanæ: sic

Christi

Christus ex caritate misit Apostolos. 2. De missione Filii factum est æternum decretum: ita quoque Apostolorum missio in æterno consilio fuit decreta. 3. Pater Filium, quem misit, sanctificavit, Joh. 10. vers. 36. sic Christus dato Spiritu sancto Apostolos à se missos sanctificavit. Joh. 20. v. 22. modus tamen sanctificationis variat. Augustin. in h. l. *Misit Deus Filium suum non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati & misit Filium ejus eos, quos natos in carne peccati sanctificavit à labe peccati.* 4. Christus à Patre missus est divinâ autoritate circumdatus, ut omnes eum audire juberentur, Deut. 18, 18. Matth. 17, 5. Apostoli itidem divino mandato ab omnibus audiendi sunt missi, Luc. 10, 16. *Qui vos audit, me audit, utrique enim missioni conjuncta fuit infallibilitas doctrinæ.* 5. Christus missus est sine humanis prædiis & armis, Matth. 8, 20. ita quoque Apostoli fuere à Christo missi, 2. Cor. 10, 4. 6. Christus missus est, non ut regna mundi occuparet & distribueret, sed ut decretum Dei de salute humani generis revelaret: sic Apostoli missi sunt, non ut res Politicas tractarent, sed ut Evangelium docerent. 7. Christus missus est, ut errores & corruptelas doctrinæ cœlestis argueret, Mal. 3. v. 2. eodem fine Apostoli sunt missi. 8. Christus missus est, ut homines ad pœnitentiam vocaret Matth. 9. v. 13. sic Apostoli missi sunt ad prædicandam pœnitentiam & remissionem peccatorum, Luc. 24, 47. 9. Christus missus est, ut doctrinam suam testimoniis miraculorum confirmaret: ita quoque Apostoli in sua missione dono eedendi miracula sunt instructi. 10. Christus missus est, ut verbum Patris, non humanas doctrinas in suis concionibus proponeret: ita Apostoli missi sunt, ut prædicarent divina eloquia, non humana cœmentia. 11. Christus missus est, ut vitæ sanctitate doctrinam ornaret & exemplo vitæ auditoribus præluceret: eodem fine etiam Apostoli sunt missi. 12. Christus missus est, non ut delicias terrenas voluptates mundanas, divitias externas quæreret, sed ut crucem subiret, ærumnas sustineret, & mortis supplicium adiret: sic Apostoli missi sunt ad persecutionem propter Evangelium sustinendam. 13. Sicut Pater Christo in mundi odiis & persecutionibus adfuit, Joh. 16, 32. ita quoque Christus idem patrociniū & defensionem Apostolis à se missis promisit. 14. Sicut Pater per Verbum à Christo prædicatum fuit efficax ad hominum conversionem & salutem: sic Christus per verbum ab Apostolis prædicatum itidem fuit efficax in cordibus auditorum. 15. Pater ita misit Filium, ut mandatum ipsi dederit etiam alios in schola sua prius institutos mittendi: sic Christus ita misit Apostolos, ut mandatum ipsis dederit alios à se prius institutos ad prædicationem Evangelii mittendi. Dissimilitudo tamen in eo est. 1. Quod Filius ita à Patre mittitur temporaliter, ut à Patre per generationem exeat æternaliter, de Apostolis hoc dici nequit. 2. Quod Apostoli missi sunt, cum jam homines essent, Filius autem missus est, ut homo esset, ut loquitur Aug. tract. 110. in Johann. 3. quod Christus non tantum missus est ad Evangelium prædicandum, sed etiam ac præcipuè ad genus humanum redimendum. Sed Apostoli tantum ad Evangelii prædicationem mittuntur. 4. Quod Christus dicit: *Se non esse missum nisi ad oves perditas de domo Israel*, Matth. 15. v. 24. unde vocatur *Minister circumcisionis*, i. e. Judæorum circumcisorum, Rom. 15. v. 8. sed Apostoli missi sunt, ut Ev-

angelium prædicarent omni creaturæ, Marc. 16. v. 15. ac docerent omnes gentes, Matth. 18, 19. Sanè in prima ad Evangelium prædicandum ablegatione itidem ad solos Judæos missi fuerunt, Matth. 10, 5. de qua missione Christum hoc loco agere quidam probare cupiunt ex eo, quod Christus inter suam & Apostolorum missionem infituit hoc loco collatione. Juxta hanc hypothèsin nomine mundi intelligendi essent soli Judæi, *Sicut tu me misisti in mundum*, h. e. ad Judæos: ita & ego eos in mundum misi, hoc est, ad Judæos: quam explicationem probare videtur verbum præteriti temporis non solum de Christi, sed etiam Apostolorum missione usurpatum. Sed non est verisimile, Christum præcipuam illam missionis partem, quâ post resurrectionem ad prædicandum Evangelium inter omnes gentes missi sunt, & propter quam eos à Patre sanctificari tam sollicitè petit, præmittere hoc loco voluisse, inde Euthymius censet præteritum juxta usitatum Hebraicum hic poni pro futuro. Sicut tu me misisti in mundum, ita ego post meam ex mortuis resurrectionem eos mittam in mundum, & quia ad salutarem & dignam ardui illius muneris, ad quod mittentur, administrationem sanctificatione indigent, idè eos in veritate sanctificari peto. Hanc expositionem probat tum nomen generale mundi, quod vix invenietur pro solis Judæis usurpatum, nisi quis huc accommodare velit locum, Joh. 15, 18. de quo superius egimus, tum quod Joh. 20. v. 21. Christus post resurrectionem de hac missione loquitur verbis præsentis temporis: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Stapul. in h. l. *Verbum missi, certitudinem habet jam facti, sed intelligentiam futuri, quia quod miserat, eos per Judæam, exigumerat, quod autem missurus erat per totum mundum, hoc maximum.* Non tamen propter solam futuræ illius missionis certitudinem & propinquitatem verbo præteriti temporis uti voluit, sed etiam propter alias causas, utpote non quod jamdum ad Evangelii prædicationem eos mittere cœperat, Matth. 10, 6. quod dederat illis nomen *Apostolorum*, h. e. missorum, Luc. 6. v. 23. quodq; eo fine eos in scholam & familiare consortium vocaverat, ut eos aliquando mitteret, Marc. 3. v. 13. Sed ne hoc ratione destitueret, quod non absolutè & simpliciter dicit, *sanctifica eos in veritate, quia ad prædicandum Evangelium eos mittam in mundum*, sed missionem ipsorum cum sua missione comparat, 1. ut ostendat se eos non sine exemplo mittere, cum in eo imitetur exemplum Patris, qui se eadem de causâ in mundum miserat. 2. Ut eò magis ipsos contra odia & persecutiones propter Evangelium in mundo sustinendas confirmet, cum audiant, quod ut missionem ita quoque fortunam missionis eandem cum ipso sint habituri communem. 3. Ut doceat, missionem illam Apostolorum esse necessariam. Cum enim ipse à Patre in mundum missus sit, & verò in proximo sit, ut peracto, propter quod missus erat, opere mundum relinquat & ad Patrem redeat, idè ex eadem Patris voluntate sibi incumbere innuit, ut ministerium docendi à Patre sibi commissum aliis commendet, qui legationem illam perficiant. 4. Ut soletur eos, quod sicut Pater Filio à se missò adfuit & successum ministerio ipsius dedit, ita quoque ipsis Patris voluntate missis præstò sit futurus & ministerio eorum benedictionem largiturus. Colligitur autem ex his verbis. 1. Christum à Patre cœlesti esse in hunc

in hunc mundum missum nec seipsum glorificasse, ut Pontifex fieret, Hebr. 5, 5. 2. Missionem ad Evangelium prædicandum Apostolos, imò omnes fideles verbi præcones certâ ratione cum Christo habere communem. Dico certâ ratione, quia ut missio quædam peculiaris habet, quibus ab Apostolorum missione distinguitur, quorum quædam superius enumerata sunt: ita Apostolorum missio quædam peculiaris habet, quibus à reliquorum Ecclesiæ ministrorum missione distinguitur. Apostolorum enim missio conjunctam habet infallibilitatem doctrinæ, donum edendi miracula, mandatum prædicandi Evangelium inter omnes gentes &c. quibus omnibus reliquorum Ecclesiæ ministrorum missio defuitur: in reliquis membris superius enumeratis non solum Apostolorum, sed etiam aliorum fidelium Ecclesiæ doctorum missio cum Christi missione convenit. 3. Doctrinam Apostolorum esse ἀληθινὴν καὶ ἀποστολικήν. Quamvis enim homines fuerint, tamen quia ipsius Christi testimonio ita missi sunt in mundum, sicut ipse à Patre in mundum missus est, ideo ut Christi ita quoque Apostolorum doctrina est infallibilis; & qui Apostolos in ipsorum scriptis adhuc loquentes audit, Christum ipsum audit, Luc. 10, 16. 4. Illis demum sperandum esse cœlestem sanctificationem ad munus prædicationis ac donorum necessariam & salutaris successus largitionem qui à Christo mittuntur, non qui seipsum docendi muneri ingerunt.

Posterior ratio, propter quam Christus Apostolos in veritate sanctificari petit, delumta ex sui ipsius pro illis sanctificatione. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sine etiam ipsi sanctificati in veritate. 1. Proprius & principalis scopus est novam asserere rationem, propter quam Apostolos à Patre sanctificari iuste petat, nimirum quia ipse, qui est Sanctus Sanctorum, Dan. 9. versic. 24. & fons omnis sanctitatis, semetipsum pro eis sanctificet, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, quo in argumento est connexio causæ & effectus. Auger ergo & exaggerat priorem impetrandæ sanctificationis rationem. Non solum missi eos in mundum, sed etiam pro eis meipsum sanctifico, ut sanctificationis à te participes reddantur. 2. Simul etiam explicat, è quo fonte fluat illa sanctificatio, quæ per Evangelii veritatem nobis obtingit, nimirum quia ipse pro nobis seipsum sanctificavit, ut ad nos sanctitas perveniret. 3. Per speciem quandam occupationis diluit, quod de Apostolorum, pro quibus precatur, indignitate obijci poterat. Sunt quidem, fateor, ipsi naturâ non sancti, imò immundi & indigni, adeoque ad tantum munus minus idonei. Sed ego pro eis meipsum sanctifico. Ergo mi Pater celestis respice potius, quæ qualis ego sum & quid pro illis faciam, quam quales ipsi sint. 4. Docet, non esse in viribus humanis docendi ministerium dignè & salutariter administrare, sed requiri, ut seipsum pro eis sanctificet & Spiritum sanctificationis illis impetret, qui eo salutariter fungi debent. Videtur autem Christum respicere in his verbis ad locum parallelum Joh. 10, 36. ubi se à Patre sanctificatum & in mundum missum esse asserit. Ut enim ibi missionem & sanctificationem arctissimo nexu conjungit: ita quoque hoc loco dicit se esse à Patre in mundum missum & seipsum pro Apostolis sanctificare. Discrimen tantummodo in eo est, quod ibi à Patre se dicit sanctificatum; hic verò dicit, quod semetipsum pro Apostolis sancti-

ficet, quod quanto cum mysterio dicatur, ex sequentibus aliquo modo intelligi poterit. Quid verò Joh. 10, 36. per sanctificationem intelligatur, non est una atque eadem Interpretum sententia. 1. Quidam hanc sanctificationem referunt ad ipsâ Deitatem. Aug. tract. 48. in Joh. Fortè aliquis dicat, si Pater cum sanctificavit, ergo aliquando non erat sanctus? sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum cum genuit. Nam si quod sanctificatur, antè non erat sanctum quomodo dicimus Deo Patri sanctificetur nomen tuum? Similia occurrunt apud Cyrillum lib. 7. in Joh. cap. 12. Juxta hanc expositionem Christus ut Deus sanctificatus est non temporali donatione, sed æternâ generatione, quia eandem sanctitatem habet, quam Pater habet, sed ab eo acceptam & Pater eum sanctificat, ipsi ab æterno essentiam & sanctitatem suam communicando. Si verbum sanctificandi in ea significatione accipere velimus, non poterit præfens locus cum illo, Joh. 10. v. 36. conferri, quia Christus non genuit seipsum, sed à Patre est ab æterno genitus. Sed haud immerito dubitatur, an Christus Joh. 10, 36. per sanctificationem suam æternam à Patre generationem intelligat, cum sanctificationem & missionem suam in mundum conjungat. 2. Quidam accipiunt de humanitatis sanctificatione in conceptione, de qua Luc. 1. v. 36. dicitur, Sanctum quod ex te nascetur, Filius Dei vocabitur. Quando enim Christus consideratur ut Θεῶν Σῶμα, ut Deus in carne manifestatus, 1. Tim. 3, 16. ut ὁ λόγος caro factus, Joh. 1, 14. dicitur à Patre sanctificatus per ipsam Deitatem humanitati assumptæ personaliter unitam. Est enim sanctificatus non ut ceteri homines sed ipsâ Deitate, ut in personæ unitate sit simul Deus & homo. Aug. tract. 108. in Johan. Ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ in Verbo, quando Verbum factum est caro, quia una persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, h. e. se hominem in se Verbo, quia unus est Christus Verbum & homo sanctificans hominem in Verbo. Cyr. lib. 11. in Joh. cap. 17. Propter nos sanctificatur non ab alia id acquirens, sed ipse suæ carni sanctificationem immitteus. Juxta hanc sanctificationis expositionem potest præfens locus cum Joh. 10. v. 36. conferri. Ut enim non solum Pater per Spiritum sanctum opus incarnationis perfecit & divinam atque humanam naturam in Christo univit, sed etiam ipse Filius humanam naturam in personæ suæ unitatem assumpsit; ita quoque non Pater solum sanctificavit Filium, sed etiam Filius seipsum sanctificavit. Et quidem sanctificavit se pro nobis, i. e. propter nos & nostram salutem. Ut enim propter nos homo factus, ita quoque propter nos in assumpta carne seipsum sanctificavit, ut immundam nostram conceptionem & nativitatem sanaret. Sed res ipsa testatur, Christum his verbis plura complecti, quando dicit. Ego meipsum pro eis sanctifico, ut sint etiam ipsi sanctificati in veritate. 3. Athanas. orat. 2. contra Arian. post med. Chrysostomus, Theophylactus & alii accipiunt sanctificationem de Christi officio. Quem Pater sanctificavit, id est, segregavit & constituit, ut esset Mediator, Redemptor & Salvator humani generis, sanctum enim dicitur, quod Deo segregatum & consecratum. Probatur hæc expositio ex eo, quod sanctificatio & missio in mundum conjunguntur, & quia sanctificatio ponitur in ordine ante missionem, ita accipienda est, ut ad

ut ad eam etiam referatur *πρόνοια*, illa, de qua Petrus 1. Epist. 1. v. 20. dicit, quod Christus sit agnus ille immaculatus præcognitus ante mundi constitutionem, manifestatus à novissimis temporibus. Sanctificavit ergo Pater Filium, quando in æterno decreto constituit eum humani generis Mediatorem & in temporis plenitudine militatum ex virgine, & unctum Spirituo sancto, ut esset Agnus ille Dei tollens peccata mundi, Joh. 1, 29. Juxta hanc sanctificationis expositionem itidem potest præsens locus cum Johan. 10, 36. conferri. Nam Filius Dei in æterno Trinitatis consilio Mediator constitutus est eo modo, ut ipse in se Mediationis officium sponte susceperit & hac ratione seipsum pro hominibus sanctificaverit. 4. Monimus autem superius, verbum sanctificare inter cætera significare idem quod sacrificare, in qua significatione propriè & præcipuè hoc loco à Christo illud usurpatur. *Ego me ipsum sanctifico pro eis*, id est, me ipsum tibi jam offeram in sanctum sacrificium & hostiam acceptam, Eph. 5, 2. ut virtute hujus sacrificii in ara crucis me jamjam offerendi consequantur illam, quam peto, sanctificationem, ut peccata ipsorum expiantur, Spiritus sancti donatio illis impetretur & fiant idonei præcones Evangelii & hæredes vitæ æternæ. Verbum enim sanctificandi de Sacerdotibus & victimis in V. T. usurpatur, ac tota præparatio, mactatio & oblatio victimæ vocatur sanctificatio. Hoc ergo Christus ad se transfert & docet, se esse simul Sacerdotem & sacrificium, unde notanter dicit, *Ego me ipsum sanctifico pro eis*, id est, ut exponitur, Hebr. 10, 12. non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introibo in Sancta sanctorum æternâ redemptione inventâ. Segrego me ex toto genere humano, ac totum in officio meo me tibi o Pater cælestis offero, in cuius rei signum ante quatuor dies solennem meum in urbem Hierosolymam ingressum celebravi, & velut agnum tolerantem peccatum mundi ex toto hominum cætu me segregavi, præsto etiam me sanctum, mundum & segregatum à peccatoribus, Hebr. 7, 26. totius vitæ obedientiâ me hæcenus sanctificavi, jamq; me offeram in victimam, morte meâ peccata totius humani generis expiabo, divinâ justitiâ satisfaciam, ut sanguine meo Apostolos & omnes credentes emundem, 1. Joh. 1, 7. unâ oblatione consummem in sempiternum sanctificatos, Hebr. 10, 14. ac voluntariâ corporis mei oblatione eos sanctificem v. 10. ut promerear illis remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti & vitam æternam. Superius dixerat, se consummâsse opus à Patre sibi demandatum ratione prædicationis, v. 4. hic dicit, quod seipsum sit sanctificaturus, id est, corpus suum in mortem & sanguinem in sacrificium pro peccatis mundi traditurus, sicque consummaturus alterum opus à Patre sibi demandatum, quod est opus redemptionis humani generis, ut à morte illud redimatur & bona amissa illi iterum acquirantur. Ut enim in V. Test. sacrificia offerebantur ad eorum sanctificationem, pro quibus offerebantur: sic Christus seipsum obtulit in sacrificium, ut sanctificaret corpus suum mysticum. In ipso nullum fuit peccatum, quod expiatione indigeret, id eò pro aliis se sanctificat, ratione acquisitionis & meriti pro omnibus hominibus, ratione applicationis & efficacæ pro solis verè credentibus, sicque sanctificat se pro corporis sui mystici membris, non ut ipse de non sancto fiat sanctus, sed quia sanctus

offeritur, ut non sanctos oblatione illâ sanctâ sanctificet. Hebr. 13, vers. 12. Christus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. August. tract. 108. in Joh. Quid est & pro eis me ipsum sanctifico, nisi eos in meipso sanctifico, cum & ipsi sint ego? Quoniam de quibus hoc ait, membra sunt ejus & unus est Christus caput & corpus &c. Propter sua membra inquit, pro eis ego me ipsum sanctifico, id est, quod profit etiam ipsi, quia & ipsi sunt ego, sicut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis, & ego sanctifico me ipsum, hoc est, ipsos in me tanquam me ipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego. Sic ergo in nomine *εἰ αὐτὸν* est magna emphasis. Christus enim hoc opponit typicis V. T. sacrificiis, quæ brutorum sanguine constabant, quasi dicat: Sacrificia V. T. non poterunt suâ vi & virtute peccata expiare, Pl. 40, 7. Hebr. 10, 4. id eò me ipsum in *ἱλαστικὸν* sacrificium tibi offero, ut tuam gratiam, peccatorum remissionem & vitam æternam ipsis promerear. Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 25. Sanctificare, offerre quicquam Deo secundum legis consuetudinem significat. Pro nobis igitur Christus se sanctificavit, obtulit nempe seipsum Deo Patri, ut sanctam hostiam mundum reconcilians ei & lapsum genus humanum in amicitiam ejus restitueret &c. Sanctificavit seipsum pro nobis, id est, obtulit, cum pro universis mortuus sit, ut omnes ad novam vitam reformaret. Simon de Cassia lib. 12. cap. 18. Omnia per sanguinem sanctificabantur in V. T. ut merito sanctificatio dicatur sanguinis tinctio & sanctus sanguine tinctus nuncupetur. Loquitur ergo Christus ut Mediator seipsum consecrans & offerens in victimam tum expiatoriâ peccatorum, tum propitiatoriâ & impetratoriâ, per quam gratiam Patris cælestis & bona cælestia per lapsum amissa humano generi iterum acquirat. Nullus inter omnes homines est, qui seipsum sic possit sanctificare, ut sui sanctificatione etiam alios sanctificet: Soli Christo, qui est *θεὸς ἀνθρώπων* & *ὁ ὁμιλῶν* Mediator, 1. Tim. 2, v. 4. hoc competit, ut seipsum pro nobis sanctificando nos sanctificet. Iple non solum secundum divinam naturam est ipsa sanctitas essentialiter, sed etiam secundum humanam naturam est Sanctus sanctorum, Dan. 9, v. 24. sanctum ex Maria natum, Luc. 1, 35. non indigens alienâ sanctitate, id eò se pro nobis sanctificare potest. In se & ratione suæ personæ sanctus est, sed cum sit constitutus & præcognitus agnus ille Dei tollens peccata mundi, Joh. 1, 29. 1. Pet. 1, 20. id eò in se suscepit peccata nostra, El. 53, 11. factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia & sanctitas in ipso, 2. Cor. 5, 21. inde etiam maluit dicere. *Ego me sanctifico* quam ego sacrificium offero, ut ostenderet, se peccatis totius mundi onustum & alienis sordibus non per subjectivam inhesionem sed per efficacem imputationem sordidum coram Patre cælesti hic altare, ut in sacrificium sese offerat, cujus typus fuit Josua Sacerdos indutus vestibus sordidis, Zach. 3, v. 3. Quia vero Christus disertè hoc loco addit. *Ego me sanctifico pro eis*, id est, tum loco ipsorum, tum propter eos, quo modo Christus ipse præpositionem *pro* exponit, Matth. 20, 28. c. 26, 28. Joh. 6, 51. &c. id eò non propriis, sed alienis peccatorum sordibus se sordidatum fuisse indicat, ac non pro se sed pro nobis seipsum sanctificasse asserit, sicut etiam Luc. 2, versic. 22. in quibusdam exemplaribus legitur, *cum impleveretur dies purgationis αὐτῶν*, ut purgatio etiam ad Christum referatur, in quem Deus peccata omnium nostrorum coniecit. Atque hoc sensu accipiendum, quod quidam

quidam ex veteribus docent, Christum hic loqui in persona totius generis humani pro quo seipsum sanctificet & in hostiam Deo offerat. Achanas. de incarnat. Christi contra Apollinar. *Ex nostrum persona verba illa proloquitur, quoniam ex vi formam assumerat. Ut homo sanctificatur sanctus ille cui nulla expiatione aut sanctificatione opus fuit, cum ait, pro illis meipsum sanctifico &c.* Ipse in utero & ab utero fuit sanctus, pro nobis ergo se sanctificat, non ut sibi majorem sanctitatem acquirat, sed ut nobis suo merito sanctitatem & justitiam comparet, unde statim additur, *ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Hanc expositionem confirmat non solum temporis circumstantia, quia Christus hæc loquitur jamjam sacrificium corporis sui in cruce oblaturus, sed etiam aliorum locorum collatio, in quibus fructus ille, quem Christus sanctificationi hic tribuit, ipsius sacrificio tribuitur. Heb. 10. vers. 10. & 14. cap. 13. vers. 12. 5. Quia Christus hic proprie & in specie orat pro Apostolis, quos petit sanctificari in veritate, id est, ad veritatem Evangelii in toto orbe prædicandam, consecrari non Leviticis Ceremoniis, sed Spiritu sancto opulente in ipsos effundendo, ideò quando Christus dicit, *Ego meipsum sanctifico pro eis*, simul respicit ad Ceremonias, sacrificia & sanctificationes legales, quibus Sacerdotes Vet. Test. ad officium suum consecrabantur, ut sit sensus. Loco illius typici sacrificii & umbratilium Ceremoniarum, quæ in consecratione Sacerdotum Vet. Test. adhibebantur, *ego meipsum sanctifico*, id est, in sacrificium offero, quod sacrificium cum sit complementum, ac veritas omnium Vet. Test. sacrificiorum & figurarum, ideò nulla alia Ceremoniali & legali sanctificatione indigent. Si ad externa sacrificia offerenda constituerentur, etiam externo aliquo sacrificio typico ad exemplum Sacerdotum Vet. Test. consecrandi essent; sed quia non amplius *deservire debent umbra & exemplari cælestium*, Hebr. 8. v. 5. sed per Evangelii prædicationem cælestia beneficia, passionis & mortis meæ sacrificio parta distribuere, ideò *pro eis meipsum sanctifico*, ut meo vero & unico sacrificio impetrem illis *Spiritum sanctificationis*, per quem ad munus Apostolicum idonei reddantur. 6. Quod Christus in præsentia dicit, *ego meipsum pro eis sanctifico*, illud juxta phrasin Hebraicam propter certitudinem & propinquitatem pro futuro accipi potest, quia cum Christus hæc loqueretur, jamjam per oblationem in cruce se sanctificaturus erat. Interim non sine singulari consilio Christus verbo præsentis temporis uti voluit, ut ostenderet, has ipsas preces, quas pro Apostolis & pro tota Ecclesia Patri cælesti obtulit, esse partem Sacerdotalis illius muneris, cujus respectu seipsum pro nobis sanctificare dicit. Quemadmodum enim in Vet. Testam. Sacerdotes oblationi victimarum præmittēbant preces: ita Christus in hac ardentissima oratione sacrificat non hostiam ex brutis pedibus, sed seipsum, Hebr. 5. v. 7. *in diebus carnis sue preces & supplicationes ad eum, qui possit illum salvare à morte cum clamore valido & lachrymis obtulit*, quem locum de hisce Christi precibus haud absurde accipi posse superius ostendimus. Virtute ergo harum precum applicat suum sacrificium omnibus credentibus, ut ostendat se esse nostrum Mediatorem, Sacerdotem, Redemptorem & Salvatorem, non tantum ratione meriti, sed etiam ratione effi-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

ciæ, ac impetrat, ut Deus semper aliquam Ecclesiam per verbum Evangelii ex genere humano sibi colligat, quam propter Christi sacrificium & preces in gratiam recipit, sanctificat & vitæ æternæ participem facit. 7. Quæ aliæ huc accommodantur verbi sanctificandi significationes, illæ sunt secundaria & ad superiores reduci possunt. Dionys. Carthus. in hunc locum sic exponit. *Ego meipsum sanctifico, id est, opera sancta facio, per quæ mereor eis gratiam & gloriam, quia omnia sua opera a reulit Christus ad nostrum subsidium.* Sed hoc referri potest ad significationem quartam, quia ad meritum Christi, quo sanctificamur, pertinet non tantum passiva sed etiam activa ipsius obedientia. Idem ejusmodi explanationem addit. *Ego factus ostendo, quod sim sanctus sanctorum, Dei Filius, mundi Salvator &c. ac prædico me sanctum, ut eò citius in me credant.* Sed hoc non assequitur vim hujus verbi ex Scripturæ fundamentis paulò ante expositam. Quo verò sine & fructu Christus seipsum pro Apostolis & omnibus credentibus sanctificet, ostendit ipse, quando subjungit, *ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Hoc accipiendum 1. de sanctitatis Christi imputatione. Recepti in me peccata totius mundi, factus sum pro hominibus peccatum, ut credentibus mea justitia & sanctitas imputeretur, ut credentes in me fiant justitia & sanctitas, 1. Cor. 1. v. 30. c. 6. v. 11. 2. Cor. 5. v. 21. Pulchrè Stapulensis in h. l. *Christus justus in sua justitia justificat omnes. In Christo salvato salvantur omnes, in Christo sancto sanctificantur omnes, unde sanctificatio nostra, justificatio nostra, salvatio nostra non potuit magis exaltari, quam ut esset in Deo & eadem que Filii Dei. Nam hæc vera est, imò veritas, in nobis autem ipsis ut in nobis exiguum quid esset, neque in veritate possemus esse tales. Tales autem in Filio Dei sumus in veritate, quia factus est nobis Sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Eò accommodari potest Augustini expositio tract. 108. in Joh. *Ut sint sanctificati in veritate, id est, in me qui sum Veritas ac ev αληθεια à quibusdam accipitur positum pro αληθως, ut sint sanctificati in veritate, id est, verè & perfectè, quæ perfectio respectu hujus vitæ non nisi in imputata Christi sanctitate quæri debet.* 2. De sanctitatis in nobis inchoatione. *Ego meipsum pro illis sanctifico, ut & ipsi & omnes veritatem Evangelii fide amplectentes per Spiritum sanctum sanctificentur ac renoventur, ut non solum coram Deo reputentur sancti, sed etiam ut sanctitatis studium per Spiritum sanctum in ipsis inchoetur.* Quemadmodum enim in Vet. Test. per sanctificationem primitiarum tota messis sanctificabatur, ut sic à primitiis benedictio in totum anni illius proventus quasi diffunderetur: sic Christus primitiarum loco pro nobis sese sanctificans, id est, Patri cælesti offerens impetravit nobis Spiritum sanctum, qui interius nos per renovationem sanctificat. Quamvis verò hæc sanctitas inherens & eam sequens actualis in hac vita nunquam assurgat ad perfectionem in lege divina omnis sanctitatis norma præscriptam, tamen est vera, id est, sincera & seria, quando concupiscentias carnis nobis adhærentes per Spiritum mortificamus, imperfectionem & impuritatem illius sanctitatis Christi perfectissima tegi petimus & ad purissimam sanctitatem in vita æterna expectandam toto pectore aspiramus. 3. De sanctificatione per verbum Evangelii. *Sanctifico meipsum pro eis, ut sint sanctificati in veritate*

D d d d d d five

sive per veritatem, id est, per verbum Evangelii, v. 17. in veritate fidei, quæ est fundamentum omnis sanctificationis in hac & futura vita. 4. De consecratione ad ministerium. Ut enim aliquoties monuimus, Christus propriè & principaliter hic loquitur de Apostolis, quos in veritate sanctificari, id est, ad veritatem Evangelii in toto orbe prædicandam consecrari & per Spiritum sanctum idoneos reddi petit: Sensus igitur est. Ego meipsum illorum gratiâ in sacrificium tibi offero ut ipsi quoque non amplius Ceremoniali quadam sanctificatione, quæ per pecudum oblationem in Vet. Test. fiebat, nec externâ tantum purificatione, non in figura & umbra, sed in veritate sint sanctificati, videlicet per interiorè & realem Spiritus sancti sanctificationem, ut sint conformati in veritate Evangelii & fidei, ut per illuminationem liberentur ab erroribus & in doctrina sint infallibiles quantum ad intellectum, & emundentur à peccatis in conscientia, quantum ad effectum, & hac ratione in veritate sint sanctificati, ut se totos veritatis Evangelicæ prædicationi & voluntatis tuæ adimpletionem consecrent, ac si res ita ferat, ad confirmandam Evangelii veritatem sanguinem suum profundentes etiam ipsi in sacrificium Eucharisticum se tibi offerant. Euthym. in h. l. *Ut & ipsi immolati sint per veram hostiam, legalis siquidem victima figura erit non veritas, ut & ipsi immolati sint, capite videlicet ipsorum immolato, vel etiam tanquam & ipsi immolati, habiti sicut oves cædi deputatæ.* Colligitur autem ex his verbis 1. Omnes homines per naturam esse immundos, non sanctos, à sancto Deo alienos & averfos, Joh. 14. v. 4. Psalm. 51. vers. 7. Proverb. 20. vers. 9. Es. 64. v. 6. Quorum enim Christus pro nobis se sanctificaret, si per naturam essemus sancti? 2. Legales Ceremonias & sacrificia Vet. Test. in se ac per se non fuisse expiationes peccatorum, nec potuisse adducere veram coram Deo sanctificationem, sed tantum fuisse typos unici sacrificii propitiatorii à Christo in ara crucis offerendi, per quod coram Deo sanctificantur, quotquot sanctificantur. Heb. 10. vers. 4. 3. Veram sanctificationem, i. e. tum imputatam, tum inchoatam sanctitatem Christum nobis acquisivisse. Ipse enim seipsum pro nobis sanctificavit, id est, peccata nostra expiavit, seipsum victimam in odorem suavitatis Deo obtulit, Eph. 5, 2. ac nos Patri reconciliavit, ut essemus & nos sanctificati in veritate, id est, ut à peccatis mundati & Spiritu sancto donati veræ sanctitatis participes redderemur. Ipse in sua persona Patri nos obtulit, ut hostia ipsi grata censeamur. Quia enim & sanctificans & sanctificati sunt ex uno omnes. Heb. 2. vers. 11. hoc est, sunt ejusdem naturæ, ideo potuit ejus sanctificatio ab ipso tanquam capite in nos tanquam membra redundare, ac per ipsum Spiritus sancti nos sanctificantis participes reddi potuimus. Stapulensis in hunc locum. *Christus est sanctificans & sanctificatus. Sanctificans quidem, quia, quæ Pater sanctificat, eadem & ipse similiter sanctificat, Joh. 5. vers. 19. Sanctificatus vero, ut omnes*

sancti in eo sint sanctificati, ut in ipsa sanctificationis veritate. Hæc sanctificatio (ratione meriti & acquisitionis considerata) non est particularis pro solis electis facta, ut *ἀνὰ δεύρας* ex h. l. colligit Piscator, alias foret consequens, Christum pro solis Apostolis seipsum sanctificasse, sed est universalis pro omnibus omnino hominibus facta. Quod non omnes ejus fructum & effectum participant, id ipsorum hominum culpâ accidit. 4. Quod ergo sanctificamur per peccatorum emundationem, per Spiritus sancti donationem, per consecrationem ad ministerium verbi &c. ut quædam Deo grata & Ecclesiæ salutaria faciamus, nontribuendum esse nostræ dignitati, sed divinæ benignitati; nec nostris, sed solum Christi meritis. 5. Sanctificationem illam à Christo partam nobis obtingere per verbum Evangelii, quod est veritas illa, per quam sanctificamur, Joh. 17. v. 17. & per fidem fructum sacrificii Christi in verbo Evangelii oblatum amplectentem sibi que applicentem. Qui à verbo & fide alienus est, sanctificationis à Christo partæ nunquam fiet particeps. 6. Contra conatam nostram immunditiam & impuritatem solatio nobis esse debere, quod Christus seipsum pro nobis sanctificavit, non solum ratione meriti, Heb. 10. v. 14. sed etiam ratione efficacie, quia sanctitatem non solum perfectissimam suam obedientiâ & plenissima satisfactione nobis promeruit, sed etiam in verbo Evangelii omnibus offert & credentibus confert atque applicat. 7. Finem illius sanctificationis, qua Christus seipsum pro nobis sanctificavit, esse, ut nos simus sancti & irreprehensibiles, Eph. 1. v. 4. ac nos totos Deo consecremus. 2. Cor. 7, 1. *Habentes ergo has promissiones mundemus nos ab omni inquinamento carnis & sanguinis perficientes sanctificationem in timore Dei.* 1. Joh. 3, 3. *Omni qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.* Ap. 12. v. 11. *Qui sanctus est, sanctificetur ad hoc.* Christus enim nequaquam ideo seipsum pro nobis sanctificavit, ut in voluntaria immunditie maneamus, alieni à sanctificatione Spiritus, sed ut ipsi quoque simus sanctificati & quidem in veritate, id est, non simulata & hypocritica sed vera & sincera sanctitate. Obluit seipsum Deo in sacrificium, ut nos faceret coram Deo *Sacerdotes spirituales*, Apoc. 1, v. 6. *exhibentes corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, Rom. 12. v. 1. *ac per ipsum offerentes hostiam laudis Deo semper, hoc est, fructum laborum consentium nomini ejus*, Heb. 13. v. 15. ut tota nostra vita sit sacrificium Deo gratum & acceptum per Christum, 1. Pet. 2. v. 5. *Cyrrill. lib. 11. cap. 25. Pro nostris peccatis unigenitus Dei Filius homo factus, ut sacram hostiam in odorem suavitatis Deo Patri seipsum obtulit, ut, cum è medio ablatum sit, quod à Deo nos separat, id est, peccatum, nihil nobis impedimento sit, quin, si voluerimus, Deo adhareamus, ac participatione ipsius per Spiritum sanctum fruamur, reformantes nos ad justitiam, ad sanctificationem & ad imaginem primam.*

Qui te secrasti pro me sanctissimus ipse, Sanctifica verbo me, bone Christe, tuo.

Pericope tertia.

- v. 20. Οὐ περὶ τῶν δεῦρον μόνον, ἀλλὰ περὶ τῶν πιστευόντων ἴσα τὰ λόγια αὐτῶν εἰς ἐμέ.
21. Ἴνα πάντες ἐν ᾧσι, καθὼς σὺ πάτερ ἐν ἐμοὶ, καὶ γὰρ ἐν σοὶ, ἴνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἐν ᾧσιν ἴνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σὺ με ἀπέστειλας.
22. Καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν, ἣν δέδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς ἴνα ᾧσιν ἐν, καθὼς ἡμεῖς ἐν ἐσμέν.
23. Ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοὶ, ἴνα ᾧσι τετελεσμένοι εἰς ἐν, καὶ ἴνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σὺ με ἀπέστειλας, καὶ ἠγάπησας αὐτοὺς, καθὼς ἐμέ ἠγάπησας.
24. Πάτερ, ὡς δέδωκάς μοι, θέλω, ἴνα ᾧσιν ἐμοὶ ἐγὼ, καὶ κένοι ᾧσι μετ' ἐμῶν ἴνα θεωροῦσι τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, ἣν ἐδωκάς μοι, ὅτι ἠγάπησας με πρὸ καταβολῆς κόσμου.
25. Πάτερ δικαίε, καὶ ὁ κόσμος σε οὐκ ἔγνω, ἐγὼ δέ σε ἔγνω, καὶ ἔτοι ἐγνώσαν, ὅτι σὺ με ἀπέστειλας.
26. Καὶ ἐγνώρισά αὐτοῖς τὸ ὄνομά σε, καὶ γνωρίσω ἴνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησας με, ἐν αὐτοῖς ἦ, καὶ γὰρ ἐν αὐτοῖς.

- v. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.
21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quod tu me miseris.
22. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.
23. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus, quod tu me misisti & dilexisti eos, sicut me dilexisti.
24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum.
25. Pater iuste, & mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & ii cognoverunt, quod tu me miseris.
26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Exegesis hujus Pericopes.

DE Davide, Israelis & Judæ Rege, memoratur, quod morti jam vicinus non solum pro Salomone filio, puero adhuc tenero, quem regni sui successorem constituerat, ac quomodo in administratione ejus sese gerere debeat, sufficienter instruxerat, 1. Reg. 1. vers. 30. cap. 2. v. 3. 1. Paral. 22. vers. 11. cap. 23. vers. 1. cap. 28. vers. 9. ardentissimas ad Deum preces fuderit, ut daret ei cor perfectum ad custodiendum mandata ac testimonia Dei, & ad edificandum templum, cujus impensas paraverat, 1. Paral. 29. vers. 19. sed etiam precibus hisce suis totum populum Israeliticum complexus fuerit, ut Deus in aeternum hanc voluntatem cordis eorum, qua impensas ad templi structuram necessarias sponte & largiter obtulerant, custodiret, & eorum ad se dirigeret, v. 18. De Christo Davidis filio & antitypo, Davidi peculiariter promisso, ex ipsius lumbis descendente & Davidis nomine vocato, Pfalm. 132. vers. 20. Esa. 37. versic. 35. Jerem. 30. vers. 9. cap. 33. vers. 22. Ezech. 34. vers. 23. cap. 37. vers. 24. Of. 3. vers. 5. percepimus hactenus, quod ipse quoque morti jam vicinus, dilectos suos Apostolos, quos filios vocat, Johann. 13. vers. 33. ac quibus spiritualis sui regni Ecclesie scilicet gubernationem ac ministerium Apostolatus commiserat, de omnibus necessariis in conicione sua valedictoria instruxerat, Johann. 15. vers. 15. ac pro iisdem ardentissimas preces Patri suo cœlesti obtulerit, ut servaret eos in nomine suo, ac sanctificaret in veritate, atque hac ratione eos idoneos redderet, per quos spirituale & mysticum templum, cujus impensas Christus jam antè paraverat, per Evangelii prædicationem in cordibus credentium extrueretur. In hac tertia, eademque ultima pericope audiemus, quod Christus non solum pro Apostolico Collegio, sed etiam pro uni-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

verso verè fidelium cœtu, pro tota Ecclesia, oraverit, ut per fidei unitatem in templum spirituale & unum corpus mysticum coalescerent, ac cor in hac vita ad Deum perpetuò directum haberent, tandem etiam post hanc vitam in gloriam cœlestem & individuum sui consortium translati, æternum Dei gloriose ipsos inhabitantis tabernaculum manerent, Apocal. 21. vers. 3. cujus cœlestis templi non minus ac Spiritualis in templo Hierosolymitano propositus fuit typus. Partes hujus pericopes tres sunt: In prima exponit Christus precum suarum objectum, pro quibus scilicet petat; in secunda materiam, quid scilicet illis precetur; in tertia rationes, propter quas illorum in precibus suis curam agat, easdemque preces suas à Patre cœlesti exaudiri justum sit.

1. Objectum precum exponitur in his verbis: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Quidam volunt hanc postremam orationis partem non esse novam quandam additionem, sed duntaxat declarationem, qua Christus significare voluerit, ea, quæ precatus fuerat hactenus, non pro solis Apostolis, sed pro omnibus verè fidelibus se precatum fuisse. Sed rectius dicitur, Christum in secunda pericopes hujus parte propriè ac principaliter pro Solis Apostolis orasse, atque hic demum orationem ac preces suas generaliter extendere ad omnes per verbum Apostolorum credituros. Multa enim in secunda illa parte adducuntur, quæ propriè & principaliter solis Apostolis conveniunt, utpote quòd Pater ipsos Christo per æternam electionem & temporalem vocationem dederit ad munus Apostolicum informandos; quod Christus, quamdiu cum illis fuerat

D d d d d d 2

fuerat hæcenus, eos servavit in nomine Patris, atque ita custodierit, ut nemo ex illis periret, nisi filius perditionis; quod ad Evangelium in toto mundo prædicandum fuerint à Christo ablegati; quod sint in veritate sanctificandi per visibilem Spiritus sancti effusionem, ita ut in doctrina sint infallibiles & immediatam habeant Spiritus sancti assistentiam &c. Adde, quod si Christo animus fuisset duntaxat declarare, quod ea, quæ hæcenus pro Apostolis petiit, pro omnibus fidelibus petiisse intelligendus sit, contentior fuisset solius objecti mentione, nec novam petitionis suæ materiam determinasset. Testatur etiam collatio partis tertiæ cum secunda multa hic repeti, quæ in præcedentibus de Apostolis fuere dicta, quæ repetitione minimè fuisset opus, si pars tertia esset tantum quædam secunda partis extensio. Quod ergo dicit, *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me*, hunc habet sensum. Ego pro Apostolis meis oravi hæcenus, ut in tuo nomine, mi Pater cœlestis, ferventur & in veritate custodiantur, quia verò non Apostolorum tantum, sed omnium verè fidelium Salvator sum, ideò jam porro etiam pro illis rogo, qui per verbum Apostolorum sunt in me credituri. Apostoli mei futuri sunt seminarium Ecclesiæ & universales Evangelii præcones, per quorum ministerium multi ex Judæis & gentibus ad fidem perducentur, illorum salutem itidem tibi commendo & preces hæcenas meas pro illis offero. Dixerat in conclusione secunda partis: *Ego me ipsum sanctifico pro eis, ut sint etiam ipsi sanctificati in veritate*. Hoc ne quis eo sensu accipiat, quasi pro solis Apostolis in ara crucis seipsum in victimam Deo oblaturus sit, ideò (monente in hunc locum Theophylacto) addit, se non tantum pro Apostolis, sed etiam pro omnibus omnino temporum & locorum fidelibus, adeoque per tota Ecclesiæ Catholica precari, ac pro omnibus omnino hominibus seipsum quidem hostiam Deo offerre, interim tamen solos fideles sacrificii illius fructum percipere, pro quibus etiam solis specialiter hic oret, ut sacrificii sui fructum Pater cœlestis illis applicet. Pro quibus enim Christus specialiter orat, pro illis etiam seipsum sanctificat & beneficiorum passioe & morte suâ partorum eosdem participes reddit. Pro Apostolis, tanquam futuris spiritualis templi architectis & primis Ecclesiæ inter gentes fundatoribus, pluribus explicitè oravit, pro reliquis fidelibus per sermonem Apostolorum credituris verbis brevioribus orat, suo docens exemplo, quod frequentiores & ardentiores debeant fieri preces pro illis, qui in sublimitate vel Ecclesiastici vel politici officii constituti, quam pro communi fidelium cœtu, 1. Timoth. 2. v. 1. & seqq. Dixerat Christus & aliquoties repetierat, *mundum Apostolos odio habiturum & persecuturum*, Johann. 15. vers. 18. & seqq. cap. 16. vers. 2. & 22. cap. 17. vers. 16. jam igitur ad consolationem non solum totius Ecclesiæ fidelium, sed ipsorum etiam Apostolorum subjungit, se rogare pro credituris per sermonem Apostolorum, ut ex eo intelligant, mundum suis odiis & persecutionibus prohibere haudquaquam valiturum, quò minus multos per prædicationem Evangelii convertant & regnum Christi in toto mundo propagant, quæ Chryostomi in hunc locum est observatio. Expendenda verò sunt singula verba,

quæ valde sunt emphatica. *Non pro eis tantum*, hoc est, dilectis meis Apostolis rogo, pro quibus hæcenus preces tibi obtuli. *Ἐπεὶ τῶν* respectum habet ad vers. 9. *Ego rogo, Ἐπεὶ αὐτῶν*, id est, *Ἐπεὶ αὐτῶν*, quo sensu etiam hoc loco particula *Ἐπεὶ* usurpatur. Sed insuper etiam rogo pro iis, qui credituri sunt per sermonem Apostolorum in me. Complutensis & alii Codd. antiqui legunt in præsentibus *Ἐπεὶ τῶν πιστευόντων*, quo modo etiam Parisiensium exemplaria & Syriaca paraphrasis legunt. Sed probatior Codices pro præsentibus temporis participio *πιστευόντων* legunt participium futuri temporis *πιστεύοντων*, suffragante non solum editione Latinâ, sed etiam Græcis ac Latinis Interpretibus plerisque omnibus, qui si non legerunt, intellexerunt tamen futurum. Observandum igitur 1. quod Christus non dicat, se pro omnibus omnino hominibus orare sive credant sive non credant, sed tantum pro credituris. Quamvis enim sit totius humani generis Redemptor ac totius mundi Salvator ratione meriti & acquisitionis, tamen soli verè credentes fructum redemptionis percipiunt & salutis participes redduntur, unde ratione efficacie & applicationis crediturum duntaxat est Salvator, Matth. 1. vers. 21. 1. Tim. 4. vers. 10. quæ etiam causa est, quod in specialibus hæc precibus tantum pro credituris orare voluerit. 2. Quod non dicat, se orare pro illis, qui crediderunt, sed pro credituris. Augustin. tract. 109. in Johann. operose quærit, an per verbum futuri temporis excludatur ab his precibus, qui jam tum per verbum Christi & Apostolorum credebant, cum preces hæcenas recitaret. *Potest* (inquit) *videri Jesus in hac oratione non orasse pro quibusdam suis, nisi diligenter scrutemur in eadem oratione verba ejus. Si enim pro eis prius oravit, qui cum illo tunc erant, postea verò etiam pro eis, qui per verbum eorum in illum fuerant credituri, potest dici non orasse pro illis, qui neque tunc erant cum illo, quando ista dicebat, neque per verbum eorum postea, sed in eum sive per ipsos, sive quomodolibet, tamen antè crediderant.* Exempli loco adducit Nathanaëlem, Johann. 1. vers. 50. Josephum Arimathæum, Johann. 19. vers. 38. Mariam matrem Domini & alias religiosas foeminas Christi discipulas, Luc. 8. vers. 2. multitudinem, qua cum ramis palmarum ipsum ut Messiam exceperat, Johann. 12. vers. 12. pueros in templo Holianna acclamantes, Matth. 21. vers. 15. quingentos fratres, quibus post resurrectionem apparuit, 1. Corinth. 15. vers. 6. centum & viginti discipulos cum Apostolis post Christi ascensionem in cœnaculo conjunctos, Actor. 1. vers. 15. ac responsionis loco subjicit. *Intelligendum est, quod illi nondum in eum sic crediderunt, quomodo in se credi ipse volebat &c. Nihil itaque melius credimus, quam post ejus resurrectionem impertio Spiritum sancto edoctis & confirmatis Apostolis, eis que in Ecclesiâ primitus, doctoribus constitutis per eorum verbum sic alios credidisse, quemadmodum in Christum credi oportebat, hoc est, ut fidem resurrectionis ejus tenerent. Ac per hoc & illos omnes, qui jam in eum credidisse videbantur, ad eorum numerum pertinuisse, pro quibus oravit dicens: Non pro his autem rogo tantum sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Dionysius eodem ferè modo respondet, *Christum ideò tantum pro credituris orare, quia fides Mariae, Johanne, Marthe &c. in passione defecerit, ac postea per verbum fide*

Apostolorum

Apostolis commissum quasi iterum credere caperunt. Alii respondent, Christum pro omnibus tam in presenti creditibus quam in futuro credituris orasse, à majori autem parte denominationem objecti peti. Simplicissime respondetur, participium futuri temporis includere etiam tempus praesens, cum futurum juxta idiotismum Hebraeorum quandoque ponatur pro praesenti, Psalm. 3. v. 7. Psal. 22. v. 3. Psal. 25. v. 1. Psal. 31. v. 6. &c. ac Scripturae consuetudo sit, ut saepe differentiam aliquam temporis usurpet, quo per mansionem quandam & durationem rei, quam narrat, in illa eadem temporis duratione significet. Exemplum manifestum, quod proprie huc pertinet, extat 1. Tim. 1. v. 16. *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Jesus, omnem magis ὁμοίαν ad informationem τῶν μελλόντων πιστεύειν, id est, tam credentium quam crediturorum.*

3. Quod simpliciter & sine exceptione dicat se orare pro credituris. Non dicit rogo pro his, qui ex Judaeis in me credituri, ne quis putet exclusos esse eos, qui ex gentilibus ad Christum fuere conversi. Matth. 15. v. 24. dicit, *se non esse missum nisi ad perditas oves domus Israel*, hic verò dicit se rogare pro omnibus credituris, inter quos etiam sunt conversi ex gentilibus. Ergo haec Christi preces latius patent, quam Christi ministerium praedicationis in propria persona à Christo inter Judaeos gestum. Non dicit rogo pro his, qui divitias suas propter confessionem Evangelii deferunt, ne quis putet exclusos esse eos, qui facultates suas extra persecutionis tempus quietè possident ac verè interim credunt. Non dicit rogo pro his, qui sanguinè suum pro me profundunt, ne quis putet, pro solis Martyribus ipsum rogare. Non dicit rogo pro his, qui multos ad fidem adducunt, ne quis putet pro solis doctoribus ipsum rogare, sed simpliciter dicit, *rogo pro credituris*. Jam verò per verbum Evangelii praedicationem, lectum, auditum, meditatam virtute Spiritus sancti omnes possunt credere, sive natura sint Judaei vel gentiles, sive conditione vitae sint pauperes, vel divites; sive sint servi vel liberi; sive sint viri vel mulieres; sive sint docti, vel indocti; sive sint pueri vel senes. Neminem igitur absoluto quodam odio ab his precibus excludit, nisi quis spontaneè incredulitate seipsum excludat. 4. Quod non dicat, rogo pro his, qui per Apostolos vel per praedicationem Apostolorum credunt, sed dicit, *rogo pro his, qui per sermonem Apostolorum sunt credituri*, ne quis putet, ipsum pro illis tantum rogare, quos Apostoli viva voce converterunt. Quidam putant, Christum rogasse hic orasse pro illis, qui Apostolos viva voce praedicantes audiverunt, *δευτέρας* & consequenter tantum pro illis, qui post Apostolorum ex his terris excessum ad fidem sunt conversi, sed Christus simpliciter dicit, *se rogare pro illis, qui per sermonem Apostolorum*, id est, per doctrinam Evangelii ab Apostolis praedicatam & in Scripturis postea ab ipsis redactam sunt credituri. Aequaliter ergo orat pro universis omnium temporum & locorum credentibus, sive Apostolos viva voce docentes audierint, sive per doctrinam Apostolorum in sacris literis comprehensam ad fidem perducti fuerint. Vocat enim Evangelium *sermonem Apostolorum* eo sensu, quo Paulus illud vocat *suum Evangelium*, Rom. 2. v. 16. ac David *sonum Apostolorum*, Psalm. 19. vers. 5. Rom. 10. v. 18. videlicet, non ratione *causae* Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

efficientis principalis, quasi ab illis sit inventum & excogitatum, sed ratione *causae ministerialis*, quia ab ipsis praedicatum & in Scripturas Nov. Testam. primitus fuit redactum. Iren. l. 3. adv. haes. cap. 1. *Non per alias dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praenoverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis emiserunt fundamentum & columnam fidei nostrae futurum.* Atque ex hoc fundamento responderi potest ad quaestionem, an etiam Christus hic oraverit pro Apostolo Paulo, qui se non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum dicit esse factum Apostolum, Galat. 1. versic. 1. *sequens non ab homine Evangelium accepisse ac didicisse, sed per revelationem Jesu Christi versic. 12.* Item an oraverit pro latrone in cruce, qui tunc creditur, quando in ipsis doctoribus fides, quae fuerat qualiscunque, defecit, Luc. 23. versic. 40. Movet hanc quaestionem Augustin. dicto loco & ad eam respondet hoc modo: *Per verbum Apostolorum verbum fidei, quod praedixerunt in mundo, hic significatum esse credamus, dictum autem esse verbum eorum, quoniam ab ipsis est primitus ac praecipue praedicatum, jam enim ab ipsis praedebatur in terra, quando per revelationem Jesu Christi verbum eorum Paulus accepit, unde & contulit cum eis Evangelium & dextras ei dederunt, quia in illo, quamvis non per eos illi datum, tamen verbum suum quod jam praedebant, & in quo fundati fuerant, invenerunt &c.* Ac per hoc etiam ille latro in sua fide verbum eorum habebat, quod eorum propterea dictum erat, quoniam praedicandum ad eorum officium primitus ac praecipue pertinebat. 5. Quod non simpliciter dicat, rogo pro his, qui credituri sunt, sed qui in me credituri sunt. Exprimit ergo proprium & adequatum fidei justificantis objectum, quod est Christus in officio suo Mediatorio, cujus beneficia in verbo Evangelii fides amplectitur, eademque sibi applicat. Docet insuper non quamlibet fidem esse justificantem & salvificam, sed eam duntaxat, quae in Christo verè fiducia recumbit, ipsique unice inhaeret. Colligitur autem ex hoc loco, 1. Christum esse verum Deum, utpote omniscium, qui in luce divinae suae omniscientiae omnes per verbum Apostolorum ex Judaeis & gentibus ad finem usque mundi convertendos distinctè & perfectè, ac si coram praesentibus astarent, intuetur & pro illis orat. 2. Quantum benignissimo huic Salvatore nostro debeamus, qui pro nobis nondum existentibus oravit ac pro nostra salute tam sollicitus fuit, ut beneficia caelestia non solum nobis promeretur, sed etiam per preces suas nobis ea applicaret. 3. Summam in eo nobis proponi consolationem contra omnis generis tentationes & in cordibus nostris orientes dubitationes, quod veracissimo ipsius Christi ore Apostolis in hisce precibus jungimur ac eorundem & nostra salus uni quasi fasciculo includuntur. Si per verbum Evangelii in Christum credis, certus esse potes, quod Christus etiam pro te oraverit, quodque sis in numero electorum, qui perire non poterunt. Christus enim est *liber ille vitae*, in quo electi ab aeterno scripti, hic vitae liber in precibus hisce Christi aperitur & manifestè conspicitur, inscriptos illi esse omnes, quotquot verè & perseverante fide credunt. Si certus es, quod Christus hic pro te oraverit, certus etiam esse potes, quod sis apud Deum in gratia, orante enim.

D d d d d d 3 Chri

Christo Pater exaudit, Johann. 11. versic. 42. cum hac exauditione gratia, iustitia, donatio Spiritus sancti & vita æterna est conjuncta. Neque tamen hoc trahendum est ad absolutum electionis decretum, contra quod Remonstrantes in Collat. Hagienf. pag. 435. sic disserunt. *Christus nusquam oravit absolutam perseverantiam fidelium in fide, imò judicamus contra, si Deus tam absolutam & inevitabilem fidelium perseverantiam statuisset, positos fuisse illos extra omne defensionis periculum, & Christum tam sollicitè non fuisse oraturum, ut perseverarent.* 4. Quædam Apostolos habuisse propria, quædam verò cum Ecclesiâ ministris & reliquis fidelibus communia. Si nihil haberent proprium, Christus post suas pro Apostolis preces non oraret peculiariter pro credentibus. 5. Electorum proprium adjunctum esse veram & perseverantem in Christum fidem, ac veram Ecclesiam non esse cœtum eorum, qui Ecclesiâ nomine gloriantur atque interim doctrinam Apostolorum in scriptis ipsorum propositam repudiant & hæreseos damnant. Sed eorum, qui verbo ab Apostolis vivâ voce prædicato, postea Dei voluntate in Scripturas redacta fidem adhibent. 6. Ecclesiam alligari non ad decreta Conciliorum, vel pectoris Papalis scrinium, vel dicta veterum Doctorum, sed ad sermonem Christi & Apostolorum, Joh. 8. v. 31. c. 10, 27. Gal. 1, 8. 7. Verbum Evangelii ab Apostolis prædicatum & in scriptis eorum Ecclesiâ relictum esse salutare medium, per quod Deus fidem in cordibus hominum operatur, Rom. 1, 16. c. 10. v. 17. 1. Cor. 3, 5. Heb. 4, 12. Opponendum hoc est illis, qui verbi ministerium contemnunt ac nihil nisi Spiritum & verbum internum crepant. Fides est donum maxime spirituale & internum, & tamen Christus dicit per sermonem Apostolorum fidem accendi. 8. Quemlibet beneficia passione & morte Christi parta fide in specie sibi applicare debere, cum fructus sacrificii Christi nullis nisi credentibus obtingat. Hoc ipsum docet Christus, quando precibus hiscè sacrificii sui fructum credentibus applicat. 9. Veram fidem esse eam, quæ in Christi merito unice recumbit & per sermonem Apostolorum à Spiritu sancto excitatur. Gloriantur de fide Judei, Turcæ & omnes hæretici, sed ea demum vera & salvifica est fides, quæ est in Christum, & quam doctrina Apostolica virtute Spiritus sancti in cordibus efficit, per quam totam hujus orationis Christi participes reddimur.

2. Postquam Christus objectum suarum precum denominaverat, pro quibus scilicet precari velit, jam eorundem materiam subjungit, quid scilicet credituris per Apostolorum sermonem precetur. Duo verò sunt, quæ ipsi à Patre cœlesti dari petit. 1. *Gratiam in hac vita, ut omnes sint in Deo unum, i. e. ut fidei & caritatis unitate tanquam membra unius corporis mystici, cujus caput est Christus, inter se devincti per fidem Christo adhæreant, & per Spiritum caritatis sibi invicem serviant.* 2. *Gloriam in futura vita, ut post exactum in his terris vitæ suæ cursum transferantur in cœlum, ibique conspectu gloriæ Christi, in quem crediderunt, in æternum perfuantur.* De priore beneficio agit eo modo, ut 1. illud denominet, 2. amplifcet. Denominatio continetur in v. 21. *Rogo pro credituris in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quod me miseris.* In hac prioris beneficii denominatione explicat Christus

1. unitatis modum, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te. De hoc unitatis modo superius in expositione v. 11. prolixè egimus, ibidemque ostendimus, Christum precari Apostolis & omnibus in se credituris tum unitatem fidei & doctrine, quæ ratione vocula *in* accipienda eideus, tum unitatem caritatis & vitæ, quæ ratione vocula *in* accipienda *et* eideus; nec petere quamvis unitatem, sed spiritualem, summam & ardentissimam, constantem & indivisam, sanctam & sinceram, ac tandem etiam ordinatam. Ibidem docuimus, quomodo occurrendum sit Arianis, qui ex his verbis evincere voluerunt, in Patre & Filio non esse unitatem essentiae, sed tantum voluntatis & concordie, quæ omnia hoc loco sunt repetenda, cum eandem unitatem (servato tamen graduum discrimine) omnibus in se credituris Christus precetur, quam Apostolis superius fuerat precatus. Quædam tamen peculiariter hic occurrunt, quæ breviter notabimus. Christus de Apostolis superius dixerat. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut nos, hoc loco de reliquis fidelibus dicit, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Hoc pii veteres singulari consilio factum statuunt, ut unitas piorum spiritualis, quæ non solum cum Deo sed etiam inter se invicem per Spiritus communicationem unum sunt, ab unitate essentiali, quæ in Patre & Filio est per naturæ indentitatem distingatur. Athanas. orat. 4. contra Arian. *Non est dictum ut sint in te unum, sicut ego in te unum sum, sed sint unum in nobis, sicut ego in te & tu in me, ut ostenderetur, quod Pater & Filius sint unum per naturam, nostra autem unio sit per gratiam.* Ambros. lib. 4. de fide c. 2. *Confidem, quod non dixit Christus: Tu in nobis & nos in te, sed tu in me & ego in te, ut se à creaturis separaret, & addidit, & illi in nobis, ut etiam hic suam potentiam & Patris à nobis fecerneret, ut quod nos in Patre & Filio unum sumus, non naturæ videatur esse sed gratiæ; quod autem Filius & Pater unum sunt, non hoc Filius accepisset per gratiam, sed naturaliter ut Filius possidere credatur.* August. tract. 110. in Joh. *Diligenter advertendum est, non dixisse Dominum, ut omnes unum simus, sed ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, subintelligitur, unum sumus, quod apertius dicitur postea, quia & prius dixerat de discipulis, qui cum illo erant, ut sint unum sicut & nos. Quamobrem ita est in Filio & Filium in Patre, ut unum sint, quia unius substantia sunt. Nos verò esse quidem in eis possumus, unum tamen cum eis esse non possumus, quia unius substantia nos & ipsi non sumus, in quantum Filius cum Patre Deus est. Nam in quantum homo est, ejusdem substantia est, cujus & nos sumus. Sed nunc illud potius voluit commendare, quod alio loco ait: Ego & Pater unum sumus, ubi eandem Patris & suam significavit esse naturam. Ac per hoc & cum in nobis sunt Pater & Filius, vel etiam Spiritus sanctus, non debemus putare, eos unius nobiscum esse naturæ. Sic itaq; sunt in nobis vel nos in illis, ut illi unam sint in natura sua, nos unum in nostra. Sunt quippe ipsi in nobis, tanquam Deus in templo suo, sumus autem nos in illo, tanquam creatura in creatore suo. Nimirum Christo propositum fuit utrumq; docere, tum qualem unitatem credentibus precetur, videlicet spiritualem & divinam, quæ est ex Deo & in Deo & ad Deum unice dirigitur, quæ consistit in communione unius Spiritus, quæ fideles per Spiritum sanctum Christo & per Christum etiam Patri conjungit, quæ credentes sunt unum corpus mysticum, Christo capiti suo incorporati & tanquam membra inter se invicem unum quodammodo facti; tum quod u-*

nitas

nitas illa credentium, archissima licet sit ac suo modo divina, tamen à Patris & Filii unitate toto genere sit distincta, idèd cùm dixisset, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te*, statim subiicit, *ut & ipsi in nobis unum sint*, id est, in Deo per Spiritum, fidem & caritatem, sicut nos unum sumus in nobis per numero eandem divinæ essentia unitatem. Dionys. in h. l. *Ut sint in nobis unum non per consubstantialitatem ut ego & tu, sed per caritatem & gratiam, & ut media uniantur in sine: Tu es in me, ut in naturali imagine, in carissimo & unico filio, in Verbo tuo tibi consubstantiali, aequali & coeterno. Et ego in te, in sinu tuo, in corde paterno, in super splendidissimo fonte &c.* Quidam $\pi\pi\sigma\sigma\delta\iota\sigma\sigma\mu\delta$ in nobis exponunt nostro exemplo, sicut hæc phrasus usurpatur, 1. Corinth. 4. versic. 6. *ut in nobis, id est, nostro exemplo discatis adversus alterum non instari*, in quam sententiam etiam Athanasius orat. 4. Contra Arianos propendit, quæ robor accipere potest ex eo, quod Christus hoc loco dicit, *ut sint unum in nobis*, cùm superius dixisset, *ut sint unum sicut nos*, v. 11. Quidam in nobis volunt esse idem, quod per nos, virtute nostra, per nostram gratiam, quia suâ virtute ad spirituales illam unitatem aspirare non possunt, Pl. 18, 30. *In te aggrediar exercitum*, id est, per tuam virtutem. Pl. 44, 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. August. tract. 110. in Joh. *Idèd addidit, quod dixit in nobis, ut quod unum efficiamur fidelissima caritate, gratia Dei noverimus retribuendam esse non nobis, sicut Apostolus, cùm dixisset, fuisitis aliquando tenebræ, nunc autè lux, ne sibi hoc tribuerent, adiecit in Domino.* Quidam volunt Christû rationem petitionis suæ afferre à Deo unitate. Quia nos unum sumus, idèd etiam ipsi debent inter se esse unum. Hæc rectè quidem dicuntur, interim Christus præcipue hoc intendit, ut doceat, qualem unitatem fidelibus precetur, videlicet quâ non solum inter se per veram animorum conjunctionem sint uniti, sed quæ etiam in Deo unum sint, idem cum Deo & in Deo sentientes, per fidem ipsi Deo uniti & in ipso manentes, 1. Johann. 1. vers. 3, cap. 4. v. 13. *ut unum sint in una & vera veri Dei agnitione*, in una doctrina, fide & confessione, ut caritas & concordia, qua inter se invicem devinciuntur ex fidei unitate & veritate originem trahunt, ut sint unus cum Deo Spiritus per gratiæ participationem & Spiritus sancti inhabitationem, 1. Cor. 6, 17. &c. unde Hilarius lib. 8. de Trinit. dicit, per hæc verba posteriora, *ut & ipsi in nobis unum sint*, profectum fieri unitatis. Sic ergo Christus se & Patrem proponit non solum in spiritualis unitatis exemplum (cùm juxta Nazianzenum unitatis bonum à Trinitate originem trahat, *cujus nihil tam proprium est quàm unitas natura & voluntatis consensio*) sed etiam obiectum, ac ut sano sensu ita loqui liceat terminum $\epsilon\pi\sigma\tau\omicron\iota\epsilon\nu$, cum pios non solum inter se invicem per mutuam caritatem, sed etiam in Patre & se Filio fidei ac Spiritus unitate unum fieri velit. Nec tamen dicit, ut sint unum nobiscum, sed *unum in nobis*, cùm Deus & homo non ita conveniant in aliquo uno, ut illud utrisque sit essentialiter commune, sed Deus sui ipsius communicatione & inhabitatione gratiosâ nos sibi unit vel quod idem est, Spiritus sanctus est unitas illa, quâ unum in Deo efficiamur. Nec dicit, ut unus eorum sit in altero, sicut tu Pater in me & ego in te, sed *ut sint unum in nobis*, quia ad essentialem illam $\omega\epsilon\chi\omega\alpha\rho\eta\sigma\iota\omega$ & $\delta\mu\omega\sigma\iota\omega\nu$, quæ hac phrasâ exprimitur, quod Pater sit in Filio & Filius in Patre,

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

credentes assurgere non possunt, sed ita sunt in Deo unum, ut tamen non sint ipse Deus, quia ita sunt in Deo unum, ut consentiant in doctrina & fide, quæ est de Deo & erga Deum, atq; uno Spiritu regantur. Chrysof. homil. 81. in Joh. *Quid est in nobis, in fide in nos.* De $\tau\omega$ $\omega\omega\sigma$ spiritualis illius piorum in Deo unitatis in vitæ hujus infirmitate pluribus differere non possumus, sed mysterium hoc reverenter adoramus & unitatis hujus participes fieri optamus. Quæ verò doctrinæ, consolationes & exhortationes ex spirituali illa unitate peti possunt, superius fuit expositum, hoc loco illud duntaxat monemus, 1. Quod Christus non solum pro Apostolorum unitate in vers. 11. sed etiam pro omnium verè fidelium unitate hoc loco precari voluerit, eo ipso ostendens, non ab Apostolis solum & aliis Ecclesiæ doctoribus, sed etiam ab omnibus verè piis & fidelibus spiritualem illam unitatem requiri, ut sint unum in doctrina & fide, ut ex omnibus populis una Ecclesia colligatur, quæ sit unum corpus mylticum, ut sint unum per caritatem, in uno Spiritu & uno pietatis studio, ut ad Ecclesiæ & proximi utilitatem dona à Deo accepta singuli conferant: *Sint unum, credant unum, fateantur & unum, inque Deo sit mens una, sit unus amor.* 2. Quod Christus spiritualem illam fidelium unitatem non solum requirat, sed etiam media ejus benignissimè ipsis suppediet. Ut enim cum ipso uniamur, acceperit à nobis carnem nostram & vicissim in sacra cœna exhibet nobis suum corpus & sanguinem. Ut autem cum Deo Patre uniamur, donat nobis Spiritum sanctum, per quem *divine nature consortes* efficiamur, 2. Pet. 1. v. 4. 1. Joh. 4. v. 13. &c. 3. Quod fundamentum & meritum spiritualis illius unitatis sit Christus Mediator, unde Christus h. l. orat *ut omnes sint unum sicut tu Pater in me & ego in te*, ut & ipsi in nobis unum sint, meo scilicet, utpote Mediatoris conluti beneficio & merito, qui ut verus Deus tecum unum sum & ut verus homo cum ipsis unum fieri volui, ut etiam ipsi in nobis unum fieri possent. Per fidem jungimur Christo, per Christum Patri mediante efficaci Spiritus sancti operatione. Deus Pater est quasi radix. Christus Mediator est quasi stipes. Spiritus sanctus est quasi succus vivificus, credentes sunt rami per fidem vivificum succum attrahentes, bona opera sunt fidei & Spiritus fructus. 4. Quod verus Christianismus, definiente ipso met Christo, duabus hisce partibus absolvatur, ut simus unum cum Deo per fidem & cum proximo per caritatem. Ignat. Ep. 7. $\tau\omicron$ \omicron $\lambda\omicron\nu\omicron$ η $\pi\iota\sigma\iota\varsigma$ η $\epsilon\iota\varsigma$ $\tau\omicron\nu$ $\delta\epsilon\omicron\nu$ η $\alpha\gamma\alpha\pi\eta$ $\pi\alpha\rho\iota\varsigma$ $\tau\omicron$ $\delta\iota\omicron$ $\theta\epsilon\omicron$ ν . 5. Quod duo sint præcipua Ecclesiæ *κειμηλια* ardentissimis hisce Christi precibus quasi Testamentaria dispositione ei quàm diligentissimè commendata, videl. $\delta\theta\theta\omicron\delta\omicron\zeta\iota\alpha$ & $\delta\mu\omega\sigma\iota\omega\iota\alpha$, doctrinæ cœlestis puritas & salutaris concordia tranquillitas, quarum una sine altera conservari non potest, Zach. 8, 19. Ultramque igitur nobis patiamur esse comendatissimam, si genuini Christi discipuli esse & haberi cupimus.

2. Unitatis finem vel eventum, ut credat mundus, quod tu me miseris. 1. August. statuit ex v. præced. $\delta\epsilon\tau\omicron$ $\kappa\omicron\iota\nu\iota\varsigma$ repetendum esse verbû *rogo*, cùm ipse mundus ad unitatem illâ pertineat, per quam mundum ad fidem perduci Christus hic rogat. *Quid est*, inquit tract. 110. in Joh. *ut omnes unum sint, ut mundus credat? Ipsi quippe omnes, mundus est credens.* Neque enim alii sunt qui unum erant, & alius est mundus propterea crediturus, quia

D d d d d d 4

illi

illi unum erunt, cum procul dubio de his dicat, ut omnes unum sint, de quibus dixerat, non pro his tantum rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, continud subjungens, ut omnes unum sint. Isti autem omnes quideſt, niſi mundus, non hoſtilis utique, ſed fidelis. Nam ecce qui dixerat, non pro mundo rogo, pro mundo rogat, ut credat. Quoniam eſt mundus, de quo ſcriptum eſt, ne cum hoc mundo damnerur, pro iſto mundo non rogat, neque enim quod ſic predeſtinatus, ignorat. Et eſt mundus, de quo ſcriptum eſt. Non enim venit Filius hominis, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum, unde & Apoſtolus, Deus, inquit, erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Pro iſto mundo rogat, dicens, ut mundus credat, quia tu me miſiſti. Per hanc enim fidem mundus reconciliatur Deo, cum credit in Chriſtum, qui miſſus eſt à Deo. Quomodo ergo intellecturi ſumus, quod ait, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia illi unum ſunt, tanquam ideo credat, quod eos eſſe unum, videt, cum ipſe mundus ſint omnes, qui credendo unum ſunt? Sed orando dixit, ut mundus credat, ſicut orando dixit, ut omnes unum ſiant. Orando dixit, ut & ipſi in nobis unum ſint. Hoc eſt enim, omnes unum ſint, quod eſt, mundus credat, quoniam credendo unum ſunt. Denique ſi verbum quod ait, rogo, tertio ſubaudiamus, vel potius quod plenius fiat, ubique ponamus, erit huius expoſitio ſententiæ maniſeſtior. Rogo ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te; rogo ut & ipſi in nobis unum ſint; rogo ut mundus credat, quia tu me miſiſti. Sed verbum rogo denuò repetere perquam durum videtur & à ſimplicitate textus quodammodo diſcedere. 2. Quidam ergo nomine mundi intelligunt itidem verè credentes in mundo & electos de mundo, ſed negant neceſſarium eſſe, ut verbum rogo ex præcedentibus repetatur. Quanquam enim mundus credens ſit de numero eorum, pro quibus Chriſtus orat, ut ſint unum, non tamen omnes eodem ſimul tempore erant credituri, ſed quibusdam credentibus alii eorum fide & unitate permoti ex infidelitate ad fidem erant perducendi. Sic ergo nomen mundi οὐρανός pro electis è mundo acciperetur ac ſenſus foret. Oro, ut credituri in me unum ſint, ut mundus credat, quod tu me miſeris, id eſt, ut mundi deſideriis adhuc immerſi exemplo aliorum fidelium, ad ſalutarem mei cognitionem perveniant, & ad me tanquam verum Meſſiam convertantur, ut jam dum credentes hac unitate confirmetur, me eſſe verum & unigenitum tuum Filium & Salvatorem in mundum à te miſſum & qui non credunt, per eandem ad fidem alliciantur ac ſalventur. Athanaſ. orat. 4. contra Arian. p. 269. *Mundus videns iſtor conſummatos Deoque plenos planè crediturus eſt, quod tu me miſeris & quod ego illinc profeſſus ſim. Unde enim illis perfectio obtingeret, niſi ego qui Verbum tuum ſum, iſtud corpus aſſumſiſſem, homoque factus eſſem?* Sed non poteſt aliquis ex Scriptura locus afferri, in quo nomen mundi pro ſolis electis & verè credentibus accipitur, ſed vel in genere totum genus humanum, vel in ſpecie ſolos reprobos & incredulos denotat. Calviniani quidem hunc ipſum locum proferunt, ut evincant, nomen mundi pro ſolis electis uſurpari, cui hypotheſi innitentes dicta Scripturæ, quæ Chriſtum pro totius mundi peccatis mortuum eſſe teſtantur, ſic detorquent, quod Chriſtus pro ſolis electis ſit mortuus. Sed hoc eſt

τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, ac præter alia argumenta paulò poſt afferenda opponimus ipſis primipiliſiſſorum Calvinii autoritatem, qui in hunc locum ſic commentatur. *Quidam exponunt electos, qui tunc adhuc erant diſperſi, ſed quia toto hoc capite mundi nomen pro reprobis accipitur, magis in diverſam ſententiam inclinò.* Ex quibus Calvinii verbis colligimus novum contra illam ſententiam argumentum. Non eſt veriſimile, Chriſtum mundi vocabulo in alia ſignificatione hic uti voluiſſe, quàm in qua eo uſus eſt in toto hoc valedictorio ſermone & in hac ipſa oratione. Jam verò ubique eo denotat vel in ſpecie reprobos & incredulos, Evangelium repudiantes & ejus confeſſores odio habentes, Johann. 14. verſic. 17. 19. 30. cap. 15. verſic. 18. & 19. cap. 16. verſic. 11. & 20. cap. 17. verſic. 9. 14. 16. vel in genere totum genus humanum, Johann. 14. verſic. 31. cap. 16. verſic. 8. cap. 17. verſic. 18. (quod pro mundi opificio hoc nomen accipitur, Johann. 17. verſic. 5. & 15. non eſt huius loci) niſi iam verò per illud ſolos electos designat. Ergo nec hoc loco per mundi vocabulum ſoli electi intelliguntur. 3. Quia Chriſtus paulò poſt mundum à verè credentibus & verè credentes à mundo diſertis verbis ſeparat, quando dicit verſic. 25. *Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem cognovite, & hi cognoverunt, quod tu me miſeris; & quia credendi verbum in verſic. 23. ſeq. exponitur per τὸ γινώσκειν, ex eo quidam colligunt, quod hoc loco per τὸ credere non intelligatur vera & viva fides in fiduciali Chriſti apprehenſione conſiſtens, ſed qualis cumq; tantum notitia Hiſtorica ex conſcientiæ convictione orta. (Vera fides includit quidem notitiam verſic. 8. ſed nuda notitia non abſolvit veram & vivam fidem.) Exiſtimant igitur, mundi nomine hic intelligi tantummodo reprobos, qui ex fidelium unitate in conſcientiâ convincuntur, Chriſtum eſſe divinâ autoritate in mundum miſſum ac Spiritu & virtute ſua operari in credentibus unà cum conſtantia in fidei profeſſione mutuam pacem & concordiam, quâ ratione particula *iva* non tam ſinem quàm conſecutionem denotaret, ac ſermo eſſet non de vera & viva fide, quæ juſticiam & ſalutem æternam ſecum affert, ſed de tali fide, quæ etiam Dæmones credunt convicti evidentiâ veritatis, Luc. 4. 34. Marc. 1. 34. Jac. 2. v. 19. de qua Auguſtinus lib. de fid. & operibus cap. 16. dicit, *fides Dæmonum non operatur per dilectionem ſed exprimitur per timorem.* Sic ergo foret ſenſus. Oro ut credentes ſint unum, ita fiet, ut reprobi etiam inviti cogantur in me divinam majeltatem agnoſcere ac fateri me non eſſe ſeductorem ſed doctorem à Deo miſſum, ſicut olim Magi Ægyptii dicebant. *Dignus Dei eſt hic, Ex. 8. 19.* ac Nicodemus de Collegiſ ſuis dicebat. *ſcimus, quod à Deo veniſti doctor, Joh. 3. v. 2.* quamvis neutri verà & vivâ fide præditi eſſent. Hanc expoſitionem non repudiamus, interim 4. Textui conventionio-rem judicamus eam, quâ mundi nomen generaliter uſurpatur pro toto genere humano credentes & incredulos, electos & reprobos ambitu ſuo complectente. Exponit enim Chriſtus ſinem & fructum ſpiritualis illius, quam fidelibus prædicat, unitatis. Rogo pro credituris in me per ſermonem Apoſtolorum ut unum ſint, ut omnes credant, quod ſim promiſſus Meſſias ad hoc miſſus, ut Evangelium prædicem & pro peccatis hominum ſatisfaciam,*

tisfaciam, ut coram toto mundo manifestum fiat, me divinâ autoritate missum esse, non autem proprio arbitrio venisse. Probatum hæc interpretatio

1. *Ex verbis textus.* Fides enim illa, quæ mundo tribuitur, sic describitur, quod credere debeat Christum esse à Patre missum, & in vers. 23. quod cognoscere debeat, non solum Christum esse à Patre missum, sed etiam credentes diligere, sicut Christum dilexerit. At hæc est descriptio generalis pro ratione diversorum subsectorum competens tum verè fidelibus, ut apparet ex v. 8. ubi vera Apostolorum fides eodem ferè modo describitur, tum hypocritis, qui Historicam tantum fidem habent, unde cum Christum in v. 20. verè credentes sic descripsisset, rogo pro credituris in me, hæc simpliciter dicit, ut mundus credat, quod me miseris, non autem ut in me credat. 2. *Ex locis parallelis,* Joh. 13. v. 35. cum Christus ad certam mutuam Apostolos diligenter fuisset exhortatus, subiecit.

In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si dilectionem invicem habuerint, qui locus huic nostro est planè parallelus. Ut enim ex fidelium caritate omnes cognoscunt, cognoscere certe debent & possunt, ipsos esse genuinos Christi discipulos: sic ex eorundem unitate omnes cognoscunt, cognoscere certe debent & possunt, Christum esse à Deo missum, cujus Spiritu in unum corpus mysticum uniantur. Joh. 14. v. 31. dicit Christus, se ideo sponte in locum passioni destinatum sese conferre, ut mundus cognoscat, quod Patrem diligat & sic faciat, quem admodum Pater sibi in mandatis dederit, id est, ut omnibus publicè manifestum fiat, quod ex sancta erga Patrem obedientia & dilectione passioni & morti spontè sese subiciat. Eodem sensu etiam hoc loco dicit, se fidelibus suis ideo unitatem precari, ut mundus cognoscat, quod sit à Patre missus, id est, ut coram toto mundo omnibus hoc manifestum fiat. Sic Petrus 1. Epist. 2. 12. fideles hortatur, ut sanctam inter gentes conversationem ducant, ut obrectatores eorum permoti Deum glorificent in die visitationis. Quidam per diem visitationis intelligunt visitationem gratiæ per verbum, ut sit sensus, agnoscent se vobis injuriâ detraxisse, quando Deus ipsorum mentes & corda illuminabit, ut agnoscant veritatem, Luc. 1. 68. cap. 19. 44. Sed per diem visitationis potest etiam haud absurdè intelligi dies novissimus, in quo Rex cælestis visitationem hospitum ad nuptias spirituales invitatorum instituet, Matth. 22. 11. tunc obrectatores piorum Deum glorificabunt laudem justitiæ ei tribuentes, qui propter pertinacem Evangelii contemptum ipsos damnet, cum vel ex ipsa fidelium conversione agnoscere potuissent ac debuissent, Christianam religionem esse certâ & immotâ veritatis. Visitationis enim sapius pro justitia punitionis accipitur, Es. 10. 3. c. 8. v. 12. 3. *Ex scopo.* Christi scopus est per has preces à Patre cælesti continere, ut veritas & lux doctrinæ Evangelicæ ad finem usque mundi in Ecclesia conservetur ac per eam perpetuo ex genere humano Ecclesia Deo colligatur, ut multi cælestem hanc veritatem agnoscant, fide amplectantur & salventur. Stapul. in h. l. *Si hoc Evangelium audienda credere posset mundus, illa verba non esse hominum, sed in veritate esse verba missi à Deo quidem missi & per Filium Dei sibi annunciata, non esset amplius mundus, sed cælum, non amplius caro, sed Spiritus, non amplius tenebræ, sed lumen, & nihil ex mundo transiret ad divulsionem & separationem à*

Deo, sed totus ad divinitatis consortium & unionem cum Deo transiret. 4. *Ex complemento.* De credentibus in primitiva Ecclesia Apostolica dicitur, quod cum unanimiter perseverarent in doctrina Apostolorum & sanctam inter se unitatem colerent, gratiam apud omnem plebem habuerint, Act. 2. 42. 46. & 47. cap. 4. v. 32. & 33. quodque populus eos magnificaverit ac credentium numerus quotidie auctus fuerit, c. 5. v. 12. 13. & 14. quinimò quod ipsi etiam hostibus credentium unitas timorem quendam incusserit, quò minus eis mali quid inferrent. Act. 2. v. 43. cap. 5. v. 11. Differt hæc interpretatio à prioribus, quod non repetit verbum rogo, ut prima; nec mundi nomen accipit pro solis electis, ut altera; nec pro solis reprobis, ut tertia, sed in genere pro omnibus, qui credentes in Christum fidei & caritatis vinculo invicem unitos & conjunctos vident, quâ fidelium unitate quidam permoverentur, ut honestius de religione Christiana sentiant, veram ex verbo Evangelii fidem concipiant, in ea perseverent & salventur, quidam eadem permoti verè credere incipiunt, sed postea iterum deficiunt; quidam conscientia testimonio convicti credunt Christum esse à Deo missum, sed fide tantum Historica sine cordis fiducia in ipsum recumbente & per dilectionem sese exerente, ex quibus primi tantum ordinis homines ad electos, secundi & tertii ordinis ad reprobos pertinent. Colligitur autem ex hoc loco efficax ratio, quæ ad fidei & vitæ unitatem colendam nos excitare debet, videlicet ut alios unitate & concordia nostra ad fidem alliciamus & gloriam Christi in toto mundo propagemus. Contrà verò à dissensionibus & diffidiis efficaciter nos revocare potest ac debet, si cogitemus, quod per ea cursui Evangelii impedimentum objiciatur, ac gloria Christi obscuretur, imò causa præbeat, ut propter nos nomen Christi & sanctum ejus Evangelium à mundo blasphemetur. Chrysost. hom. 81. in Johann. *Et quomodo hinc erant credituri? quia pacis est Deus, inquit. Si ergo que ex his didicerunt, servaverunt, à discipulis Magistram auditores intelligent; si dissentient, non invenient Dei pacis esse discipulos. Si non ero pacificus, à te missum non confitebuntur.*

2. *Amplificatio prioris hujus beneficii, quod Christus credituris precatur, spiritualis scilicet unitatis, absolvitur duobus membris 1. cause efficientis expositione. 2. cause finalis vel eventus repetitione.* Expositio causæ efficientis continetur in his verbis: *Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* De connexionione non potest judicium fieri, nisi prius explicetur, quid per gloriam, quam à Patre acceptam credentibus se dedisse Christus asserit, intelligendum veniat. 1. Augustinus tract. 110 in Joh. intelligit de gloria immortalitatis, quam Christus Apostolis & omnibus in vera fide perseverantibus in vita æterna daturus est, ut præteritum phrasi Hebræa pro futuro positum accipiatur. *Quam claritatem, inquit, dedit illis nisi immortalitatem, quam natura humana in illo fuerat acceptura? Nam nec ipse adhuc acceperat eam, sed more suo propter immobilitatem prædestinationis præteriti temporis verbis futura significat, quod nunc clarificandus, hoc est, suscitandus à Patre & ipse sit nos ad eam claritatem suscitaturus in fine.* In eandem sententiam propendit Stapulensis in hunc locum. *Quod dicit, dedi*

dedit eis, certitudinem jam habet facti, imò ab eterno definiti ac determinati. Sed si revelationem illius claritatis ac gloriæ spectes, futuri quo ad nos, non quo ad Deum, (Deo enim omnia presentia, & ut jam facta) intelligentiam. Confirmari posset hæc expositio ex omnibus illis dictis, in quibus credentes dicuntur à Christo in vita æterna gloriam animæ & corporis accepturi. Rom. 5. v. 2. cap. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17. Col. 3. v. 4. 2. Tim. 2. v. 10. 1. Pet. 5. v. 1. &c. uti etiam ex eo, quod Christus paulò post addit, ut sint consummati in unum. Jam verò illa unitatis spiritualis consummatio in vita æterna demum sequetur. Juxta hanc hypothesin proponeretur in his verbis argumentum petitionis à fine. Ut credentes aliquando gloriæ cœlestis meo merito parandæ possint fieri participes, necesse est, ut in hac vita sint unum unitate fidei & caritatis inter se conjuncti. Promereri ipsis mea passione & morte cœlestem gloriam, ut sint unius ejusdemque gloriæ in cœlesti beatitudine pro suo modulo nobiscum participes, idèd æquum est, ut me pro illis rogantem paternè exaudias, inq; eis hoc efficias, ut unum sint, sicut & nos unum sumus ratione essentia & communis gloriæ. Præbet hæc expositio utilem doctrinam, quod verè credentibus de futura cœlestis regni gloria sibi promissa non sit dubitandum, cum Christò preciosissimo suo merito eam acquisiverit, ac propter certitudinem verbis præsentis temporis de ea loquatur. Sed Christus adhuc versatur in petitione beneficii in hac vita credentibus conferendi, gloriam futuræ vitæ in v. 24. demum credentibus dari petit. Nec satis commodè dici potest, Christum idèd credentibus daturum in vita æterna gloriam immortalitatis, ut in hac vita sint unum ratione spiritualis unitatis, sed contrà potius credentes per fidei & caritatis unitatem in hac vita invicem conjungit, ut cœlestis gloriæ in futura vita ipsos aliquando participes faciat. Quod si ergo nomen gloriæ de futura vitæ cœlestis gloria accipere quis velit, satius foret, de promissione & spe illius gloriæ verba Christi accipere hoc sensu. Dedi illis gloriam immortalitatis in spe & promissione, daturus etiam re ipsa suo tempore, ut magnitudine illius promissionis permoti unitatem in terris colant, si ad unius gloriæ consortium in cœlis aspirare velint, Eph. 4. vers. 3. *Soliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* v. 4. *sicut & vocati estis in una spe vocationis vestrae.* 2. Quidam intelligunt de gloria mediatoris Christi propria, quod Pater in æterno suo consilio ipsum solum Mediatorem constituerit, qui solus potuerit pro peccatis totius humani generis satisfacere, hostiam Patri gratam offerre, bona per lapsum amissa hominibus reparare &c. Hanc gloriam Christus dicitur credentibus dedisse, id est, in Evangelio patefecisse, ut scirent solius Christi iustitiæ & merito coram Dei judicio se consistere posse, de quo verè gloriari possunt, Jer. 9. v. 23. 1. Cor. 1. v. 31. *cum alias egeant gloria Dei.* Posset huic expositioni accommodari, quod superius in expositione v. 11. monuimus, Christum idèd Mediatorem generis humani constitutum & in mundum à Patre missum esse, ut ad unitatem, sive ut Apostolus loquitur, Eph. 1. vers. 10. *ad unum caput omnia reduceret.* Sed verbum dandi pro manifestatione usurpatum vix occurreret. Quando Christus in v. 8. & 14. pro manifestatione eo utitur, diserte addit nomen *ἡμεῶν*, ac *λογα*. 3. Quidam intelligunt

de gloria ministerii Evangelici. Tradidi ipsis munus docendi Evangelium, ad quod prædicandum à te in mundum missus sum. Huic expositioni accommodari posset, quod Christus dicit in v. 8. *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis,* ac v. 18. *sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum* quodque ministerio Evangelii in Nov. T. tribuitur gloria. 2. Cor. 3. v. 8. & seq. ac Apostoli Ecclesiarum vocantur *Christi gloria*. c. 8. v. 23. Sed Christus in genere pro omnibus per verbum Apostolorum in se credituris orat, jam verò non omnes credentes ministerio docendi funguntur. 4. Quidam intelligunt de gloria edendi miracula. Non solum dedi ipsis ministerium docendi Evangelium, sed etiam potestatem & virtutem ipsis dedi divinis miraculis veritatem doctrinæ confirmandi, Marc. 16. v. 17. Luc. 9. v. 1. &c. In hanc sententiam ex nostris abit Brentius, quæ confirmari posset ex eo, quod Christus per miracula & in miraculis gloriam suam manifestasse dicitur, Joh. 2. v. 11. quodq; eo fine potestatem miracula edendi Christus dederit Apostolis, ut homines illis excitati credant & per fidem unum Ecclesiæ corpus mysticum fiant. Sed potestas edendi miracula ne quidem omnibus Ecclesiæ ministris competit, tantum abest, ut omnibus in Christum verè credentibus competat, cum tamen Christus pro illis in genere hic oret, 5. Quidam intelligunt de gloria divina illuminationis ac sapientie. Non solum dedi eis verbum Evangelii ex sinu tuo prolatum, quod est vera lux & claritas, sed etiam mentes eorum interius illuminavi, ut re salutariter cognoscant. Ad hanc expositionem accommodari posset vaticinium, Es. cap. 60. v. 1. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini, super te orta est.* 6. Quidam exponunt de gloria divine imaginis per Christum, qui est substantialis Dei imago, in credentibus reparata. Christus enim non tantum, quatenus est æternus & unigenitus Dei Filius, est essentialis imago Patris, sed etiam humanæ ipsius naturæ, quam nobiscum communem habet, inculpta est paternæ gloriæ viva effigies, ut membra corporis sui mystici in eam transformet. Huic interpretationi accommodari posset dictum Apostolicum, 2. Cor. 3. v. 18. *nos omnes retecti facie gloriam Domini intuendo in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, quodque in restitutione divine imaginis consistat beatissima illa ἀνακεφαλαιώσις*, per quam omnia iterum in unum redacta, Eph. 1. v. 10. 7. Nyssenius in dictum Apostoli. *Tunc Filius subjiçietur Patri* pag. 111. per gloriam intelligit Spiritum sanctum. *Gloriam* (inquit) *hic cum dicere opinor Spiritum sanctum, quem per asslatum dedit discipulis. Fieri enim non potest, ut abiter, qui dissident ab invicem, uniantur, nisi per unitatem Spiritus coalescant. Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Spiritus autem gloria est, quem admodum in alio loco ad Patrem dicit. Glorifica me gloria, quam habebam ab initio apud te antequam mundus esset. Deus enim Verbum, qui ante mundum gloriam Patris habebat, quandoquidem in extremis diebus caro factus est, atque oportebat etiam carnem per contemperationem cum Verbo illud fieri quod est Verbum, & id sit accipiendū illud quod ante mundum Verbum habebat, id autem erat Spiritus sanctus, nihil enim aliud ante secula fuit præterquam Pater & Filius & Spiritus sanctus, idcirco etiam hic dicit. Gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut per eam mecum & per me tecum uniti sint.* Posset huic accommodari, quod Spiritus sanctus Christo

secun-

titatem. Simul etiam his verbis unionem fidelium ab unitate sua cum Deo Patre Christus distinguit. Ne enim unio fidelium exaquaretur unitati essentiali Patris & Filii in Trinitate, ideo Christus docet, unionem illam non esse huic unitati æqualem, quæ à natura est, sed proficisci à Dei gratia. Hanc expositionem amplectitur Chryl. hom. 81. in Joh. Cum enim dixisset *δέξω* hanc intelligendam esse *διὰ τῶν σημείων καὶ διὰ τῶν δογμάτων*, statim subjungit, *καὶ ἵνα ὁμοψυχῶς αἴσω*, & addit, *hæc enim claritas ut unum sint, etiam signis sive miraculis major est. Quem admodum enim Deum admiramur, quod nulla dissensio, nulla pugna est in ejus natura, & hæc maxima est gloria: ita & hi propterea a clari efficiuntur. Amplectitur eandem Cyrill. l. 11. in Joh. cap. 27. sic scribens. Quomodo templum, quod unigenitus Dei Filius à virgine accepit, quamvis consubstantialia Deo Patri non sit, unitum tamen ita cum Verbo est, ut sua persona cum eo sit, unus enim Christus & unus filius est etiam homo factus, idcirco unitatem cum Deo accepisse dicitur, cum templum suum, quod à se Deus non est, unum cum Deo Verbo factum sit. Et ut brevius dicam, & clarius, quod templo suo datum est, sibi datum esse unigenitus ait, datum scilicet à Patre per ipsum in Spiritu. Non enim aliam habet viam modus unitatis cum Deo. Intelligitur enim in Christo unitate ineffabili caro sanctificata absque ulla confusione ad unitatem Verbi ascendere & per Verbum ad unitatem Patris, habituine quadam scilicet, & non naturaliter. Hanc igitur, inquit, claritatem & gloriam, Pater, quam dedisti mihi, quæ est, ut tecum unum sim, dedi eis, ut sint unum, sicuti nos unum sumus. Rectè verò uterque ibidem admonet, particulam καὶ ὁμοψυχῶς æquè ut in vers. 11. 18. & 21. non esse perfectæ æqualitatis, sed qualiscunqve tantum similitudinis. Το καὶ ὁμοψυχῶς, inquit Chryostomus, οὐκ ἐστὶν ἀκριβῆς ἐξισότης. Caritatis, inquit Cyr. in cap. præc. virtus atque connexus efficere nunquam poterit, ut incommutabiliter in identitate substantiæ ita uniamur, ut modum unitatis divini affectui videamur. Illa enim cum naturalis & vera sit, in substantiæ ratione inspicitur, hæc verò unitatis habitum imitatur. Quomodo enim veritati primitivæ per imitationem nos adequabimur? Non enim idem est veritas & veritatis imitatio, sed quamvis proportionem atque similitudinem æqualitatem habere videantur, distant tamen in genibus differentiis. Quod ipsum multis Scripturæ dictis & argumentis confirmat Athanasius orat. 4. contra Arianos. Atque ex his facile intelligitur, quo sensu accipienda sit illa ἐπιμονή sive immoratio, quæ Christus luculentius & illustrius declarans tum originem, tum modum spiritualis unitatis in credentibus stabilindæ, subjungit. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. Ego in eis 1. per naturæ communionem, quia secundum naturam assumptam ipsis sum ὁμοῦσόν, Ephes. 5. vers. 30. 2. Per corporis & sanguinis mei in Eucharistia distributionem. Qui enim non tantum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter meam carnem manducat & sanguinem meum bibit, ille in me manet & ego in illo, Johan. 6. 56. 3. Per Spiritus mei participationem, qui enim Christi est, ille etiam Spiritum Christi habet, Roman. 8. v. 9. qui est Spiritus caritatis & unitatis, 2. Tim. 1. v. 7. 4. Per gratiosam inhabitationem, quæ fit fide, Ephes. 3. vers. 17. Ego in eis, ut caput in membris suppeditanis ipsis sensus & motus spirituales ac dirigens eos in omnibus piis & salutaribus actionibus. 5. Per gratiam sive specialem dilectionem, quæ ipsos tanquam membra corporis mei mystici complector. Sic*

ego in eis, tu vero in me primo ac præcipuè per ὁμοῦσόν, per essentialitatem, juxta divinam naturam. Secundò per totam plenitudinem Deitatis in me, id est, in meo corpore tanquam in proprio templo personaliter habitantem juxta humanam naturam, Coloss. 2. versic. 9. Tertiò per operationem & approbationem eorum omnium, quæ in meo ministerio perficio, Johann. 14. versic. 10. Pater in me manens ipse facit opera. Gloss. ordin. in hunc locum: Ego sum in eis ad quos me misisti, & tu in me mandum tibi reconcilians per me. Quartò per singularem dilectionem, quæ me ut unigenitum tuum complecteris. Neque tamen hoc ipsum, quod Christus dicit, ego in eis & tu in me, accipiendum est exclusivè, quasi Pater non sit in credentibus quia Johann. 14. versic. 23. de se & Patre Christus dicit. Si quis sermonem meum servabit, Pater meus diligit eum & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus, vel quasi Christus non sit in Patre, quia in vers. 21. proximè præcedente dixerat. Tu Pater in me & ego in te, sed Christus hic loquitur ut Mediator, ac demonstrat se esse medium, quo iterum Deo unimur, à quo per peccatum discessimus. Quinimò Hilarius lib. 8. de Trinit. rectè monet, contrario potius modo concludendum esse: Quia Christus in credentibus & Pater in Christo, idè etiam Pater est in credentibus, quia divinitas est in Christi carne & caro Christi in credentibus, idè etiam mediante Christi carne in credentibus divinitas habitat. Inde Aug. in hunc locum præclare sic commentatur: Christus his verbis se Mediatorem inter Deum & hominem breviter intinavit. Neque enim hoc ita dictum est, tanquam Pater non sit in nobis, aut nos in Patre non simus, sed hoc dictum est ex persona Mediatoris, sicut illud, quod Apostolus ait. Vos Christi, Christus verò Dei. Idipsum manifestè docet Christus, quando verbis illis, ego in eis & tu in me, statim subjicit, ut sint consummati in unum, quasi dicat beatissima illa unitas, quæ ego in eis & tu in me, hoc fecum affert, ut ipsi etiam sint consummati in unum. Τετελειωμένοι Syrus reddidit per תמלא, profecti, absoluti & completi. Augustinus dicto loco refert ad unitatem perfectam in vita æterna fecuturam, argumento permotus eo, quod unitas in hac vita non sit numeris & gradibus omnibus perfecta. Quod addidit (inquit) ut sint consummati in unum, ostendit eò per duci reconciliationem, quæ fit per Mediatorem, ut perfectam beatitudinem, cui jam nihil adjici possit, perfruamur. Sanè non negamus absolutam unitatis spiritualis perfectionem in vita æterna demum sperandam esse, ubi Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28. ac Christum suâ passione non solum hujus sed etiam futuræ vitæ unitatem nobis promeruisse, quin & unitatem, quam hoc loco petit, in hac vita tantum inchoari, in futura consummari, interim negari non potest, unitatem illam, quam Christus hoc loco credentibus precatur, etiam in hac vita locum habere, 1. Corinth. 1. vers. 10. 1. Johann. 2. versic. 5. non quod sit numeris & gradibus omnibus perfecta, hoc enim sensu Apostolus, Philip. 3. vers. 12. negat se esse τετελειωμενον, sed credentes dicuntur consummati in unum. 1. Respectu unitatis, quæ credentibus inter se in vicem intercessit, tunc enim pii sunt consummati in unum, quando non solum inter se per mutuam caritatem, sed etiam per veram fidem Christo & per Christum ac in Christo Patri cœlesti uniantur. 2. Respectu generalis

ralis beneficii omnibus hominibus communis, de quo Paulus dicit, Act. 17. vers. 28. *in Deo vivimus, movemur & sumus.* Qui hoc modo sunt in Deo, illi nondum sunt in Patre & Filio unum eo modo & sensu, quo Christus credentes in se & Patre unum esse precatur, proinde etiam nondum sunt consummati in unum. Quidam sunt in Deo amore tantum benevolentia, quo Deus vult ipsos existere, quoque nihil eorum odit quem fecit. Sed hoc nondum sufficit ad unitatis consummationem, sed requiritur, ut simus in Deo amore amicitia, quo Deus vult nos beatificam sui visionem aliquando frui. Ex priore amore nondum nascitur consummata unio, quia qui eo modo à Deo diliguntur & sunt in Deo, illi nondum spiritaliter Deo uniuntur, nec quantum uniri possunt ac debent, uniuntur. 3. Respectu sinceritatis omnem hypocrisis excludentis. Ut enim καρδια τελευτα dicuntur Deo servire, qui sincerè absque hypocrisis, non corde & corde sive dimidiato corde ipsi serviunt, 1. Reg. 8. vers. 62. cap. 11. vers. 4. 1. Paralyp. 28. vers. 9. sic dicuntur in unum τετελειωμενοι, qui unitatem sincerè colunt. Agnus Paschalis dicebatur τελειος, quando erat sine macula & vitio, Exod. 12. vers. 5. ac animalia in sacrificium offerenda oportebat esse integra & immaculata, Levit. 22. v. 21. sic pii dicuntur in unitate τελειοι, quando ingrediuntur sine macula & sunt αμωμοι, unde LXX. Hebræum וְהָיָה per τελειος & αμωμοι reddiderunt. Exod. 29. vers. 2. Levit. 1. 3. &c. 4. Respectu termini ad quem, quia credentes per hanc spirituales unitatem fiunt unius corporis mystici membra, cuius caput est Christus, qui consummatus, Hebr. 5. 9. unâ oblatione consummavit in semper eternum sanctificatos, cap. 10. v. 14. &c. 5. Respectu absolutæ perfectionis, ad quam pii toto cordis desiderio suspirant, quæ in vita æterna demum sequitur. Orat igitur Christus, ut credentes sint consummati in unum, in hac quidem vita in unitate gratiæ per fidem & inchoatam caritatem; in futura autem vita in unitate gloriæ & fruitionis divinæ per beatificam visionem & perfectam dilectionem. Dionys. in h. l. ut sint consummati in unum, i. e. ut ad perfectionem mutue unionis, qua habetur in Patriâ, perducantur, ubi inseparabili caritate connexi sunt & ubi est Deus omnia in omnibus. 5. Hilarius & Cyrillus addunt, pios dici consummatos in unum, quia non solum ratione animarum, sed etiam corporum cum Deo uniuntur per communionem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, inde quidam putant in his verbis, Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum, contineri novum petitionis argumentum defurum à gratiosa Christi in habitatione, quod ideo sit in eis spirituali in habitatione & corporis ac sanguinis sui in Eucharistia communicatione, ut in unitate reddantur perfecti & consummati. Sed rectius dicitur, Christum præcipuè eò respicere, ut & originem & modum spirituales unitatis illustrius declaret. Colligitur autem ex hoc loco 1. Christum esse in personæ unitate verum Deum & verum hominem. Ut homo orat Patrem, ut credentes faciat esse unum; ut verus cum Patre Deus dicit, se credentibus gloriam illam dedisse, ut sint unum, id ipsum quod à Patre rogat se dare ac facere asserit, ut suam cum Patre æqualitatem ostendat. Euthymius in hunc locum: Dixit, dedi eis etiam, hic suâ insinuans gloriam, quemadmodum frequenter aliis in lo-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

eis. Neque tamen à datione illius unitatis ratione causæ efficientis principalis considerata excluditur Pater, sicut etiam ab objectio orationis hujus non excluditur Filius, quâ de re August. in hunc locum sic differit: Ideo sepius solum Patrem facere dicit, quod & ipse facit cum Patre, ut quicquid est, ei tribuat, de quo est. Sed & aliquando etiam tacito Patre se dicit facere, quod ipse facit cum Patre, ut intelligamus ita Filium non esse à Patris opere separandum, quando se tacito Patrem dicit aliquid operari, quemadmodum nec Pater ab opere Filii separatur, quando ipso tacito Filio operari dicitur, quod nihilominus pariter operantur. Cum ergo tacet Filius in opere Patris operationem suam, humilitatem commendat, ut sit nobis salubrior: cum vero vicissim in opere suo tacet operationem Patris, paritatem suam commendat, ne credatur esse inferior. Sed nec ab oratione hac, quâ Christus unitatem spirituales dilectis suis petit, simpliciter excluditur divina ejus Natura, quippe quæ precibus his addidit robur & pondus, nec à datione illius unitatis simpliciter excluditur humana natura, quippe per quam Deitati personaliter unitam & ad dextram Dei evectam omnia opera gratiæ in Ecclesia & operatur. 2. Christum Mediatorem esse spirituales illius unitatis piorum inter se & in Deo causam meritoriam, ejusdem etiam nexum & vinculum. In ipso est unitatis illius initium & finis & ω, Apoc. 1. v. 8. per ipsum tanquam scalæ Jacobæ antitypum terrena cœlestibus junguntur, quæ alioqui jungi non potuissent, Gen. 28, 12. Joh. 1, 53. per ipsum & in ipso beatissima illa unitas inchoatur, continuatur, conservatur & consummatur. Eph. 1. v. 10. c. 2. v. 18. 3. κοινωνίαν & ἐνότητά illam, de qua Christus hic loquitur, habere tres quasi gradus. Prima est Patris & Christi Mediatoris. Altera Christi tanquam capitis cum Ecclesia tanquam corpore suo mystico. Tertia membrorum inter se invicem sub eodem capite unio, Eph. 4. v. 15. & 16. Per verbum enim Evangelii colligitur Ecclesia ex genere humano, quæ est mysticum Christi corpus, cujus ipse est caput, Ephes. 1. v. 22. Col. 1. vers. 18. eadem etiam per Christum conjungitur Patri ac beneficio hujus unionis omnium bonorum spiritualium & cœlestium participes redditur. 4. Cum ergo Christus tantopere nos dilexerit ac tanta bona in nos contulerit, ideo grato corde agnoscamus, quantum ipsi à nobis debeatur, nosque totos in obsequium & servitium ei consecremus. Hanc dilectionem Christi insinuat repetitio illa, ut sint omnes unum, ut sint etiam ipsi in nobis unum, ut sint unum sicut nos unum sumus, ut sint consummati in unum. Simon. de Cassia l. 12. cap. 18. Verba si ista toties repetita ostendunt excessivum Christi affectum, quoniam ardentem diligens crebro reiterat.

2. Expositioni causæ efficientis subjungitur repetitio causæ finalis vel potius eventus. Ut cognoscat mundus, quod tu me misisti & dilexisti eos sicut me dilexisti. Superius dixerat, ne credat mundus, quod tu me misisti; hic pro tò credere ponit tò cognoscere & addit, mundum debere cognoscere & credere, quod Pater cœlestis non solum ipsum Filium miserit, sed etiam dilexerit, nec solum ipsum sed etiam credentes in ipso. Quid intelligendum veniat per mundi nomen, ostendimus superius. Per cognitionem August. tract. 110. in Johann. significari putat beatificam & perfectam cognitionem in vita æterna. Non sic, E e e e e inquit,

inquit, accipiendum puto, tanquam dixerit, ut credat mundus. Aliquando enim & cognoscere pro eo quod est credere ponitur, ut est quod ait aliquando superius. Et cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti. Hoc dixit posterius, crediderunt, quod prius dixerat, cognoverunt. Sed hic quandoquidem de consummatione loquitur, talis est intelligenda cognitio, qualis erit per speciem, non qualis est nunc per fidem &c. Quamdiu enim credimus, quod non videmus, nondum sumus ita consummati, quemadmodum erimus, cum meruerimus videre quod credimus. Sed ostendimus superius, credentes etiam in hac vita certo respectu consummatos in unum dici posse, proinde cognitio hic non significat cognitionem per speciem sive visionem à facie ad faciem, sed cognitionem per fidem, ipsa tamen effectorum experientia confirmatam. Joh. 6. v. 69. Nos credimus & cognovimus quod sis Christus filius Dei vivi, c. 7. v. 17. Si quis voluerit voluntatem Patris facere, cognoscat de doctrina utrum ex Deo sit. c. 17. v. 8. cognoverunt verè quod à te exivi & crediderunt, quod tu me misisti. Duo vero sunt, quæ ex fidelium inter se & in Deo unitate mundum & posse & debere cognoscere Christus asserit. Primò quod Pater ipsum miserit, i. e. quod sit verus cum Patre Deus & homo, verus per incarnationem in hunc mundum missus, ut esset Mediator humani generis & mundi Salvator. Neque enim credentes possent per Christum & in Christo spiritualiter Deo uniri, nisi divinitas inhabitaret in illa carne, quam Christus credentibus dedit, ac nisi Christus esset Mediator inter Deum & homines ratione divinitatis cum Patre & ratione humanitatis cum hominibus participans & ad utrosque *ὁικεῖσθαι* habens. Qui verò in hac cognitione non eo usque proficiunt, illi tamen ex credentium unitate cognoscere possunt, Christum non esse seductorem, sed doctorem divinitus missum. Secundò quòd Pater dilexerit credentes, sicut dilexit Filium particulam similitudinis *καθὰς*. Aug. tract. 110. in Joh. statuit, positam pro causali, ut sic causali & origo specialis illius dilectionis notetur, ac si dixisset: *Dilexisti eos eò, quod me dilexeris*. Sic ergo Christus denuò meritum suum interponeret, quia neminem hac gratia dignum vel ad eam suis viribus aspirare posse noverat, ac præbet hæc explicatio utilem doctrinam, quòd Pater neminem speciali amore complectatur nisi in Christo. Sed potest sine absurditate usitata significatio particulæ *καθὰς* retineri, ita tamen ut non significet omnimodam æqualitatem, sed quandam duntaxat similitudinem. Ambr. l. 5. de fide c. 3. Nunquid sic diligi possunt à Deo homines, quemadmodum Filius, in quo complacuit Pater? ille per se complacet, nos per illum. In quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam filiorum, ut, quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem Filii in adoptionem vocemur. Alius igitur est natura amor sempiternus, alius gratiæ. August. d. l. Non ideo pares sumus unigenito Filio, per quem creati & reconciliati sumus, quia dicitur est, dilexisti eos, sicut & me. Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit, sicut illud, ita & illud, sed aliquando tantum, quia est illud, est & illud, aut quia est illud, ut sit & illud. Quis enim dixerit, eo prorsus modo in mundum à Christo Apostolos missos, quomodo est ipse missus à Patre? & tamen superius ait, sicut me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum &c. Consistit autem comparatio in his membris. 1. Quemadmodum Pater di-

ligit Christum ut filium suum (naturalem & unigenitum,) ita diligit credentes in Christum ut filios (adoptivos.) Eph. 1. v. 6. dilexit nos in dilecto. Cyr. l. 11. in Joh. c. 28. Diligimur ut filii ad similitudinem filii naturalis. Nam etsi non æquali mensurâ, tamen exquisita imitatio rei veritati quodammodo exæquari videtur. 2. Quemadmodum Pater diligit Filium ab æterno, tum quia juxta Deitatem est ipsi coæternus, tum quia ab æterno fecit decretum humanam naturam in unitatem personæ à Filio esse assumendam, quam ratione illius præcognitionis ab æterno dilexit, 1. Petr. 1. v. 20. ita quoque credentes in Christum ab æterno dilexit, quia in Christo ad vitam æternam eos elegit. August. d. l. in Filio Pater nos diligit, quia in ipso nos elegit ante constitutionem mundi. Qui enim diligit unigenitum, profectò diligit, & membra ejus, que adoptavit in eum & per eum. Et postea. Non ex quo reconciliamur per sanguinem Filii ejus nos caput diligere, sed ante mundi constitutionem dilexit nos, ut cum ejus unigenito etiam nos filii ejus essemus, priusquam omnino aliquid essemus. 3. Quemadmodum Pater Christum secundum humanam naturam, sive quòd idem est, humanam Christi naturam diligit gratuito amore, Phil. 1. v. 9. neque enim meritis suis hoc obtinuit, ut cum Filio Dei personaliter uniretur, ita quoque credentes in Christum gratis diligit. 4. Quemadmodum Pater ita diligit Filium, ut omnia ei in manus suas dederit, Joh. 3. v. 35 sic credentes in Christum ita diligit, ut beneficiorum Christi eos participes faciat. 5. Quemadmodum Pater ita diligit Filium, ut assumat ipsius humanitati dederit divinitatem, & fecerit, ut sicut Filius cum Patre est unum essentialiter, ita assumpta natura humana cum divina sit unum personaliter: sic Pater ita diligit credentes in Christum, ut eos spirituali unitate sibi conjungat, quòd propriè & principaliter Christus hic respicit, quando unitatem illam tanquam argumentum adducit, quòd Pater simili, quamvis non pari amore Filium & credentes in eum complectatur. 6. Quemadmodum Pater ita diligit Filium, ut potenter eum in diebus carnis adversus hostes tuatus fuerit & in omnibus adversis servaverit: ita quoque credentes in Christum eâ ratione diligit, ut sit ipsorum vindex & defensor. 7. Quemadmodum Pater ita diligit Filium, ut secundum humanam naturam ad beatificam visionem & fruitionem eum diligit: ita quoque ad eundem finem credentes in Christum diligit. Interim discrimen ac dissimilitudo est inter dilectionem, quâ Pater Filium & quâ credentes in Filium complectitur, quam August. in h. l. his verbis exponit. Pater diligit Filium secundum divinitatem, quia genuit illum aequali sibi, diligit eum etiam secundum id quòd homo est, quia ipsum unigenitum Verbum caro factum est & propter Verbum est ei caro & Verbi caro. Nos autem diligit, quoniam sumus ejus membra, quem diligit, & hoc, ut essemus, propter hoc nos dilexit, antequam essemus &c. Inest etiam his verbis, ut cognoscat mundus, quòd tu me misisti & dilexisti eos sicut me dilexisti, tacita quadam petitionis ratio ducta à fine, videlicet à gloria summæ bonitatis & misericordiæ in Patre, utpote qui credentes in Christum summo & incomprehensibili amore complectatur, qui tunc vel maxime elucefcit, quando in credentibus conspiciuntur salutaria ejus effecta, inter quæ non postremum est spiritualis in Deo unitas ac mutua dilectio. Itemque ab utilitate

utilitate in mundum redundante, ut ille ad salutem Christi cognitionem perducatur, & ad fidem ædificetur, regno Christi subinde latius in toto mundo propagato. Colligitur autem ex hoc loco fidem esse cognitionem, non autem per ignorantiam esse definiendam, ut disputat Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 7. Ut enim Christus superius dixerat, ut credat mundus, ita h. l. ἐξήγηται λέγων, ut cognoscat mundus. 2. Mundum rectè vocari tenebras, cum per naturam hæc duo ignoret, quæ tamen scitu vel maximè sunt necessaria, videlicet quod Deus Christum miserit & quod credentes in Christum diligat, ut Filium suum diligit. Si enim prius cognosceret, verbum Evangelii de Christo nequam repudiaret. Si posterius cognosceret, confesores Christi nequam tam duriter tractaret. 3. Utrumque horum ex spirituali fidelium unitate cognosci. Quia enim cœtus consentientium Christum coram mundo contemptus & à mundo oppugnatus unitatem servat & in unitate conservatur, inde colligitur, Christum quem profitetur, esse divinitus missum & cœtum ipsum divinitus diligi & conservari. 4. Christum propterea unitatem fidelium inter se & in Deo frequenter comparare cum unitate, quam ipse habet cum Patre, & dilectionem Patris erga credentes cum dilectione Patris erga se, quamvis similitudo illa cum maxima inæqualitate sit conjuncta, ut priorem unitatem & dilectionem posterioris unitatis & dilectionis effectum & fructum esse ostendat, atque ut mentes fidelium ad Deum magis elevet. 5. Ineffabilem consolationem in eo nobis proponi, quod Pater cœlestis credentes in Christum diligat, sicut ipsum Christum dilectum & unigenitum suum Filium diligit. Quantum enim amorem esse oportet illum, qui nos in paternæ dilectionis confortium vehit? August. in h. l. *Cum Deus nihil eorum, que fecit, oderit, quis dignè possit eloqui, quantum diligat membra unigeniti sui, & quando amplius ipsum unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia & invisibilia, qua in suis generibus ordinata ordinatissime diligit? Membra quippe unigeniti ad Angelorum sanctorum æqualitatem gratia sue largitate perducit. Unigenitus autem cum sit Dominus omnium, procul dubio est Dominus Angelorum, naturâ, quâ Deus est, non Angelis, sed Patri potius æqualis. Gratia verò quâ homo est, quomodo non excedit excellentiam ejuslibet Angeli, cum sit una persona carnis & Verbi? Et postea. Hoc nobis magnum bonum conferet, qui dilexit nos sicut dilexit Christum, ut propter ipsum, cuius membra nos esse voluit, æquales Angelis sanctis simus, qui & naturâ inferiores conditi sumus & peccato indigniores facti, qui eorû fieri qualescung, socii deberemus. Christus caput est, nos sumus membra; Christus vitis est, nos sumus palmites; Christus sponfus est, nos sumus sponsa; Christus inhabitator est, nos sumus habitacula & templa, idè Pater cœlestis amore suo ardentissimo Christum & credentes in ipsum, caput & membra, vitem & palmites, sponsum & sponsam, habitatorem & habitacula complectitur. Nyssen. in illud 1. Cor. 15. *Tunc Filius subjicietur & c. p. 112. Si Pater diligit Filium atque in Filio omnes versamur, qui per fidem, quâ credimus in eum, corpus ejus efficiamur, consequenter qui Filium suum diligit, diligit etiam Filii corpus, sicut ipsum Filium, ac nos illud corpus sumus. Quod si à Patre cœlesti tantopere nos diligi scimus, cur in adversis trepidamus, cur de salute dubita-**

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

mus? Christus omnem trepidationem & dubitationem hic excludit, quando, quæ jam est

Altera petitionis materia, credituris per sermonem Apostolorum, gloriam cœlestem in futura vita, conferri à Patre cœlesti petit. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego & illi sint mecum, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum. Connexio est pulcherrima. In priore orationis parte precatus fuerat credentibus gratiam in hac vita, jam precatur ipsis gloriam in futura vita. Ostendit igitur 1. utrumque esse gratuitum Dei beneficium sanctissimo Mediatoris Christi merito credentibus partum, ut gratiâ Dei in hac & gloriâ in futura vita cumulentur. Psal. 84. v. 12. *Sol & clypeus est Dominus, clypeus in hac, Sol in futura vita, Apocal. 21. v. 23. gratiam & gloriam dabit Dominus, gratiam in hac, gloriam in futura vita.* 2. Beneficia sua credentibus in verbo Evangelii oblata non terminari cum hac vita, sed in beatam æternitatem sese extendere. Non solum enim rogat, ut Apostoli & reliqui credentes *serventur in nomine Patris, sanctificentur, & unum sint in Deo & inter se in hac vita, sed etiam vult, ut perpetuò secum & cum Patre sint in futura vita.* Omnia, quæ Christus in diebus carnis suæ fecit, docuit & passus est, unicè eò spectant, ut beatitudinem per lapsum amissam recuperemus, idè ultimo loco Christus eam suis precatur. 3. *Finem fidei nostræ esse salutem animarum æternam, 1. Pet. 1. v. 9. ac esse hoc τὸ τέλος σκοπιμῶν αἰῶν ad quod omnes nostræ cogitationes ac actiones sint dirigendæ. Postquam enim prolixè oraverat pro sui glorificatione, Apostolorum in veritate sanctificatione ac spirituali credentium unione, jam omnia in summam quasi colligit ac petit, ut Apostoli & omnes per verbum ipsorum credentes & in fide perseverantes æternam salutem tandem consequantur.* 5. Neminem ad gloriam cœlestem pervenire posse, nisi in hac vita gratiâ & spiritualis unitatis in Deo per fidem particeps factus fuerit. Ecclesia in his terris militans est quasi τὸ πρόθυρον καὶ τὸ ἑσπέραιον Ecclesiæ in cœlis triumphantis. Qui ergo aliquando in vita æterna expetit esse membrum Ecclesiæ triumphantis, illum in hac vita oportet esse membrum Ecclesiæ militantis; qui vult esse aliquando confors cœlestis gloriæ, illum in hac vita oportet esse confortem gratiæ. Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 28. *Cum pro universis credentibus oraverit, caritatemque Patris unionem & sanctificationem petierit, ista subjunxit, ut non alios secum futuros, gloriamque suam visuros, quam eos ostendat, qui per ipsum Patri conjuncti eo amore diliguntur, quo ipse quoque amari præcipitur.* 5. Spem promissæ illius cœlestis gloriæ esse tutissimum portum, in quem in omnibus hujus vitæ tempestatibus nos recipere; firmissimum fulcrum, cui in omnibus mundi odiis & persecutionibus inniti possumus. Simul etiam 6. consolatur Apostolos propter nuncium de Christi abitu turbatos & omnes credentes confirmat, quod non sint perpetuò ab ipso sejungendi, sed in cœlestis gloriæ confortio iterum ipsi jungendi. Cæterum in hac posteriore precationis suæ parte primò denuo exprimit nomen ejus, quem in precibus suis alloquitur ac suavissimâ voce Patris ipsum compellat 1. ut doceat, beatitudinem cœlestem esse hæreditatem paternam, quam cœlestis Pater dilectis suis filiis preparavit.

Eeeeeee 2

2. Ut

2. Ut ostendat firmâ cordis fiducia Deum tanquam Patrem à nobis esse invocandum, nec de exauditione dubitandum. Dulce enim illud nomen *Patris* fiduciam impetrandi donat, exauditionem confirmat & devotionem accendit. 3. Includit etiam hoc nomen efficacem petitionis rationem. Quia Pater meus es, ac paterno amore me unigenitum tuum Filium complecteris, idè quòd peto mihi non poteris denegare. Joh. 11, 42. Secundo nominat eos, pro quibus petit. Pater quos dedisti mihi. Chrysothomil. 81. in Joh. de solis Apostolis hoc videtur intelligere, cui expositioni inseruit, quod in v. 6. peculiariter de Apostolis dixerat, ipsos *de mundo sibi à Patre cœlesti esse datos*. Sed contextus ostendit, Christum de omnibus perseveranter ad finem usque vitæ credentibus loqui, quia non amplius pro Solis Apostolis *in specie*, sed pro credituris in se per sermonem Apostolorum *in genere* orat. v. 20. qui ut spiritualis illius unitatis, de qua Christus, in priore petitionis membro egerat, per fidem fiunt participes, ita quoque ad eos posterius hujus petitionis membrum pertinet; æquè ut ad ipsos Apostolos. Unde etiam non dicit, *volo, ut hi, quos dedisti mihi, sed deant super duodecim thronos, & judicent duodecim tribus Israel*, sicut Apostolis peculiariter promiserat, Matth. 19. v. 19. sed *ut ubi ego sum, etiam illi sint mecum & videant gloriam meam*, quod omnibus beatis erit commune, 1. Thess. 4. v. 17. Apoc. 21. v. 3. Phrasis igitur, esse à Patre Christo datum non accipitur in illa significatione, in qua ponitur v. 6. sed in ea, in qua usurpatur v. 2. *ut quotquot dedisti ei, det illis vitam æternam*. Hoc sensu dicuntur à Patre Christo dati, qui sunt in Christo ad vitam æternam prædestinati, tales verò sunt omnes verè & perseveranter in Christum credentes. Quando ergo differis verbis Christus dicit, se petere pro datis sibi à Patre ut aliquando secum sint in gloria cœlesti, eo ipso ostendit i. æternam electionem in Christo factam, esse fundamentum & originem salutis credentium æternæ. 2. Illos solum æternæ beatitudinis aliquando fore participes, qui sunt à Patre cœlesti Christo dati, id est, ad vitam æternam prædestinati, ac per sermonem Apostolorum in Christum perseveranter credunt. Cyrill. lib. 11. c. 28. *Non prophani, non peccatores, non qui divina mandata contemnunt, sed soli sancti gloriam Christi videbunt*. 3. Salutem electorum æternam merito & beneficio Christi Mediatoris ipsis obtingere. Sensus enim est. Quos dedisti mihi per mortem & sanguinem meum redimendos, per Evangelium meum vocandos, per Spiritum meum illuminandos, regenerandos & justificandos, per fidem in me justificandos, per virtutem meam divinam in fide conservandos & in novissimo meo adventu glorificandos, illos volo mecum esse. 4. Per credituros in Christum mediante Apostolorum sermone in v. 20. non intelligi quoslibet credentes, sed eos solum, qui ad finem usque vitæ in fide vera perseverant. Tertio efficacem suam voluntatem exprimit. Non enim amplius ut superius humiliter petit, dicens *ἐρωτώ* v. 9. 15. & 20. sed verbo potentia ac majestatis utitur, dicens *θέλω*, volo. Sanè Cypr. serm. de mortal. verbum hoc itidem vult esse *deprecantis*, quo accomodari posset, quod verbum *θέλω* etiam de illis, qui humiliter aliquid petunt, quandoque usurpatur, Matth. 15, 28. c. 20, 32. Marc.

10, 51. Luc. 18, 41. Joan. 5, 21. c. 12, 21. &c. Conf. Pl. 145, 19. Matth. 26, 39. Sed reliqui veteres re-
ctius statunt, hoc verbo efficacem suam voluntatem & potestatem Christum exprimere voluisse, Ambr. lib. 5. de fide c. 3. dicit, *esse hoc verbum judicantis & absolute decernentis*. Aug. Ep. 78. *Si æqualitas non est inter Patrem & Filium, non audeat inferior dicere superiori. Volo, ut ubi ego sum, etiam illi mecum sint*. libr. 3. contr. Maxim. cap. 20. *Non dixit Christus peto vel rogo, sed volo, ut Filio volente faceret Pater, sicut Patre volente faciebat Filius*. tract. 111. in Joh. *Non poterit nisi fieri, quod omnipotenti Patri se velle dixit omnipotens Filius. Ibi est enim & Spiritus sanctus pariter æternus, pariter Deus, Spiritus unus duorum & substantia voluntatis amborum*. Probatur hæc expositio ex eo 1. quod verbum *θέλω* etiam in aliis Scripturæ locis efficacem ejusmodi voluntatem significet, præsertim quando de Deo & Christo *θεά* *θεωπ* usurpatur, Matth. 8, 3. Marc. 1, 41. Luc. 5, 13. Joh. 3, 8. c. 5, 21. c. 21, 22. &c. 2. Quod Christus in hac mirabili oratione modò loquatur ut homo, modò ut Deus, ut ostendat se ut Mediatorem *θεά* *θεωπ* preces hæc Patri suo cœlesti offerre. Cajet. in hunc locum: *Tot petitionibus ad humanitatem spectantibus adungere voluit actum, quo Deum se esse testaretur, ne solum hominem putares, aut errares putando illum solum hominem nec largitorem donorum cum Patre*. 3. Quod Christus Mediator duplici jure regnum cœlorum obtineat, videlicet jure hereditatis & merito passionis, ac proinde quia alteram juris sui partem quasi cedit electis, ideo pro illorum salute orans se, quod petit, efficaciter velle ostendit, adeoque idipsum jure potius exigit, quam precario expetit. Bernh. ut refertur in l. 1. de ipsius vita c. 13. in agone mortis constitutus verbis procul dubio ex hoc Christi verbo petitis sic dixisse legitur. *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere cœlorum. Caterum Dominus meus duplici jure illud possidet, hereditate Patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat*. Huic expositioni Beza in annot. h. l. opponit. 1. Quod in hac oratione Christus sapius utatur verbo *ἐρωτώ*. Responso patet ex secundo sententiæ nostræ argumento. 2. Quod Jacob & Joannes Christum compellentes ut antur verbo *θέλω*. Marc. 10, 35. Resp. illi ipsi non tam precario petebant, quam jure exigebant *πρωτογενίαν* in Christi regno, existimabant enim eam sibi deberi tanquam proximis Christi cognatis, quibus jam antè honoris causâ novum nomen dederat, Marc. 3. v. 16. 3. Alii eidem hoc opponunt, quod ea, que orando petimus, procul dubio velimus, cum in petitione voluntas includatur. Sed aliter volunt homines, quod petunt humiliter, aliter vero Christus, quod vult sublimiter & efficaciter. Voluit ergo Christus verbo *θέλω* demonstrare, 1. Se Patri cœlesti, quem in precibus hisce compellat, esse potestate & essentia æqualem, se non solum hominem esse, cui humili oratione opus sit, sed etiam *verum Deum*, qui quod petitur, dare possit. Joan. 5, 21. 2. Se esse *ἐπιγονόν* Patris cœlestis, *Filium in domo cœlesti ac Dominum illius*, Hebr. 3. v. 6. qui potestatem habeat admitteendi in eam, quos velit, siquidem *ἐπιγονόν* ille, cui paterfamilias mercedis distributionem committit in parabola, Matth. 20, 14. & 15. itidem hoc verbo utitur. *Volo huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo in meis facere?* 3. Se hoc loco quasi Testamentum suum condere ac omni-

bus verè & perseveranter credentibus hereditatem cœlestem precioso tuo sanguine partam legare. Qui enim Testamentum condunt, illi dicere solent. *Volo, hæc est ultima mea voluntas.* Luc. 22. v. 29. dicit peculiariter ad Apostolos. *Dispono vobis, sicut Pater meus mihi disposuit, regnum, ubi itidem habetur verbum Testamentale Διαθήκη, ne quis ergo cogitaret, legatum illud tantum ad Apostolos pertinere, ideo Christus hoc loco omnibus per Verbum Apostolorum perseveranter credituris quasi Testamentariâ dispositione regni cœlestis hereditatem legat.* Et quia Testamentum hoc paulò post mortem suâ confirmavit, ideo Pater cœlestis illud ratum & gratum habet. 4. Preces hasce suas non carituras pondere & efficacîâ. Hominum voluntas est inefficax & infirma, sæpè enim, quod volunt, efficere non possunt, sed Christi Θεανθρωπίνης voluntas est efficacissima, imò omnipotens voluntas, Matth. 8. v. 3. 5. Se in hac precatone non aliud in corde sentire, aliud verbis proloqui. Homines quandoque tantum dicis causâ & verbis simulatis pro aliis intercedunt. Sed Christus dicens *volo*, ostendit, esse hanc feriam suam voluntatem. Syrus reddidit per *ἔβουλομαι*, *comprobavit, beneplacitum habuit*, Dan. 4. vers. 29. & in Targum, Deut. 7. v. 7. &c. 6. Immotam salutis nostræ certitudinem, quia hæ preces Christi ex immensa Θεανθρωπίνης profectæ & efficacem voluntatem conjunctam habentes fidem nostram de cœlestis hereditatis possessione, certo securura confirmant, & omnes dubitationum tempestates in corde nostro suaviter consopiant. Quarto exponit ipsam petitionis materiam & quidem duplicem. 1. *Volo ut ubi sum ego & illi sint mecum.* 2. *Ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi.* Prius quidam intelligunt de speciali illa presentia gratiæ, quâ Christus fidelibus suis adest in hac vita, eosque tuetur & custodit. Sed posterius membrum, quod prioris est ἐξηντησιον, ostendit, Christum loqui de presentia gloriæ, qua beatis aderit in futura vita, æternæ felicitatis eos participes reddens. Ac notum est, phrasin esse cum Deo & Christo usitatissimè accipi de presentia gloriosa in vita æterna, Luc. 23. v. 43. 2. Cor. 5. v. 8. Philip. 1. v. 23. 1. Thess. 4. v. 17. &c. sicut vice versa de presentia gratiosa in hac vita dicitur, quod Deus sit cum fidelibus, Joan. 1. v. 5. Judic. 6. v. 12. Psal. 23. v. 4. Eia. 43. v. 2. &c. Quamvis paucis quibusdam in locis prior phrasin de presentia gratiæ, Psal. 139. v. 18. posterior de presentia gloriæ usurpetur, Apocal. 21. v. 3. Sed hoc loco manifestum est per phrasin, *ut ubi ego sum*, etiam illi mecum sint, quos dedisti mihi æternæ felicitatis & gloriæ consortium exprimi. Eginus autem de hac phrasi latissimè tum in cap. 147. Harm. in expositione, Joan. 12. v. 26. tum in cap. 176. Harm. peric. 1. in expositione, Joh. 14. vers. 3. quæ omnia hoc loco sunt repetenda. Summa eorum huc redit. 1. Quod quidam verbum presentis temporis, *ubi sum ego*, accipiant juxta usitatum Hebraïsmum positum pro futuro, cum Christus preces hasce recitans corpore suo nondum ascenderit in cœlum, nec dum in gloriam suam, cujus visionem beatis precatur, intraverat. Sic ergo erit sensus. *Volo, ut ubi paulo post futurus sum in cœlesti scilicet regno, felicitate & gloria, in quam per meam ascensionem intrabo, etiam illi suo tempore mecum sint, quos per a-*

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

nam electionem mihi dedisti, post mortem quidem secundum animam, post resurrectionem corpore & anima simul. August. tract. 111. in Johann. *Quantum attinet ad creaturam, in qua factus est ex semine Davidis secundum carnem, nec ipse adhuc erat, ubi futurus erat, sed eo modo dicere potuit, ubi ego sum, quo intelligeremus, quod citò ascensus in cœlum, ut jam se ibi esse diceret, ubi fuerat mox futurus.* 2. Sed potest etiam præsens tempus commodè retineri, quia in medio exinanitionis statu juxta divinam naturam jam tum cum Patre & Spiritu sancto erat in cœlesti felicitate & gloria, cujus nullam per incarnationem passus fuerat excidentiam, August. d. I. *Quod attinet ad formam Dei, in qua equalis est Patri, si secundum eam velimus intelligere quod dictum est, volo ut ubi sum ego & illi mecum sint, abscedat ab animo omnis imaginum corporaliū cogitatio. Quicquid menti occurrerit longum, latum, crassum, qualibet luce corpore à coloratum, per qualibet locorum spacia vel finita vel infinita diffusum, ab his omnibus, quantum potest, aciem suæ contemplationis vel intentionis avertat. Et non inquiratur, equalis Patri filius ubi sit, quoniam nemo invenit ubi non sit. Sed qui vult querere, querat potius ut cum illo sit, non ubique sicut ille, sed ubicunque esse potuerit &c.* Et postea. *Si ergo secundum id quod Filius Dei Deus est Patri coequalis atque coæternus, accipiamus hoc dictum, volo, ut ubi ego sum & ipsi sint mecum, in Patre cum Christo erimus. Sed ille, sicut ille, nos sicut nos, ubicunque corpore fuerimus. Si enim loca dicenda sunt & quibus non corpora continentur, & locus est cuique rei ubi est, locus Christi æternus, ubi semper est, ipse Pater est. Et locus Patris Filius est, quia ego, inquit in Patre & Pater in me est. Et in hac oratione, sicut tu Pater, inquit, in me, & ego in te. Et locus noster ipsi sunt, quia sequitur, ut & ipsi in nobis unum sint, & nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus &c. Sed quis idoneus loca ista, vel quæ sunt in locis istis sine spaciōsis capacitatibus & sine corporeis molibus cogitare?* 3. Quia divinæ naturæ Filii, juxta quam cum Patre & Spiritu sancto in medio exinanitionis statu erat in cœlesti felicitate & gloria, humana natura personaliter & indistanter erat & adhuc est unita; & quia Christus secundum humanam naturam etiam in medio exinanitionis statu gloriam divinæ majestatis, cujus visionem beatis in membro posteriore precatur, sibi communicatam habuit, ideo quando Christus orat, ut ubi ipse est, etiam illi sint cum ipso, quos Pater ipsi dedit, etiam secundum humanam Christi naturam id accipi potest, quippe quæ propter personalem unionem & divinæ majestatis hypostaticam communicationem, in Verbi *ὑποστάσις* erat cœlestis gloriæ & felicitatis particeps, unde Joan. 3. v. 13. dicit, *Filium hominis in medio exinanitionis statu esse in cœlo*, ac Scholastici dicunt, *Christum in diebus carnis suæ fuisse simul & viatorem & comprehensorem.* Augustinus d. I. *Potuit & illo modo hoc intelligi, quo antè jam dixerat loquens ad Nicodemum. Nemo ascendit ad cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui in cœlo est. Nam & ibi non dixit, erit, id est, propter unitatem personæ in qua & Deus homo est & homo Deus.* Sensus igitur erit. Non solum hoc peto, ut Apostoli & per sermonem Apostolorum in me credituri in hoc seculo & inter hujus vitæ molestias conserventur, sed etiâ ut cum perfuncti fuerint suis muneribus & vitæ hujus molestiis defuncti, cum in generatione sua voluntati tuæ servierint, Act. 13. versic. 36. cum quisque eorum

Reeeee 3

pen-

penſum ſuum in propagatione Eccleſiæ & verbi fideliter abſolverit, ad æternam cœleſtis vitæ felicitatem translati mecum ſint. Ut ſint mecum in ſumma tua dilectione, in vita beatiffima, in patria deſideratiſſima, in regno cœleſti, in conſolatione, in latitia, in gloria, qui mecum fuerunt in vita moleſtiſſima, in via laborioſiſſima, in exilio, in tribulatione, in triſtitia, in ignominia. Simon. de Caſſia lib. 12. cap. 19. *Filius petit à Patre, ut quos ſocios habuit in vita, in moribus conformes, in fide ſtabiles, in fidei operibus efficaciſſimos, in ſpe gaudentes, in caritate ferventes, ſecum habeat in æternitate conſortes.* Auguſtinus d. I. obſervat, Chriſtum non ſimpliciter dicere, ut ubi ego ſum, illi ſint, quos dediſti mihi, ſed ut mecum ſint, cum reſpectu ad præſentiam gratiæ habito non ſolum in cœlo, ſed etiam in hac vita, & in media mortuæ pii ſint cum Chriſto & Chriſtus cum piis, reſpectu autem ad præſentiam potentiæ habito etiam mali & miſeri ſint, ubi Chriſtus eſt. *Non fuit, inquit, ſatis ei dicere, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint, ſed addidit, mecum. Eſſe enim cum illo, magnum bonum eſt. Nam & miſeri eſſe poſſunt, ubi eſt ille, quoniam quicumque ubicunque fuerint, eſt & ille, ſed beati ſoli ſunt cum illo, quia beati eſſe non poterunt, niſi ex illo &c. Ac ut de re viſibili quamvis longè diſſimili qualecunque ſumamus exemplum, ſicut cæcus, etiam ſi ſibi ſit, ubi lux eſt, non eſt tamen ipſe cum luce, ſed abſens eſt à præſente: ita inſidelis atque impius, aut etiam ſi fidelis & pius, nondum tamen ad intuentium lumen ſapientiæ idoneus, etiam ſi eſſe nusquam poſſit, ubi non ſit & Chriſtus, non eſt tamen ipſe cum Chriſto duntaxat per ſpeciem. Nam hominem piè fidelem non eſt dubitandum cum Chriſto eſſe per fidem &c.* Cæterum quantum bonum ac quanta felicitas ſit eſſe cum Chriſto per ſpeciem ſive beatificam viſionem, declarat ipſe Chriſtus, quando *ἐξ ημετέρας* ſubjungit, *ut videant gloriam meam, quam dediſti mihi.* Per rō videre gloriam quidam denuò intelligunt bonum aliquod credentibus in hac vita ex divini benignitatis munere obtinens, ut videre gloriam Chriſto datam ſit fidei experimento in hac vita ſentire, quid ſit Chriſtus & quanta ſit ejus majeſtas. Sed contextus oſtendit, Chriſtum loqui de bono, quod in vita æterna fidelibus obtinetur, cum uſitatiſſimum ſit in Scriptura, vitæ æternæ felicitatem & gloriam per beatificam Dei & Chriſti viſionem deſcribi, Job. 19. verſ. 26. Pſalm. 17. verſ. 15. Pſalm. 27. verſ. 13. 1. Corinth. 13. verſ. 12. 1. Johann. 3. verſ. 2. Apocal. 22. verſ. 3. ac fidei ſive imperfectæ cognitioni in hac vita opponi. 1. Corinth. 13. verſ. 12. 2. Corinth. 5. verſ. 7. Auguſtinus tract. 111. in Johann. *Ut videant, dixit, non ut credant. Fidei merces eſt iſta, non fides.* Chriſtus igitur hoc membrum poſteriorius de viſione gloriæ à Patre ſibi datæ priori conjungit, 1. Ut oſtendat cauſam finalem perpetuæ illius converſationis beatorum cum Chriſto, quæ eſt, ut videant gloriam ipſi à Patre datam, quæ viſio etiam fruitionem includit. 1. Johann. 3. verſ. 2. 2. Ut doceat, viſionem illam fore præcipuum & maximum beatorum bonum, tum ratione objecti, quia verſatur circa Deum, qui eſt ſummum & inſinitum bonum, extra quem non eſt verum bonum, qui eſt fons omnis boni ac proinde etiam beatitudinis, & circa Chriſtum *θεοῦ πατρὸς*, tum ratione effecti, quia ex viſione Dei omnia beatorum bona unitè oriuntur ac dependent. Quemadmodum enim ex eo, quod Angeli dicuntur

ſemper videre faciem Dei, Matth. 18. verſ. 10. rectè colligitur, quod vivant in ſumma latitia ex hac viſione in ipſos redundante, quod Deum laudent & glorificent, quod myſteria divina rectè cognofcant, quod ſint in bono confirmati, quod Deo ſerviant: ita quoque ex eo, quod beati in vita æterna Deum dicuntur viſuri, rectè inferitur, quod ex illa viſione Dei dilectio & glorificatio, ſumma delectatio & exultatio, adeoque omnia reliqua corporis & animæ bona ſint oritura, ut in tract. de vita æterna §. 64. & ſeqq. fuit demonſtratum. Auguſtin. q. 114. in Genef. *Dei viſio ſummum erit beatorum præmium.* lib. de Spiritu & anim. cap. 55. *Viſio Dei eſt tota vita æterna.* 3. Ut ſignificet, ſe brevi poſt in gloriam ſuam intraturum, nec amplius in vili ſpecie & ignominioſo habitu, ſed in divina & cœleſti gloria appariturum, quæ eſt Theophylacti in h. l. obſervatio. 4. Ut innuat, ſe non in ſuum, ſed in ipſorum bonum præſentiam illorum exoptare, nec ſibi aliquid gloriæ & felicitatis ex illorum præſentia acceſſurum, ſed ipſos viſione gloriæ beatos fore. Gloria Regum mundanorum pendet à copia, ſplendore & ſubjectione miniſtrorum, quos non eo fine ſibi adjungunt, ut faciant eos gloriæ ſuæ ſpectatores, ſed ut gloriam ex illis ſibi acquirant, Chriſti vero gloria non pendet à beatorum ſervitio vel intuitu, ſed contra potius beatorum felicitas & gloria ex viſione gloriæ Chriſti pendet. Quæ verò eſt illa gloria & cujus naturæ reſpectu ea CHRISTO competit, cujus viſionem Apoſtoliſ & omnibus per ſermonem ipſorum perſeveranter credituris promittit? Chryſoſtomus homil. 81. in Johann. exponit de gloria diviniæ naturæ & ex ea argumentum Deitatis Chriſti petit. *Iterum (inquit) hoc concordia ad Patrem (& ἐμοιματίας) indicium alius quam priora, quod gloriam illam ante conſtitutionem mundi ſibi datam eſſe aſſerit. Quod ſi non ita eſt, (ſi ex datione illa gloriæ ante conſtitutionem mundi facta non poſſet divinitas Filii probari) libenter contradicentes interrogarem hoc modo: Qui dat, alicui ſubſiſtenti dat. Num ergo primum cum generavit ac deinde gloriam dedit ante in gloriam eum dimittens? & quam hoc nititur ratione? vides, quod dediſti ſi idem quod genuiſti (ubi obiter notari poteſt, erraſſe Latinum Chryſoſtomi interpretem, qui quod in Græco dicitur hanc loquendi formulam habere quandam *συγκάθεσθαι*, ſic reddidit, hoc ipſum aliquantulum ad humanam Chriſti naturam reſpicerem, quâ in parte à ſcopo & verbis Chryſoſtomi penitus diſceſſit.) Eadem eſt ſententia Theophylacti, qui in hoc loco ſic commentatur: *Sicut ſuperius dixit, gloriſica me Pater gloria, quam habui, antequam mundus eſſet: ita & nunc ante conditum mundum ſibi datam gloriam, inquit, Deitatem. Dedit enim ei revera Pater Deitatem, ut Pater Filio naturaliter. Nam quia genuit eum, neceſſario etiam gloriæ autor ſuit & ſupplicator, qui ſubſtantiæ autor dicitur.* Poſſet hæc expoſitio probari ex eo, quod Chriſtus loquatur de tali gloria, in cujus viſione beatitudo conſiſtit, jam verò Scriptura paſſim teſtatur, electorum beatitudinem in viſione diviniæ gloriæ & eſſentiæ conſiſtere. Auguſtin. tract. 111. in Johann. & alii de gloria humanæ Chriſti naturæ ſermonem eſſe ſtatuunt, argumento permoti eo, quod gloria illa dicatur Chriſto data inde atque ideo, quia Pater ante mundi conſtitutionem ipſum dilexerit. Id verò non vide-*

videtur Christo secundum divinam naturam convenire, quia Pater divinam naturam gloriam Filio dedit, non quia dilexit eum, sed quia genuit eum. Neque enim ideo ab aeterno eum genuit, quia dilexit eum: sed contra potius, quia genuit eum, ideo dilexit eum. Sed inter has expositiones non est hostilis quaedam pugna sive contrarietas. Notandum enim, quod Christo secundum humanam naturam duplex competat gloria. Primo gloria quaedam animae & corporis *habitualmente & subjective* ipsi inhaerens, quam cum beatis communem habebit, Phil. 3. v. 21. juxta *πρόιον* scilicet non juxta *πόσον*, ut Theodoret. in comm. illius loci recte monet; quia in gradu eminentiori hac gloria Christo capiti competit, quam beatis utpote ipsius membris. Secundò gloria divinæ & infinitæ majestatis, quæ per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram assumptæ humanæ naturæ obtigit, eique uni & soli præ omnibus beatis, imò præ omnibus Angelis competit, *cui enim Angelorum unquam dixit, sede à dextris meis?* Hebr. 1. vers. 13. unde etiam inter *thronum Dei*, id est, in quem Deus Christum ad dextram suam collocavit, & inter *thronum Christi*, id est, in quem Christus beatos collocabit, manifestè distinguitur, Apocal. 3. vers. 21. De hac posteriore gloria propriè & principaliter Christus hic loquitur, quamvis priorem non excludat, ut ostendit prioris sententiæ argumentum. Ea verò non est gloria quaedam realiter à divina gloria distincta, sed potius eadem, quamvis alio modo divinæ naturæ competat, *essentialiter* scilicet, per aeternam à Patre generationem, alio verò modo humanæ naturæ, *personaliter* scilicet, per hypostaticam unionem & ad dextram Dei exaltationem. Et quia hæc gloria est solius Christi propria, inde Christus non dicit, *volo*, ut habeant gloriam, quam dedisti mihi, sed *ut videant*, ne quis fortè cogitet, in hac gloria beatos Christo vel æquales vel similes futuros. Ambros. libr. 5. de fide cap. 3. *Si judicasset, quod divinam sedem dextræ divinæ, ad quam Christus evectus est, quando in gloriam suam intravit, Pater omnibus daret, dixisset: Volo, ut ubi ego sedeo, illic sedeant mecum. At, inquit, volo ut sint mecum, non sedeant mecum. Et ubi ego, non quomodo ego. Deinde sequitur, ut videant claritatem meam, nec dixit, ut habeant, sed ut videant. Servus enim videt, Dominus possidet.* Huic expositioni optimè congruit quintum & ultimum hujus versiculi membrum, in quo Christus gloriam illam, cujus visionem Apostolis & per sermonem Apostolorum in se creditur precatur, sic describit, quod Pater eam sibi dedit, quia ante constitutionem mundi, id est, ab aeterno, sive antejacta mundi fundamenta ipsum dilexerit, hanc enim esse descriptionem aeternitatis, ostendimus in cap. 165. Harm. in expositione, Matth. 25. vers. 34. Quidam hanc particulam *πρὸ καταβολῆς κόσμου* conjungunt cum verbo *ἐδόκει*. Theophyl. in. hunc locum: *Ostendit se apparitum in gloria, quam habuit ante conditum mundum. Habebam autem hanc gloriam, inquit, id quod dilexeris me. Insertum enim est, quia dilexisti me.* Probat hanc constructionem ex collatione versic. 5. ubi Christus dicit, *se gloriam habuisse apud Patrem, antequam mundus esset.* Alii verò conjungunt cum verbo *ἡγάπησας*, quod videtur simplicius. Sed res eodem redit, quia

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

Pater cœlestis Filium ante mundi constitutionem dilexit ac dedit etiam ei gloriam ante mundi constitutionem. Hoc vero membrum Christus id eò subjungit, 1. ut ostendat, se esse verum & aeternum cum Patre Deum. Si enim gloriam ab aeterno ante conditum mundum apud Patrem habuit, utique est verus & aeternus cum Patre Deus, cum ante mundum conditum nil nisi mera Deitas extiterit. Nec obstat expositioni argumentum superius productum, quod Pater divinæ naturæ gloriam Filio ab aeterno dedit, non quia dilexit eum, sed quia genuit eum. Particula enim *ἔτι* interdum non notat causam sed signum manifestativum, juxta regulam: Voculae causales, quia, quoniam &c. obtinent aliquando vim concludentium, seu sumuntur pro ratiocinativis. Genes. 22. versic. 16. 17. 1. Samuel. 2. versic. 25. Psalm. 116. versic. 10. Luc. 7. versic. 47. 1. Johann. 3. versic. 14. Sic ergo foret sensus: Dedisti mihi gloriam, talem scilicet ac tantam, in cujus visione beatitudo electorum consistit, ex quo manifestè elacet, quod ante constitutionem mundi me dilexeris, videlicet ut Filium tuum unigenitum ex substantia tua ab aeterno natum. 2. Ut doceat, sibi ut homini divinam & infinitam gloriam à Patre cœlesti esse datam. Quia enim gloriam illam, in cujus visione beatitudo consistit, quæ proinde non potest esse alia quam divina & infinita gloria, quia, inquam, gloriam illam inde atque id eò sibi à Patre datam asserit, quia Pater ipsum ante constitutionem mundi dilexerit, ideo deducit nos ad humanam suam naturam, cui Pater ab aeterno dedit, id est, dare decrevit non solum claritatem corporis glorificandi & gloriam animæ finitam *subjectivè & habitualiter* ei inhaerentem, sed etiam divinam & infinitam gloriam, quam utramque beati in vita aeterna videbunt. Quo enim sensu *regnum cœlestis* dicitur credentibus *paratum à constitutione mundi*, Matth. 25. versic. 34. ac quo sensu *gratia* dicitur *credentibus data ante tempora secularia*, 2. Timoth. 1. versic. 9. eodem sensu etiam gloria dicitur Christo hoc loco à Patre data ante constitutionem mundi, ut ostendit analogia inter caput & membra. Jam verò credentibus *regnum cœlestis* dicitur paratum à constitutione mundi & gratia ipsis dicitur data ante tempora secularia sensu eò, quod Pater cœlestis ipsos in Christo ante *jacta mundi fundamenta* dilexerit & ex dilectione ad vitam aeternam in Christo elegerit, Ephes. 1. versic. 4. & 6. unde notanter dicitur, 2. Timoth. 1. versic. 9. quod gratia illa in Christo credentibus sit ab aeterno data. Ergo etiam eodem sensu gloria Christo ante constitutionem mundi dicitur data, videlicet quod Pater ipsum ab aeterno dilexerit & gloriam ei dare decreverit, (puta secundum humanam naturam, nam secundum divinam naturam gloriam apud Patrem actu habuit ante mundum conditum versic. 5.) Sensus igitur est: Volo, ut hi, quos dedisti mihi, videant gloriam Deitatis, quam assumptæ carni univisti, ut summa cum lætitia videant gloriam, quam mihi secundum humanam naturam dare ab aeterno decrevisti, quia me ut Filium tuum unigenitum ab aeterno dilexisti; & quia juxta aeternum tuum decretum humanam naturam assumpsi, inque ea passionem & mortem pro impetranda beatorum glorificatione sustinebo, ideo eam immensè

Eccccc 4

& in-

& infinita gloria coronabis, in quam cum dilecti mei in caelis aliquando intuebuntur, summa & inenarrabili latitiam perfundentur, quo referri potest, quod videre, phrasi Hebraica interdum idem est quod experiri & frui, Ps. 27, 13. Ps. 128, v. ult. Joan. 3, 36. &c. Sic ergo Christus loquitur ut verus homo, cujus humanitas sic est à Deo Patre ab aeterno dilecta, ut divinitatem in plenitudine temporis personaliter ei unire & per exaltationem ad dextram suam in summam gloriam eam evehere ab aeterno constituerit. Juxta hanc expositionem particula *videntibus* denotat causam praecedentis membri, quia dilectio Patris est causa, quod gloria in plenitudine temporis Christo homini fuerit collata. Nec per hanc expositionem evertitur argumentum Deitatis Christi ex hoc loco petendum. Nisi enim Christus in personae unitate esset verus Deus, divina & infinita illa gloria, in cujus visione beatitudo consistit, humanae ipsius naturae communicari haudquaquam potuisset. 3. Quia Christus in v. 26. statim subjicit, *notum eis faciam nomen tuum, ut dilectio, quam me dilexisti, sit in eis*, idem ostendit, se hic loqui ut Mediatorem, quem in personae unitate verum Deum & verum hominem esse oportebat. Dilexisti me ut hominem ante mundum conditum. Ergo etiam in me ab aeterno dilexisti meos, id est, in me perseveranter credentes, eosque ante facta mundi fundamenta ad vitam aeternam elegisti, ut gloriae illius, quam mihi dedisti, non solum fierent spectatores, sed etiam coelestis felicitatis, gloriae & latitiae profuo modulo consortes. Dilexisti me ab aeterno ut caput credentium, ergo etiam in me dilexisti eos, qui per fidem sunt membra corporis mei mystici. Gloria illa, quam dedisti mihi, est evidentissimum documentum, quod ante conditum mundum ardentissimo amore me complexus fueris. Visio beatifica illius meae gloriae, quam praeparasti Apostolis & omnibus per sermonem eorum perseveranter in me credituris, itidem est certissimum argumentum, quod ipsos in me ac propter me ab aeterno dilexeris, ac sicut dilectio, quam me prosequeris, quia est aeterna, ideo etiam est immutabilis ac invariabilis: ita quoque dilectio, nos electos ad vitam aeternam prosequeris, est immutabilis, & decretum de salute ipsorum est invariabile. 4. Christus etiam hoc *προς διόπισμα* voluit distinguere visionem beatificam electorum cum aeterna latitiae & gloria conjunctam à visione externa reproborum, qua Christum judicem cum gloria venientem in die novissimo maxima cum trepidatione & dolore intuebuntur. Non enim simpliciter dicit, ut videant claritatem meam sive meae humanitatis, hanc enim etiam impii in die iudicii aliquo modo videbunt, Matth. 24, 30. Apoc. 1, 7. sed addit, *videbunt gloriam, quam dedisti mihi, eo quod dilexisti me ab aeterno*, hoc verò soli electorum oculi videbunt, gloriam enim illam Dei, quam Pater gignendo dedit Filio ante constitutionem mundi, soli electi summo cum gaudio intuebuntur. Matth. 5, 8. 1. Joh. 3, 2. Apoc. 22, 3. Aug. tract. 111. in Joan. *Quando videbimus claritatem illam Filii, profectò tunc fiet iudicium vivorum & mortuorum, tunc tolletur impius, ut non videat claritatem Dei. Quam, nisi illam, quam Deus est? Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, nec mundo corde sunt impii, propterea non videbunt. Tunc ibunt ipsi in supplicium aeternum, sic enim tolletur impius, ne videat claritatem Dei,*

*justi autem ibunt in vitam aeternam. Et quae est vita aeterna? ut cognoscant, inquit, te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Non utique sicut eum cognoverunt, qui licet non mundi corde, tamen in forma servi clarificati, judicantem videre potuerunt, sed sicut cognoscendus est à mundis corde solus verus Deus cum Patre & Spiritu sancto Filius, quia ipsa Trinitas est solus verus Deus. 5. Denique Christus argumentum aliquod suae petitionis in his verbis involvit desumptum ab aeterno Patris coelestis de electorum glorificatione decreto. Tu me ab aeterno humani generis Redemptorem & Mundi Salvatorem constituisti, ac me eo nomine dilexisti, quin & in me omnes verè & perseveranter credentes ita dilexisti, ut ad hereditatis coelestis possessionem in me eos elegeris, ergo aequum est, ut me pro illorum glorificatione orantem paternè exaudias. Colligitur autem ex h. l. 1. Quanta sit Christi aeternam beatitudinem fidelibus precantibus, & Patris coelestis eam conferentis erga nos benignitas. Non in hac solum vita nos in nomine Patris servari, sanctificari & sibi uniri expetit, sed etiam coelestis felicitatis & gloriae consortes ac individuos socios in caelo habere desiderat. Iren. l. 4. c. 28. *Dixit hoc non vanè glorians super hoc, sed gloriam suam participare volens discipulis suis.* Cyrill. lib. 11. in Joan. c. 28. *Quae oratio, quam suave sit esse cum Christo, explicabit? Ineffabilia certè sunt, nec oculus unquam vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit diligentibus se. Quid enim majus, quam esse cum Christo? 2. Quam firma & immota sit salutis nostrae certitudo. Christus, qui est ipsa veritas, credituris in se per sermonem Apostolorum beatificam gloriae suae visionem pollicetur, ac quis ergo de ea dubitandi relictus est locus? Aug. tract. 111. in Joh. Christus Jesus dicit, Filius Dei unigenitus dicit, qui Patri coaeternus & coequalis est, dicit, qui propter nos homo factus est, sed sicut omnis homo mendax non factus est, dicit, via, vita, veritas dicit, qui mundum vicit, de his, quibus vicit, dicit: Audite, credite, sperate, desiderate, quod dicit. Pater, inquit, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum &c. Omnibus prorsus ovibus suis bonus Pastor, omnibus membris suis magnum caput promisit hoc praemium, ut ubi ipse est, & nos cum illo simus, nec poterit nisi fieri quod omnipotenti Patri se velle dixit omnipotens Filius. 3. Quanta consolatio in hac promissione sit proposita. Si verè & perseveranter in Christum credimus, cum ipso aliquando in regno coelesti erimus, & gloriam ejus videbimus. Ecce igitur magnoperè conturbati velimus, si mundus ignominiam nos afficit, cum in caelo parata sit aeterna gloria; si mundus locum in terra nobis denegat, cum Christus promiserit nos secum in caelo futuros; si non habemus hic manentem civitatem, cum in omnem aeternitatem simus cum Christo futuri? Rom. 8, 17. 1. Thess. 4, 17. 2. Thess. 2, 15. &c. Aug. d. l. In magnam spem Dominus Jesus suos erigit, quam major omnino esse non possit. Audite & estote in spe gaudentes, propter quod vita ista non amanda, sed tolemenda sit, ut esse possitis in ejus tribulatione patientes. 4. Quam serium pietatis studium à fidelibus requiratur. Si in futura vita desideramus ibi esse, ubi Christus est, requiritur, ut in hac vita simus, ubi ipse est, non tam ratione loci, quam ratione affectus & desiderii, ut in virtutibus ipsi conformemur, adversa patienter toleremus, & ad coelestia toto corde aspiremus, Phil. 3, v. 21. Col. 3, v. 1. *Ubi ego sum, illic minister meus erit,* inquit**

inquit Christus, Joh. 12. v. 26. Quod si ergo in futuro seculo cum ipso esse desideramus, oportet ut in hoc seculo ipsi ministremus. 5. Quam efficaces & indubie sint Christi preces. Quod hoc loco à Patre petit, videlicet ut secum sint, quos Pater ipsi dedit, illud Joh. 12, 26. promittit. Ergo oratione sua non dubia & incerta, sed omnino certa & indubitata petit, Joh. 11, 42. Heb. 5, 7. 6. Quid præcipue ac principaliter à Deo petere debeamus, non divitias, non honores, non terrena bona, sed gratiam in præsentem & gloriam in futuro seculo. Hæc nostra debet esse cura præcipua, hoc summum desiderium, inde Christus qui à promissione æternæ gloriæ valedictorium suum sermonem inceperat, dicens: *in domo Patris mei mansiones multe sunt, in eadem promissione orationem hanc concludit, dicens: Pater, volo, ut ubi ego sum, etiam illi mecum sint, quos dedisti mihi, ut videant gloriam meam*, videlicet in domo illa tua cœlesti. 7. Quod Christus post suam in cœlos ascensionem glorificatum quidem, sed tamen verum corpus habeat, illudque in certo tempore beatorum sint quidem futura glorificata & spiritualia, interim tamen in certo tempore cum Christo futura. Quia enim fideles qui dicuntur futuri, ubi Christus est, non animam tantum, sed etiam corpore constant, ideo in his verbis simul insinuat resurrectionem mortuorum. 8. Denique quod fundamentum nostræ in precibus fiducia sit æterna & immutabilis illa Patris dilectio, quæ ante mundum conditum non solum Christum Mediatorem dilectum suum Filium, sed etiam omnes verè credentes in ipso complexus est, ac in Christo & propter Christum ad vitam æternam ipsos elegit.

3. Postquam Christus in hac tertia pericope exposuit, tum precum suarum objectum, pro quibus scilicet petit, tum earundem materiam, quod scilicet illis præcetur, jam tertio & ultimo loco subjungit rationes, propter quas illorum in precibus suis curam agat, ac preces hasce suas à Patre cœlesti exaudiri justum sit. Rationes sunt duæ, quarum prior petit à salutaris Dei & Christi cognitione. *Pater juste & mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & ii cognoverunt, quod tu me miseris.* Quidam de accurata horum verborum cum præcedentibus connexionem non esse laborandum statuunt. *Quemadmodum (inquunt) in oratione affectibus plena non omnia exactè disponuntur, ita etiam hoc loco accidit, Christus enim omnis ex serio affectu iterum exponit causam, cur Patri Apostolos commendat. Sed dubitari non potest, Christo in his verbis certum aliquem propositum fuisse scopum, quo invento de dispositione facile judicari potest.* Albertus tria exauditionis argumenta in hisce verbis contineri arbitratur, quorum primum petitum sit à necessitate ex parte mundi, quæ exposcat, ut Pater cœlestis per Apostolos mundum illuminet sui cognitione; alterum à fonte cognitionis ex parte Filii Dei, qui est primus illuminator mundi, Matth. 11. vers. 26. ut sit sensus: *Ego sum fons notitiæ in mundo, & ideo habeo propagare in alios notitiam tuam; tertium ex derivatione lucis in Apostolos orbis futuros illuminatores, ut sit sensus: Hi me revelante cognoverunt, quod tu me miseris, ut essem lumen fidei in toto mundo.* Sed concinnius est ad unum eundemque scopum hæc omnia referre. Præcipue ac principaliter Christo est propositum, rationem exponere,

Harm. Tom. III, vel Gerhard, Contin. pars tert.

propter quam petat in futura vita cœlesti gloria illos ornari, pro quibus hætenus fuerat precatus, quare tam sollicitam eorum in precibus suis curam agat, quare insuper æquum sit, preces hasce à Patre cœlesti exaudiri. Ratio illa ducta est à salutaris Dei & Christi cognitione. Respicit enim Christus ad versiculum tertium hujus capituli ac thesin generalem in eo propositam jam transfert ad hypothesein. *Hæc est vita æterna, id est, hic est unicus modus & via unica perveniendi ad vitam æternam, ut cognoscant, te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, quasi dicat: illi solum vitæ & gloriæ æternæ aliquando participes sunt futuri, qui in hac vita verè & salutariter cognoverint, & te Patrem cœlestem solum verum Deum & me in mundum missum, ut sim unicus humani generis Redemptor & mundi Salvator.* Jam vero hi pro quibus rogo, & te & me salutariter cognoverunt. Ergo æquum est, ut me pro illis precantem paternè exaudias ac gloriâ cœlesti illos in vita æterna ornes, ut mecum sint, & gloriam meam, quam dedisti mihi, videant. Minorem amplificat Christus tum ex antithesi, mundus destituitur hac salutaris cognitione, ipsi verò eâ præditi sunt; tum à causa efficiente, ergo salutaris illius cognitionis lucem in mentibus ipsorum accendi, ipsi verbum Evangelii, in quo salutaris illa cognitio mundo offertur, fide acceptarunt. Sensus igitur est. Impius & impœnitens mundus te, tuamque voluntatem in Evangelio patefactam agnoscere noluit, ego autem unigenitus tuus Filius, qui sum in sinu tuo, Johann. 1. versic. 18. ac solus te per meipsum perfectissimè novi, Matth. 11. versic. 26. salutarem tui agnitionem. Apostolos hætenus institui, & illi mihi docenti fidem habuerunt, ideo & illos & per sermonem illorum credituros tibi commendo, ut cœlesti gloriâ aliquando eos ornes. Gloss. interlin. in hunc locum. *Ideo hoc eis volo, quia hi soli de mundo te cognoverunt.* Simon. de Cassia lib. 12. cap. 19. *Ut ex audiat oculus, imò inhabitanter paternas aures introeat honesta petitio, & quod petit, tribuat sibi Pater, se suosque discipulos cum mundo comparet.* Hic est principalis Christi scopus, secundariò & consequenter in his verbis 1. causam exponit, cur mundus à cœlestis gloriæ participatione maneat exclusus. Theophylactus in hunc locum. *Postquam credentibus hæc precatus, & tanta bona eis pollicitus, dicit quiddam multæ misericordiæ & benignitatis plenum.* Pater enim inquit, *juste, ego quidem etiam omnes homines hæc bona assequi vellem, qualia precatus sum fidelibus, sed non cognoverunt te, ideo privantur bonis & gloriâ.* 2. Orationi suæ finem impositurus ostendit se commendato sibi à Patre munere in Evangelii prædicatione & voluntatis divinæ revelatione fideliter hætenus perfunctum fuisse, jamque nihil aliud restare, quam ut alteram commissi sibi muneris partem, videlicet redemptionem generis humani per suam passionem & mortem perficiendam aggrediatur. 3. Exprimit medium, per quod homines ad æternam beatitudinem pervenire possint, quod est salutaris Dei & Christi cognitio, sive quod idem est, vera in Christum fides, quam cognitionis nomine hic intelligi, superius in v. 3. expositione ostendimus. 4. Occurrit tacita objectioni.

Eccceeee 5

Post-

Postquam hactenus oraverat pro seipso, pro Apostolorum Collegio, & pro toto fidelium populo, consequens jam videbatur, ut oraret pro toto genere humano. Sed Christus hisce cogitationibus occurrens denuo monet, sibi jam non esse propositum rogare pro mundo, simul etiam causam exponit, cur non roget pro mundo sive impœnitentibus, nimirum quia verbum Evangelii, in quo salutaris Dei cognitio ipsis offertur, pertinaciter repudiant. Expendenda vero sunt singula Christi verba. Primo suavissimum nomen Patris sextâ jam vice in precibus hisce suis repetit, v. 1. 5. 11. 24. & 25. propter causas in præcedentibus expositas, ad quas specialis illa accedit, quod Christus Patrem à se cognosci dicturus, ideò præmittat nomen Patris, ut ostendat, Patrem inde atque ideò à se perfectè cognosci, quia ipse sit unigenitus Patris Filius per æternam generationem divinæ sapientiæ & essentiæ participatus, sicut etiam, Matth. 11, 26. dicit: *Nemo novit Patrem, nisi Filius*, qui ideò Patrem novit, quia est Filius. Secundo Patrem, quem in precibus suis compellat, vocat *justum*. Albertus putat, *juste posse hoc loco accipi adverbialiter*, ut sit sensus, iusto tuo iudicio factum, ut mundus à saluari tui cognitione fuerit exclusus, sicut Rom. 1. v. 21. & 24. dicitur, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Sed hoc oritur ex ignorantia textus Græci, qui solus est authenticus. Is enim evidenter docet, voculam *juste* esse nomen in casu vocandi positum. In v. 11. Patrem cœlestem Christus vocaverat *sanctum*, sanctificationem Apostolorum ab ipso petens, hic verò eum vocat *justum*, cujus rei variæ afferuntur rationes. Chrysostomus homil. 81. in Joh. hoc ideò factum statuit, ut significetur mundum non habere, unde Deum arguat iniustitiæ, quod ipsum non noverit, cum sua culpa ipsum agnoscere noluerit. Cum hac expositione ferè congruit sententia Augustini tract. 111. in Joh. *Quia justus es, ideò te non cognovit &c. Quid est enim meum cognoscere, nisi vita æterna, quam mundo damnato utique non dedit, reconciliato dedit? Propterea itaque mundus te non cognovit, quia justus es, & meritis ejus, ut non cognosceret, tribuisti. Et propterea mundus reconciliatus cognovit, quia misericors es, & ut cognosceret, non ejus merito, sed gratia subvenisti*. Cyrill. lib. 11. in Johan. c. 29. justitiam Patris ideò prædicari statuit, quia missio Filii, cujus hic fit mentio, ad genus humanum redimendum, & diabolus eorum hostem puniendum spectet. *Voluntate Patris (inquit) factus homo Filius est, ut natura hominum per Spiritum sanctificata, & Deo conjuncta in superioribus habitet mansionibus. Creatus enim homo est ab initio non ad malum, sed ad bonum. Ad improbitatem autem diaboli artificio depulsus, non injuria à justo Patre relevatur (ita enim legendum, non revelatur) & à peccatis detrusus ad primam imaginem reparatur. Jure autem etiam, qui violare imaginem Dei ausus est, id est, diabolus plebitur &c. Hec ad Patrem dicebat, quasi gratias pro nobis agens, quoniam per justitiam suam salutem cupiditate lapsis attulit & diabolus condemnavit. Euthymius eò respectu haberi putat, quod Pater non à Sotis Judæis, sed ab omnibus hominibus agnoscere vult, ut omnes salvi fierent. Quidam putant, Patrem ideò hic vocari justum, quia Christus petat fidelibus suis æternam retributionem, que est actus justitiæ, 2. Thess. 1. v. 6. & 7. 2. Tim. 4. v. 8. Hebr. 6. v. 10. Jac. 1. v. 12. Sed*

circa hanc expositionem, si quis eâ uti velit, notandum, quod passionibus & bonis operibus propter æterna reddantur præmia non ex justitia *stricta*, sed ex justitia *misericiordiâ temperata*, non ob dignitatem vel meritum aliquod operum, sed quia imperfectio & immundities illis adhærens merito Christi tegitur, quod est misericordiæ; & quia promissionem gratuitam Deus edidit, quod bona opera renatorum non solum temporalibus, sed etiam æternis præmiis afficere velit, quod promissum ipso actu præstare est justitiæ, illius scilicet quæ respicit *promissionis veritatem* non autem operum *dignitatem*. Huic sententiæ affinis est ea, quod Christus Patrem hoc loco ideò vocet *justum*, quia salus credentium æterna non tantum Dei *misericiordiâ*, sed etiam *justitiâ* nititur, tum quia Christus vitam æternam credentibus caro precio promeruit, cujus justitiæ cum per fidem credentibus imputetur, ideò etiam jus illud, quod Christus passione sua acquisivit, ipsis donatur, proinde non convenit justitiæ, ut Deus peccata in credentibus justitiam Christi fide sibi applicantibus puniat, cum morte Filii ea sint expiata, tum quia vita æterna credentibus in Christum est promissa, jam vero quod promissum vi veracissimæ promissionis dari æquum est, & justum, quamvis promissio ipsa sit gratuita, atque hac ratione beneficium promissum gratis detur. Ex his rationibus quædam utiliter huc applicari possunt, cum eæ sibi invicem non adversentur, sed subordinentur. Deus enim justus est, tum *sensu legali*, quia reddit unicuique secundum opera sua, tum *sensu Evangelico*, quia credentes in Christum reputat justos. Quare cum Christus hoc loco discrimen faciat inter mundum pertinaciter contemnentem Evangelium, & inter Ecclesiam fide illud recipientem, convenienter Patri tribuit nomen justum, tum *sensu legali*, quatenus ex ordinæ justitiæ contemtores Evangelii in cœcitate sua relinquit, ac pœnam æternæ damnationis ipsis irrogat, tum *sensu Evangelico*, quatenus juxta gratuitam suam promissionem fideles temporalibus & æternis præmiis ornat, ac jure adoptionis cœlestem hæreditatem ipsis distribuit, quæ sunt verba Brentii in h. l. Interim simplicissimum videtur, nomen *justi* hic accipi positum pro misericordiæ, quia prædicat dilectionem Patris erga se Mediatorem & credentes. Justitiam enim Dei, quandoque in Scripturis poni pro misericordia patet ex Psalm. 31. versic. 2. Psalm. 51. versic. 16. Psalm. 143. versic. 1. Daniel. 9. versic. 16. ut sit sensus. *Miserericors & benignissime Pater*, lieber frommer Vater. Syrus addidit affixum *אב, mi Pater*. Item pro *sancto*, quia justitia universalis est rectitudo voluntatis, quæ Deus immutabiliter vult bonum, & nihil vult nisi bonum, ut sit sensus. *Sancte Pater*, qui es fons omnis justitiæ, regula æquitatis & mensura totius rectitudinis. Tertio amplificat fidem eorum, pro quibus orat ab *antichristi*. *Et mundus te non cognovit*. Copulativam & plerique statuunt, more Hebræico hic abundare, unde vulgatus Interpres eam omiserit. Aug. in Ps. 4. *Familiares est illi lingue, quæ à Propheta locuti sunt, ut conjunctione utatur, cum nihil præcesserit annectendū*, Exod. 12, 15. Ruth. 1. 1. Joh. 6, 5. 1. Joh. 13, 3. Sed manifestum est attentò lectori, eam h. l. latentem quandam vim orationi afferre & vehementem affectum exprimere, unde Syrus eam retinuit. Potest

Potest enim exponi vel *intense*, quia apud Hebræos interdum ponitur pro *etiam*, Exod. 12. 4. Prov. 24. v. 27. Esa. 24. 22. vel *adversative*, quia apud Hebræos interdum ponitur pro *quamvis* Jerem. 31. v. 35. Hof. 5. v. 2. Zach. 12. v. 3. Scopus enim Christi est, eorum, pro quibus orat, cognitionem sive fidem commendare, quod mundo nec cognoscente nec credente, ipsi tamen cognoverint ac crediderint. Sensus igitur erit. Quamvis mundus te non cognoverit, ego tamen te cognosco & mei tamen te cognoscunt, igitur merito sollicitam illorum curam in his precibus meis ago, ac celesti gloriâ eos à te ornari peto. Magnum est, quod toto mundo non credente, imo renitente & persequente credunt, quod nec mundi illecebris, nec furoribus & minis, nec exemplo patientur se à te avelli vel permoveri, ut Evangelium meum repudient, ideo æquum est, ut eos tibi commendatos habeas ac gloriâ meâ spectatores facias. Inter tot incredulos credere, in tanta mundi cœcitate videre, in tanto mundi furore sapere, amore & præmio dignum est. *Mundi* nomine quidam intelligunt incredulos Judæos, Joh. 11, 18. sed rectius generaliter accipitur pro impenitentibus & incredulis, ac pertinacibus Evangelii contemtoribus, cum credentes in Christum non solum ab incredulis Judæis, sed etiam à toto impiorum in mundo confortio his verbis separentur, unde Cyrill. libr. 11. cap. 29. rectè dicit, per *mundum* intelligi eos, qui Evangelicæ prædicationi adversantur. Verbum *ἐγὼ* ponitur in significatione præsentis pro *ἡμεῖς* sicut etiam apud Latinos verbum *novi*. *Mundus te non cognovit*, ut te sciat & in te credat. Multa autem complectitur Christus, quando mundo cognitionem Patris cœlestis derogat: 1. *Mundus te non cognovit*, id est, cognoscere noluit, cum tamen ex creaturis aliqualem, & ex verbo Evangelii à me prædicato salvificam tui cognitionem haurire potuisset, Rom. 1. v. 19. 20. 2. Quamvis quidam eorum, qui sunt de mundo, ad aliqualem tui cognitionem aspiraverint, tamen quia verbum Evangelii à me prædicatum repudiârunt, ideo cognitio illa non est perfecta, nec ad salutem sufficiens. *Gentiles cum cognovissent Deum, tamen non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed per horrendam idololatriam mutârunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, Rom. 1, 21. & 23. Judæi cognoverunt Deum esse unum, sed quia ex verbo Evangelii agnoscere noluerunt, tres esse distinctas unius divinæ essentiae personas, ideo nec illi verè salutariter Deum agnoverunt. 3. *Mundus te non cognovit*, quia me Filium tuum, sine quo Pater non agnoscitur, persequitur, non agnoscit nec credit me esse à te missum, ut sim humani generis Redemptor & mundi Salvator, non agnoscit tuam erga me dilectionem, quod dilexeris me ante mundum conditum. Jam verò in eo consistit vita aeterna, ut cognoscant non solum te verum Deum, sed etiam eum, quem misisti, *JESUM CHRISTUM*, Joh. 17, 3. &c. Hanc *ἀγνωσίαν* in mundo accusari patet ex membro opposito. *Illicognoverunt, quod tu me miseris*. 4. *Mundus nec Patrem nec jussum te esse cognovit*, hoc est, nec bonitatem tuam in Evangelio manifestatam fide amplectitur, nec judicium tuum in lege revelatum timet, sed hæret in supina securitate. 5. *Mundus non ita te cognovit, ut te colat, tibi serviat & grata obsequia*

præstet, sed totus positus est in maligno, 1. Joh. 5, 19. servit diabolo, qui est Princeps mundi, Joh. 14. vers. 30. 6. *Mundus hujus ἀγνωσίας & excoecationis, non temporales solum, sed etiam aeternas aliquando luet pœnas*. Factum enim justo tuo judicio, ut ejus amitteret cognitionem, cujus noluit recipere dilectionem, ac ejus perderet auxilium, cujus pertinaciter sprevit consilium. Fiet insuper justo tuo judicio, ut mundus ex tenebris illis cœcitatibus ruat in aeternas inferni tenebras. Cum enim non sit in numero eorum, qui te & me salutariter cognoscunt, ideo non est in numero eorum, quos dedisti mihi, ac consequenter etiam non erit in numero eorum, qui ubi ego sum, mecum erunt & gloriam meam, quâ dedisti mihi, videbunt. Hæc omnia Christus complectitur, quando dicit, *Pater jusse & mundus te non cognovit*. Idem enim agit, quod etiam Matth. 11, 24. jam antè egerat, ubi dixerat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis*. Cyrillus in h. l. Hæc ad Patrem dicebat, quasi gratias pro nobis agens.

Quarto exprimit fontem & originem salutaris *ἀγνωσίας* in credentibus. *Ego autem cognovi* sive *novi te*. Nam & hic *ἐγὼ* ponitur in significatione temporis præsentis, Joh. 8, 55. *Ego sciam novi* sive cognosco, *cognitum habeo Patrem, & sermo sermonem ejus*. Quamvis mundus nec te nec me cognoscat, ego tamen te novi & quidem perfectissimè novi, quod sim ab aeterno ex tua substantia genitus, novi, quod dilexeris me ante mundum conditum, novi, quod miseris me in mundum ad Evangelium prædicandum & genus humanum redimendum, nec solum theoreticè te novi, sed etiam spontaneâ, promptâ & sanctâ obedientia in opere redemptionis tibi obsequor, Joh. 14, 31. *honorifico te Patrem meum*, Joh. 8. v. 49. *& quæ tibi placita sunt, facio semper* v. 30. Idem ergo Christus hoc loco docet, quod Matth. 11, 26. jam antè docuerat. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Quod enim Christus eâ ratione Patrem à se cognosci dicat, ut ejus cognitionem aliis communicet, patet ex versu immediatè sequente. *Et notum eis feci nomen tuum, & notum faciam*. Scopus igitur in his verbis Christo is propositus est, ut fontem & originem salutaris & salvificæ Dei cognitionis in credentibus aperiat, unde non simpliciter dicit. *Mundus te non cognovit*, illi verò pro quibus rogo, te cognoverunt, sed medio loco interferit, *Ego autem te cognovi*. Ostendit igitur, se esse Mediatorem, per quem salutaris Dei cognitio hominibus communicetur, ac duos cognitionis illius ponit gradus, quod primum ipse cognoverit Patrem, ac deinde cognitionem illam credentibus communicaverit.

Denique quinto exponit eorum, pro quibus rogat, fidem & fidei illius objectum adæquatam. Et ii cognoverunt, quod tu me miseris. Per τὰς ἑτάς plerique intelligunt solos Apostolos, quos peculiariter sibi à Patre datos esse dixerat vers. 6. quod de illis in v. 24. præcedente repetit, quos à mundo separaverat v. 9. & 14. quod etiam facit in hoc v. 25. quibus nomen Patris manifestaverat, vers. 6. quod ipsum de illis subjicit in vers. 26. sequente. Censent igitur, Christum in ultimis hisce tribus versiculis de solis Apostolis agere ac postquam pro credituris per sermonem Apostolorum oraverat, denuo se ad preces pro Apostolis fundendas convertere. Sed

Sed hanc sententiam approbare non possumus, cum per eam insignis illa consolatio, quae in his verbis omnibus verè in Christum credentibus proponitur, non mediocriter labefactetur. Concedimus quidem, Christum etiam hic de Apostolis loqui, sed negamus de solis Apostolis ipsi sermonem esse, ut evidenter patet ex toto contextu. Christus enim adhuc versatur in precibus, quas fundit pro omnibus per sermonem Apostolorum in se credituris, v. 20. quibus ut in v. 21. 22. & 23. gratiam in hac vita, ita in v. 24. 25. & 26. gloriam in futura vita precatur. Nec potest contrariū ex adductis argumentis evinci. Nam primò, quod illos, pro quibus orat, sibi à Patre datos esse asserit, illud non accipiendum est de datione per electionem & vocationem ad Apostolatam, quo sensu hæc phrasia accipitur in v. 6. sed de datione per electionem ad vitam æternam, quo sensu hæc phrasia accipitur in v. 2. Secundò non esse de mundo ita competit Apostolis, ut sit illis cum omnibus verè in Christum credentibus commune. Tertiò Christus id eò in v. 26. subjicit, se non solum jam antè nomen Patris cœlestis illis, pro quibus orat, notum fecisse, sed etiam porro illud notum ipsis facturum, ut eo ipso ostendat, se hoc loco non agere de solis Apostolis, quibus immediatè in propria persona Evangelium manifestaverat, sed etiam de omnibus credentibus ad finem usque mundi victuris, quibus mediatè per sermonem Apostolorum nomen Patris cœlestis erat manifestaturus. Nimirum agit hic Christus de Apostolis, sed quatenus considerantur ut seminarium totius Ecclesiæ N. T. & universales Evangelii præcones in toto mundo. Ac quemadmodum Christus se tanquam caput cum omnibus verè credentibus conjungit, ita Apostolos & omnes verè credentes tanquam unius corporis mystici membra complectitur, ac utrosque simul in precibus hisce suis Patri cœlesti commendat, cum omnes, Christum à Patre missum esse cognoverint, id est, crediderint (quo modo verbum *γινώσκω* in toto hoc capite accipitur vers. 3. 7. 8. 23.) Adjectum illum *προσδιόρισμόν ὅτι σὺ μὲ ἀπέστειλεις* Augustin. tract. 111. in Joh. accipit in sensu causali. Ideo te cognoverunt, quia tu me misisti, ergo ex gratia cognoverunt. Sensus igitur foret. Non ex natura vel proprii ingenii viribus ad salutarem illam tui cognitionem pervenerunt, sed inde atque ideo te cognoverunt, quia tu me misisti in mundum, ut doctrinam Evangelii prædicarem, & in ea tuam essentiam & voluntatem hominibus manifestarem. Sed rectius accipitur in sensu obiectivo. Cognoverunt, quod tu me miseris, quod sim promissus & jam exhibitus Messias, ex tua substantia ab æterno genitus & in plenitudine temporis homo factus, divinam auctoritatem in mundum missus, ut sim humani generis Redemptor & mundi Salvator, quæ omnia missionis nomine comprehendi superius ostendim⁹. Quoties enim Christus in hoc valedictorio sermone & in hisce precibus à discipulis cognitum esse dicit, ὅτι quod Pater ipsum miseris, semper illud accipitur obiectivè sive *εἰδικώς*, Johann. 16. v. 27. & 30. cap. 17. v. 8. & 23. Colligitur autem ex his verbis 1. ex bonitate Dei *Φιλανθρωπίαν* & ex *Φιλανθρωπίαν* omnia beneficia spiritualia & cœlestia credentibus collata unice descendere, unde Christus pro salute cre lentium orans Patris *justitiam*, id est, misericordiam & bonitatem prædicat. 2. Deum esse &

manere justum ac sanctum, etiam si mundus eum non cognoscat, sed in cœcitate sua pereat. 3. Mundum totum esse meras tenebras, meram caliginem ac cœcitatem. Christus enim hic ejusmodi descriptionem mundi tradit, quod non noverit Patrem, quia Filium non novit nec honorat, sed repudiat, verbum ejus repudiando, Joh. 5. v. 23. & quia *totus in maligno positus est*, 1. Joh. 5. v. 19. nec servat *ejus mandata*, 1. Joh. 2. v. 3. & 4. Est autem duplex mundi cœcitas *ἐμὸν & ἐπιτοῖν*, quarum utraqve salutari Dei & Christi cognitioni opponitur. Filius est summa lux, Joh. 1. v. 4. mundus verò tenebræ, quid ergo mirum, quod tenebræ non comprehendunt lucem? v. 5. 4. Filium Dei Patrem suum perfectè cognoscere & noticiam ejus in luce Evangelii hominibus offerre, Matth. 11. vers. 26. proinde veram & salutarem Dei agnitionem non nisi ex verbo Evangelii peti posse ac debere. Cyrillus lib. 11. cap. 30. *Verbum & consilium & sapientia Patris cum sit, profunda genitoris naturaliter novit, sicut & mens humana ea, que in ipsa sunt, ignorare non potest. Revelat autem Pater Filium, & Filius Patrem.* 5. Cognitionem veri Dei pendere à cognitione Christi Mediatoris, quia cognoverunt, quod me miseris, ideo etiam te cognoverunt, inquit Christus. Posterior ratio, propter quam Christus gratiam & gloriam credentibus se petere dicit, desumpta est ab uberiori sui manifestatione. *Et notum eis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, quæ dilexisti me, sit in ipsis, & ego in ipsis.* Scopus principalis est exponere rationem, propter quam æquum sit verè credentes gratiâ & gloriâ donari, ac preces has pro ipsis suas à Patre exaudiri, quia scilicet nomen Patris ipsis notum fecerit, & porro etiam notum facturus sit. Quibus enim nomen Dei notum factum, id est, qui ad salutarem & salvificam Dei cognitionem aspirarunt, ac quibus nomen illud etiam porro notum fiet, id est, qui in salutari illa agnitione majora subinde incrementa capient, illos æquum est à Patre in hac vita benignè conservari, & in futura vita glorificari. Præter hanc principalem etiam alia possunt dari connexionis rationes: 1. Dixerat Christus, illi, pro quibus rogo, cognoverunt, quod tu me miseris. Ut ergo significaret, ipsos hanc salutarem cognitionem non habere à seipsis vel à natura, ideo subjicit. *Ego eis notum feci nomen tuum*, quasi dicat ideo illud cognoverunt, quia ego eis notum feci. Particula enim *καὶ* sæpè usurpatur causaliter pro *quia*, etenim, Genes. 20. v. 4. Ps. 60. v. 12. Es. 53. v. 11. Zach. 2. v. 4. &c. Ostendit igitur, quo fine cognitioni credentium illud præmiserat, *Ego cognovi te*, nimirum ut fontem & originem salutaris illius cognitionis in Apostolis ostenderet. 2. Dixerat Christus, *Ego te cognovi, & in te cognoverunt*. Ne quis igitur existimet, discipulos in cognitione Dei esse Christo æquales, ideo addit, *Ego notum eis feci nomen tuum*, quasi dicat ego cognovi per naturam, illi per gratiam; ego cognovi per essentiam communicationem, illi per meam manifestationem. 3. Occurrit insuper Christus tacite objectioni ac imperfectionis tentationi. Non inficior, cognitionem ipsorum adhuc esse infirmam & imperfectam, sed ego ipsis porro notum faciam nomen tuum, ut cognitio & fides ipsorum majora subinde capiat incrementa. 4. Inest etiam his verbis argumen-

mentum ab officio Christi ductum. Misisti me in mundum eo fine, ut officio Doctoris fungar. Eo fideliter hactenus functus sum, *notum eis feci nomen tuum*; eo etiam in posterum fideliter functurus sum, *notum eis faciam nomen tuum*. Jam verò ad fidelis Doctoris officium inter cetera etiam hoc pertinet, ut pro auditoribus ac discipulis suis roget, quòd dum facio, non dubito, quin me pro ipsis deprecantem paternè sis exauditurus. Cùm eo fine in mundum me miseris, ut salutarem tui notitiam hominibus impertiar, ideò etiam *notum eis feci nomen tuum*, & porrò *eis notum illud faciam*. Tuum erit, me pro illis, quos ad tui cognitionem tuo iussu & mandato perduxì, sollicitè precantem benignè exaudire. Expendenda verò sunt singula membra hujus ultimæ rationis. Primo exponit Christus, quid hactenus fecerit. *Et notum eis feci nomen tuum*. Per *τὸς αὐτῶς*, plerique denuò solos Apostolos intelligunt, quibus in scholam suam & familiare consortium afficit Christus peculiariter nomen Patris manifestaverit. Sed paulò antè ostendimus, Christum non solum pro Apostolis, sed etiam pro omnibus per sermonem Apostolorum credituris adhuc orare. Illis ergo dicit se notum fecisse nomen Patris, 1. quia Apostoli, quibus nomen Patris notum fecit, fuerunt seminarium totius Ecclesiæ N. T. ac proinde in persona Apostolorum etiam reliquis per sermonem Apostolorum credituris nomen Patris notum à Christo fuit factum. 2. Quia Christus non solis Apostolis, sed etiam aliis verbum Evangelii prædicavit, & quia per prædicationem illam multos ad fidem perduxit, ideò pro illis etiam hoc loco orat, monuimus enim superius futurum *τῶς εὐσεβῶντων* in v. 20. etiam includere significationem temporis præsentis. Quid per *nomen Patris*, quod se fidelibus suis notum fecisse asserit, intelligendum sit, superius in explicatione v. 6. latè fuit expositum, hoc loco illud duntaxat monendum, quod per verbum *ἐγὼ εἶπα* non tantum exterior verbi prædicatio, sed etiam prædicationi illi conjuncta interior per Spiritum sanctum illuminatio sit intelligenda. Christus enim multis notum fecerat nomen Patris sui, pro quibus tamen hoc loco non orat, quia scilicet per illam notificationem non fuere ad interiorum & salutarem Patris cognitionem perducti.

Secundò exponit, quid porrò facturus sit. *Et notum faciam*, scilicet nomen illud tuum. Augustinus tract. 111. in Joh. accipit de manifestatione intuitiva ac beatifica, quæ sequetur in vita æterna. *Notum feci per fidem, notum faciam per speciem*. *Notum feci cum sine peregrinantibus, notum faciam sine sine regnantibus*, quæ verba, ut solet, repetit glossa interlinearis. Et sanè non negamus manifestationem illam, qua Christus nomen Patris sui creditibus notum facit, non tantum ad hanc, sed etiam ad futuram vitam pertinere, imò in futura vita suum accipere complementum, interim non debet excludi manifestatio, quæ fit in hac vita, de qua propriè hic Christus loquitur, & absq; quâ nemini perfecta cognitio in vita æterna obtinet. Chrysost. & Euthymius exponunt de notitia, quæ Apostolis in die Pentecostes per visibilem Spiritus sancti effusionem contigit, ut sit sensus. Exposui hactenus dilectis meis Apostolis doctrinam de tua essentia, & voluntate, manifestavi ipsis omne consilium tuum

de redemptione & salute humani generis, ac porrò etiam ampliorem & uberiorem nominis tui cognitionem ipsis impertiar & fidei lucem in illis augebo, quando ad dextram tuam collocatus Spiritum sanctum ipsis misero. Hanc expositionem non improbamus, interim duo illi addenda esse monemus. Primum est, quod non debeat excludi manifestatio nominis divini, facta Apostolis ante Christi in cælos ascensionem, & Spiritus sancti effusionem. Nam per quadraginta illos dies inter Christi resurrectionem & ascensionem interjectos non solum *seipsum vivum eis demonstravit in multis sermonibus*, sed etiam locutus est eis de regno Dei, Act. 1. v. 3. quin & per insufflationem dedit eis Spiritum sanctum interiorum cœlestis veritatis Doctorè, Joh. 20, 22. & aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. 24, 45. Dionys. in h. l. *Notum faciam post resurrectionem, cum per insufflationem & ignearum linguarum apparitionem infudero eis Spiritum sanctum ad intelligendum Scripturas ac mysterium Trinitatis, clarissimè verò seu per speciem notificabo te eis, cum ad Patriam perducentur*. Alterum est, quod hæc verba non debeant accipi *exclusivè* de notificatione solis Apostolis per Spiritus sancti effusionem facta, sed *inclusivè* de notificatione per Apostolorum sermonem etiam aliis conferenda, ut sit sensus: Non tantum Apostolis hisce meis *notum faciam nomen tuum*, sed etiam per ipsorum ministerium, ac sermonem in toto mundo illud manifestabo, ac per Spiritum sanctum in cordibus hominum ero efficax, ut ex verbo Evangelii te salutariter agnoscant, & in agnitione illa subinde magis proficiant. Albertus in h. l. *Notum eis faciam nomen tuum per Spiritum sanctum, quem à te eis mittam, ut sic per eos toti mundo notum fiat*.

Tertiò exponit *finem & consequens* illius manifestationis, tum factæ, tum porrò faciendæ. *Ut dilectio, quâ dilexisti me, sit in ipsis, & ego in ipsis*. Quidam putant hæc ideò à Christo asserri, ut exhibeant novum petitionis argumentum. Ideo peto illos in unitate conservari, & gloriâ cœlesti ornari, ut per fidem aliquo modo percipiant dilectionem, qua in me dilecto tuo Filio ipsos complecteris, & ut *per fidem in cordibus ipsorum habitem*, Eph. 3, 17. Sed rectius dicitur, Christum his verbis exponere finem & consequens salutaris illius, de qua egerat, manifestationis, *ideò eis notum feci, ac porrò etiam notum faciam nomen tuum, 1. Ut dilectio, quâ me dilexisti, sit in eis*, id est, ut cum notitia nominis tui etiam dilectio tua per me dilectum tuum Filium ad ipsos derivetur, ut per manifestationem illam tui nominis ad veram fidem perducti, in me dilecto tuo Filio etiam ipsi, ut filii adoptivi, diligantur, ut quantò illi te uberiùs ac intimiùs cognoverint, eò magis à te, ut filii diligantur, quemadmodum etiam me, ut Filium tuum unigenitum ardentissimè diligis, ut in cordibus suis sentiant caritatem illam tuam incomprehensibilem, quâ non me solum, sed etiam ipsos in me ac propter me diligis. In Græco est, ut *ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με* sit in eis, quod positum *ἐλλειπτικῶς* pro *καθ' ἣν* sive *ἡ ἠγάπησάς με*, Marc. 4, versic. 41. 2. Timoth. 4, versic. 7. Notandum verò primo, quod cùm Christus dicere potuisset, ut diligas eos, sicut me diligis, quomodo in v. 23. locutus fuerat, jam stylum aliter informet, & non sine singulari mysterio dicat, *ut dilectio, quâ dilexisti me, sit in eis*. Significat enim, quod quandò Deus

Deus credentes diligit, tunc ipsa dilectio, quæ est Spiritus sanctus, sit in dilectis à Deo. Sicut Rom. 5. v. 5. quod *caritas Dei sit effusa & diffusa in cordibus credentium per Spiritum sanctum ipsis datum*, in quæ verba Ambrosius sic scribit: *Pignus caritatis habemus in nobis per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Dionysius in h. l. Certum est, quod dilectio Dei sit ipse Deus diligens, verumtamen Pater dicitur diligere Filium Spiritu sancto. Sensus igitur est, ut dilectio, quæ me diligis, id est, tu ipse me diligens vel Spiritus sanctus, quo diligis me, sit in ipsis per lumen gratiæ in præsentibus & per lumen gloriæ in futuro seculo. Secundò quod Christus hic non loquitur de generali, sed de speciali Patris cœlestis dilectione, quæ emphaticè dicit, *ut dilectio, quæ me dilexisti, sit in eis*. Jam verò dilectio illa, quæ Pater Filium complectitur est specialis, imò singularis dilectio, ac inter dilectionem Dei generalem & specialem hoc discriminis præter reliqua, intercedit, quod illà Deus non sic diligit, ut ipsam dilectionem communicet, sed hac videlicet speciali dilectione ita diligit, ut ipsam dilectionem dilectis suis conferat, unde Apostolus, 1. Joh. 3. v. 1. non dicit: *Videte quali caritate Pater nos dilexerit, sed qualem caritatem Pater nobis dederit*. Tertiò quod Christus non dicat, ut *caritas tua sit erga eos*, sed *in eis*. Antequam fideles Deum cognoscunt, & in Christum credunt, caritas Dei est erga illos, sed nondum in eis. Is enim *dilexit eos in Christo ante jacta mundi fundamenta*, quamvis ipsi talem Dei amorem, neque cognoscant, neque ab effectibus sentiant. Sed cum demum amor ille Dei incipit esse in fidelibus, cum illum agnoscunt, & per Spiritum sanctum caritas Dei in cordibus ipsorum diffunditur, Rom. 5. v. 5. Quartò quod Christus ideò dicat dilectionem Dei esse in credentibus, quia non solum à Patre cœlesti diliguntur, sed etiam ab eo se diligere sentiunt, & vivum suavitatis divinæ gustum in cordibus suis percipiunt. Theophylactus in h. l. *Ut dilectio, quæ dilexisti me, sit in eis per cognitionem, h. e. ut agnoscant quali & quantà me dilexeris caritate* (& in me etiam ipsos) inde verè credentes sic describuntur, quod *gustent donum cœlestis & participes facti sint Spiritus sancti, quod gustent bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi*, Hebr. 6. v. 4. & 5. Per hunc efficacem & vivificum divinæ dilectionis gustum dilectio Dei est in cordibus credentium. Quintò quod per dilectionem Dei, quippe quæ non est frigida, sed ardentissima; nec otiosa & inefficax, sed actuosissima & maximè benefica, juxta phrasin Hebraicam, quæ per gratiam interdum intelliguntur charismata ex gratia data, simul intelligantur beneficia ex dilectione in dilectos collata, per quæ itidem dilectio Dei est in credentibus, id est, credentes ex beneficiis illis colligunt, se à Deo diligere. Sensus igitur est, ideò illis *notum faciam nomen tuum*, ut cum per hanc manifestationem ad veram fidem perducti fuerint, *omni benedictione in me dilecto tuo Filio ipsis benedicat*, Eph. 1. v. 3. ut ipsis operibus declares, quod ardentissimo amore ipsos prosequaris, sicut operibus declarasti, quod ardentissimo amore me prosequaris, ut universa dona, quæ mihi Mediatori ex paterna dilectione communicasti, etiam ad eos per me deriventur. Sextò, quod ex vivifico dilectionis divinæ sensu & ex spiritualium beneficiorum collatione ab hoc dilectionis fonte originem ducente in cordibus credentiū exurgat amor reci-

procus, & summum desiderium faciendi ea, quæ sunt Deo grata, & sufferendi ea, quæ ex dilectione immitit, & quæ pro gloria divini nominis in prædicatione Evangelii & propagatione Ecclesiæ toleranda veniunt. Quando ergo Christus dicit, *notum faciam nomen tuum, ut dilectio, quæ dilexisti me, sit in eis*, simul etiam hoc complectitur, quod futurum sit, ut Apostoli & reliqui credentes in corde suo sentientes se tantoperè à Deo diligere omnia patienti ac læto animo toleraturi sint, quæ pro ratione vocationis & officii ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem ipsis toleranda veniunt. Septimò Christus cognitionem & dilectionem arctissimo nexu conjungit, ut ostendat, dilectionem esse effectum, & consequens salutaris cognitionis. Ideò eis *notum faciam nomen tuum*, ut sicut ego & ipsi similes sumus in tua cognitione, ita quoque similes simus in dilectione, ut sicut me tanquam Filium, cui perfectè cognitus es, diligis: ita quoque ipsos, qui itidem me revelante te cognoverunt, paterno amore tanquam filios diligas. Octavò, Christus arctissimo & individuo nexu conjungit dilectionem, qua Pater cœlestis Filium suum unigenitum tanquam Mediatorem constitutum diligit, & qua credentes in Filium Mediatorem diligit, eo ipso ostendens, quod credentes à Deo, non nisi in Christo diligantur, tanquam membra corporis illius mystici, cuius caput est Christus. Augustin. tract. 111. in Johann. *Quomodo dilectio, quæ Pater dilexit Filium, est etiam in nobis, nisi quia membra ejus sumus, & in illo diligimur, cum ipse diligitur totus, id est, caput & corpus?* Nonò non tamen omnimoda æqualitas & absoluta paritas, sed similitudo illius dilectionis, qua Pater credentes complectitur, cum dilectione illa, qua Filium complectitur, hac collatione significatur, qua de re in expositione v. 11. & 22. latè egimus. Ut enim inter unitatem, qua Pater cum Filio est unum essentialiter, ac inter unionem, qua Pater credentes in Christum sibi unit spiritualiter, est quoddam discrimen, ita quoque inter dilectionem, qua Pater Filium sibi cœsentialem diligit per naturam, & inter dilectionem, qua credentes in Christum diligit per gratiam, differentia aliquid intercedit. Ac ut in filiatione & cognitione credentes non sunt Christo æquales, ita quoque in dilectione, qua à Patre diliguntur, non sunt Christo æquales.

2. Et ego in ipsis scilicet sim. Augustinus hoc exponit causaliter. Ideò (inquit) *subjunxit, & ego in ipsis, tanquam diceret, quoniam ego sum & in ipsis. Aliter enim est in nobis tanquam templo suo, aliter autem, quia & nos ipse sumus, cum secundum id, quod ut caput nostrum esset, homo factus est, corpus ejus sumus*. Præbet hæc expositio utilem doctrinam, quod specialis Dei dilectio sit beneficium propter Christum Mediatorem credentibus obtinens, sicut Apostolus dicit, Ephes. 1. v. 6. *ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγιασμένῳ*. Sed simplicius est, hoc posterius & ultimum membrum æquè ac prius accipere *τελειῶς & ἐκβατικῶς*, ut vocola *ἵνα ὁπὸ κοινῆς* ex præcedentibus repetatur. Ideò eis *notum faciam & notum faciam nomen tuum, ut non solum dilectio, quæ dilexisti me, sit in eis, sed etiam ut ego ipse sim in eis*. Hoc membrum adjicit Christus, ut doceat 1. quod non solum sua bona, sed etiam se ipsum nobis communicet, sicut dicit, Joh. 14. v. 23. *Si quis sermonem meum servabit, Pater meus diliget eum, & ad*

& ad

Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, ubi itidem Patris dilectio & gratiosa Filii inhabitatio conjunguntur. Sensus igitur est: ideò notii illis faciam nomen tuum per verbum & Spiritum sanctum, ut per tuam agnitionem, h. l. per fidem in cordibus ipsorum habitent, Eph. 3. v. 17. ipsique beneficiis meis abunde perfruantur. 2. Quod Pater cœlestis credentes diligens non tantum donet illis Spiritum sanctum, ut sic dilectio Patris per Spiritum sanctum ipsis ex dilectione à Patre datum sit in eis, sed quod etiam ipse Christus sit in eis tanquam caput in membris, tanquam habitator in domo, tanquam Sacerdos in templo ipsi dedicato, tanquam dilectus in diligente, ut hac ratione credentium corda sint totius sacrosanctæ Trinitatis Patris, Filii & Spiritus sancti habitacula. 3. Quod eum credentibus unum corpus mysticum constituat, & cum credentibus omnia bona communia faciat filiationem, Patris cognitionem & dilectionem, justitiam & vitam æternam. Quomodo enim credentes cum Christo non habent omnia bona communia, (servato tamen discrimine superius annotato, quod Christus ut Deus ea habeat per naturam, credentes verò per gratiam, ac quod Christus ut homo ea habeat per gratiam unionis & exaltationis ad Dei dextram, credentes verò per gratiam adoptionis) cum Christus seipsum cum omnibus suis beneficiis eis communicet, & omni cœlestium bonorum plenitudine in cordibus ipsorum habitet? 4. Quod beneficia sua non tantum ad hanc vitam pertineant, sed etiam in futuram vitam sese extendant. Nam illud, *Ego in eis, tunc demum plenè & perfectè consummabitur*, quando in vita æterna DEUS erit omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. vers. 28. quando implebitur, quod scriptum est, Apoc. 7. vers. 17. *Agnus, qui est in medio throni, reget illos & ducet eos ad vivos fontes aquarum.* Cap. 21. v. 3. *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse DEUS cum eis erit Deus eorum.* Colligitur autem ex his verbis 1. cognitionem Patris, quæ est in Christo Mediatore plenissima ac perfectissima, in hac vita credentibus paulatim communicari, ut sua quotidie habeat, & habere debeat incrementa, eaque per Christi gratiam communicata, Eph. 4. v. 15. unde Christus dicit: *Cognoverunt, quod tu me miseris. Et ego eis notum feci ac notum faciam nomen tuum.* 2. Sine Spiritu sancto Deum non posse salutariter ab hominibus cognosci, unde Christus dicit: *Notum feci & notum faciam*, videlicet per Spiritum sanctum. Deus enim non aliter se nobis manifestat, nisi per verbum & Spiritum sanctum. 3. Christum esse ἐξηντην & interpretem divinæ voluntatis, in quo & per quem notum sit Patris nomen, quod aliàs omnibus hominibus est incognitum. Ipse est persona, per quam Pater ab initio locutus est cum genere humano ac nomen suum hominibus notum fecit, unde vocatur ὁ λόγος & nomen Dei dicitur esse in medio ipsius, Exod. 23. v. 20. Nec tantum in diebus carnis suæ docendi munere fungi voluit, sed etiam ad dextram Dei collocatus dat Ecclesie suæ Doctores, Eph. 4. v. 11. ideò dicit, *notum feci & notum faciam.* 4. Non debere nos animum statim despondere, si animadvertamus in cognitione divinorum mysteriorum nobis adhuc quædam deesse, quæ tamen ad fidei & pietatis perfectionem requirantur. Christus non solum dicit,

se notum fecisse, sed etiam porro notum facturum Patris sui nomen. 5. Cognitionem Dei ad hunc finem ordinari, ut à Deo amemur dilectione paterna ac speciali & ut vicissim Deum diligamus amore filiali. Finis salutaris θεωρίας & salvificæ fidei est, tum ut dilectio, qua Pater Filium diligit, in nos quoque redundet, ut nos quoque per illum propter illum & in illo diligamur, cui per fidem sumus insiti, Rom. 5. v. 1. tum ut *Christus in nobis vivat*, Gal. 2. v. 20. per Spiritum sanctum Dei dilectionem in nobis operetur, ut sic ea agamus, quæ Deo sunt grata, nobis salutaria & vocationi nostræ conformia. Sic ergo fides nos Deo gratos reddit ad justificationem & Spiritum Christi nobis impetrat ad renovationem & sanctificationem. 6. Christum eo sine Patris nomen notum hominibus fecisse, imò omnia, quæ in diebus carnis suæ docuit, fecit & passus est, in hunc finem fecisse, ut Spiritus sancti & omnium bonorum cœlestium per lapsum amissorum participes redderemur. 7. Dilectionem Dei in Christo Mediatore esse principium & finem, proram & puppim, α & ω nostræ salutis, ac dilectionem nostram erga proximum esse vinculum perfectionis, Col. 3. v. 14. Chrysoft. homil. 81. in Joh. *Vide quomodo in perfectum finem desinit, in dilectionem omnium bonorum matrem.* Euthim. in hunc locum. *Iterum in dilectione terminavit hanc sententiam. Nam perfectio virtutum est dilectio.* 8. Dilectionem Patris erga Filium esse in credentibus non nuda tantum cognitione, sed etiam communicatione, inde Christus non dicit, ut cognoscant dilectionem, quæ me diligis, sed ut dilectio, quæ me diligis, sit in eis. 9. Incomprehensibilem consolationem in eo nobis proponi, quod dilectio, qua Pater unigenitum suum Filium diligit, sit in credentibus. Pater diligit Filium non simulatè, non frigidè, non mutabiliter, non ineffaciter, sed serè, ardentè, immutabiliter, efficacissimè. Eodem ergo modo credentes in Christum diligit, quæ Filius hoc loco petit, ut iisdem ardentissimis amoris flammis Pater cœlestis erga Ecclesiam & credentes flagret, quibus ardet erga Filium. Stapulensis in hunc locum. *Quis tam incomprehensibilem DEI Patris erga nos non admirabitur caritatem, quos, cum nihil simus, Filio suo in amore equare vult & eisdem donare, quibus & Filium donavit. At quomodo eadem non daturus esset, qui Filium suum daturus est in gloria in altero mundo, & ut jam dedit in humilitate in hoc mundo? Qui hoc perfectè & sine omni dubitatione credere posset, se à Patre cœlesti diligi ea caritate, qua Pater cœlestis Filium suum diligit, ille jamdum in cœlo esset.* 10. Christum per fidem in cordibus nostris habitare, & bona sua spiritualia ac cœlestia nobis communicare, Ephes. 3. v. 17. quæ inhabitatio quantum sit beneficium expositum fuit, Johann. 14. versic. 23. 11. Denique arctissimo nexu hic conjungi specialem Patris cœlestis dilectionem & gratiosam Christi inhabitationem, quia specialis illa Patris dilectio non habet locum sine gratiosa Christi inhabitatione, & gratiosa Christi inhabitatio non habet locum sine speciali Patris dilectione. Utrumque beneficii benignissimus Deus nobis clementissimè largiatur propter dilectum suum Filium Mediatorem nostrum unicum in secula benedictum. Atque hæc esto qualiscunq; explicatio admirabilis illius orationis, quam Christus ante suum ex cœnaculo Hierosolymitano egressum Patri suo cœle-

cœlesti obtulit, eademq; ad instantem passionem seipsum pro nobis sanctificavit. Coronidis locum ex valedictorio sermone, tum ex hac ipsa *εὐχαριστία* oratione colligi posset 1. Epitome principalium ac fundamentalium fidei Christianæ articuloꝝ, quia quæcunq; Christus toto ministerii sui tempore Apostolos docuerat, eorum brevem summam mirandâ sapientiâ hic complecti voluit. 2. Enumeratio præcipuarum causarum, propter quas calamitates Ecclesiæ & omnibus piis in hoc mundo obtingunt. 3. Apotheca spiritualis consolationum omnis generis calamitatibus opponendarum. 4. Ethica Christiana sive viridarium præcipuarum virtutum, quæ in corde verè pii debent florere, videlicet fidei, spei, dilectionis, invocationis, patientiæ &c. Posset etiam 5. monstrari, quomodo Johannes Evangelista, qui in novissima cœna ad pectus Christi recubuerat, ex his novissimis Christi verbis pleraque in suas Epistolas, primam præsertim, redegerit, atque eo ipso tum valedictorium sermonem, tum *εὐχαριστία* oratio-

nem singulariter nobis commendare voluerit. Sed quia ex proposita exegeſi sine difficultate hæc colligi possunt, ideò privatæ cujusque piè eruditi industria hanc operam relinquimus, ac felicem clausulam divinæ hujus orationis explicationi imponimus, suspirantes cum Ruperto in comm. h. l. *Efficax sit, ô Domine Jesu, in animis tuorum hæc oratio, ut in te & in se unum sint, ut videant gloriam tuam post vitæ hujus miseras, ut tecum sint, & tu in eis, utque in tua dilectione & Patris tui vivant, nullis neque sublimitatibus neque profunditatibus, nullis seculorum seculis ab ea divellendi.* Et cum Ludolpho Carthusiensi part. 2. de vit. Christi c. 57. *Benignissime Jesu, qui pro credentibus & crediculis in te ante tempus passionis Patrem suppliciter exorasti, rogo, Domine, tuam clementiam & misericordiam pro illis & pro me & pro omnibus mihi consanguinitate, affinitate, familiaritate, beneficio, oratione, recommendatione vel quocunque modo conjunctis, seu cordi meo insertis & universaliter pro omnibus fidelibus, ut nobis & gratiam in præſenti & gloriam in futuro exhibeas, & tu qui omnium redemptor es, etiam eorum te Salvatorem ostendas, Amen.*

*Unum sim tecum, CHRISTE, & cum fratribus unum,
Sim tecum, doxam conspiciamque tuam.*





CAPUT CLXXXI.

CHRISTUS EX URBE HIEROSOLYMA IN MONTEM OLIVETI EGREDITUR, ET DE SCANDALO DISCIPULORUM VATICINATUR.

MATTH. 26. v. 30. MARC. 14. v. 26. LUC. 22. v. 39.
JOHANN. 18. v. 1.

RATIO ORDINIS.



Seriem Historiæ ostendit Johannes, quod scilicet post concionem valedictoriam ad discipulos habitam & post serias preces ad Patrem cœlestem factas Christus discipulos ex urbe Hierosolymitana ad montem soliveti eduxerit, atque hortum quandam ad radices illius montis situm cum ipsis ingressus sit, in quo à Juda proditore & ipsius comitatu captus ac vincus in urbem fuerit reductus. Rupertus in cap. 17. Johannis statuit, hortum illum, de quo Johannes loquitur, non fuisse trans torrentem Cedron ad radices montis oliveti circa villam Gethsemani, sed cis torrentem situm & urbi vicinum. Quia enim finita parte valedictoriæ concionis Christus ad discipulos dicit Joh. 14. v. ult. *Surgite, eamus hinc, ex eo colligit, Christum post hæc verba ex cœnaculo Hierosolymitano statim egressum trans torrentem in villam Gethsemani, in qua reliquam concionis valedictoriæ partem Joh. 15. & 16. descriptam absoluerit, ac preces c. 17. descriptas ad Patrem cœlestem fuderit. Postea ex villa Gethsemani reversum, torrentem denuo transisse & in hortum quandam urbi propinquum fuisse ingressum, ut sponte hostibus suis occurreret. Possit huic opinioni probabilitas quædam conciliari ex eo, quod cogitari poterat, Christum inter vineas cum discipulis euntem occasionem inde summissee comparandi sese viti ac discipulos suos palmitibus Joh. 15. v. 1. sicut aliàs ex rerum naturalium conspectu occasionem sumit de beneficiis Spirituallibus & mysteriis regni cœlestis disserendi Matt. 16. v. 6. Joh. 4. v. 13. & 35. cap. 6. v. 27. Itemque ex eo, quod Christus levatis ad cœlum oculis orasse legitur Joh. 17. v. 1. oravit ergo sub dio, non autem in concluso cœnaculo. Rupertus sententiam ex parte sequitur Andr. Osiander, is enim in sua Harmonia verba ista Matthæi ac Marci. Et *hymno dicto exierunt*, subjungit verbis illis Christi apud Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.*

Johannem: *Surgite, eamus hinc.* Hac ratione verba Matthæi, Marci & Lucæ, quod Christus *hymno dicto secundum consuetudinem cum discipulis egressus fuerit in montem olivarum*, in Harmonia proponenda essent illis, quæ cap. 15. 16. & 17. Johannes à Christo dicta esse commemorat, ac verba Johannis, quod Christus cum discipulis suis *trans torrentem Cedron in hortum quandam abierit*, intelligenda essent non de egressu ex urbe in hortum ad montem oliveti situm, sed de regressu ex villa ad radices montis sita in hortum urbi vicinum. Pro astruenda hac opinione dici possit *ἐξῆλθεν* in forma plusquamperfecti positum esse, hoc sensu: *Cum hæc dixisset Christus, exierat cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Ut enim juxta quorundam sententiam (quam tamen non probamus) *ἐξῆλθεν* terminatione præsens est, sed significatione perfectum: ita quoque *ἐξῆλθεν* indefinitè positum in forma plusquamperfecti hoc loco accipiendum esse statuunt. Cogitari ergo possit, Christum post verba illa, *Surgite, eamus hinc*, ex cœnaculo statim surrexisse & urbe egressum vel in via vel in orto reliquam concionis valedictoriæ partem absoluisse, idque per recapitulationem quandam hæc verbis Johannem indicare voluisse. Cum hæc (scilicet ea quæ in cap. 15. 16. & 17. commemorantur) Christus diceret, exierat trans torrentem in hortum. Et sanè hæc recapitulatio Johanni non est inusitata, nam in hoc ipso capite v. 24. eadem utitur. *Annas ἀπέβηκεν miserat Christum ligatum ad Caipham Pontificem:* Sed Augustinus lib. 3. de conf. Evangel. cap. 3. & ex eo plerique interpretes statuunt, totam illam valedictoriam Christi concionem & orationem ad cœlestem Patrem in ipso cœnaculo Hierosolymitano fuisse habitam, ideoque conjungunt ea, quæ Matthæus Marcus & Lucas de egressu Christi in montem oliveti commemorant cum iis, quæ Johannes de egressu Christi trans torrentem Cedron in hor-

A

tum